UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Pars IV. De Anima.

urn:nbn:de:hbz:466:1-95850

Visual Library

PARS IV.

TRACTANS LIBROS DE ANIMA.

PROLOGUS.

HÆc quarta pars Philosophiæ Naturalis posterior est ordine, prior nobilitate & dignitate, & prima utilitate, dupliciq; fructu; ad speculationem nempe, cùm ejus materiæ in omnibus scientiis ingressum habeant; Et ad mores; hæc enim, si quæ aliqua, præstat vulgatum *Nosce te ipsum*, nam ex hoc, sicut loquitur D. Bernardus Serm. 37. in Cantica: *Mater salutis humilitas oritur & timor Domini.* Unde Serm. 36. sic fusè utilitatem ejus, & mentem suam fusiùs, sed pulchrè declarat dicens: *Volo proinde animam primò omnium scire seipsam, quod id postulet ratio & utilitatis & ordinis: Et ordinis quidem, quoniam quod nos sumus primum est nobis: utilitatis verò, quia talis scientia non inflat, sed humilitat & est quædam præparatio ad ædificandum. Porro ad se humiliandum nihil anima invenire vivacius, seu accommodatius potest, quàm si se in veritate invenerit, tantùm non dissimulet, non sit in spiritu ejus dolus, statuat se ante faciem suam, nec se à se avertere abducatur: Nonne se ita intuens clara luce veritatis inveniet se in regione dissimilitudinis & suspirans misera, quam jam latere non poterit, quòd verè misera sit, nonne cum Propheta clamabit, in veritate tua humiliasti me? Nam quomodo non verè humiliabitur in hac vera cognitione sui, cùm se perceperit oneratam peccatis, mole hujus mortalis corporis aggravatam, terrenis intricatam curis, carnalium desideriorum fæce infectam, cæcam, curvam, infirmam, implicitam multis erroribus, expositam mille periculis, mille timoribus trepidam, mille difficultatibus anxiam, mille suspicionibus obnoxiam, mille necessitatibus ærumnosam, proclivem ad vitia, invalidam ad virtutes.* Sic quoque materiam hanc commendat D. Augustinus lib. 2. de Ord. cap. 8. ubi ait: *Duas esse præcipuas in Philosophia quæstiones, unam de Anima alteram de Deo, primam efficere, ut nos ipsos noverimus, alteram ut originem nostram; illam nobis dulciorem, hanc chariorem esse illam nos dignos beatâ vitâ, hanc beatos reddere.* Et revera hæc præstat exacta animæ naturæ consideratio. Sed difficultas nunc est, quodnam sit objectum hujus partis, horumq; Librorum? Alii dicunt Animam secundùm se; alii corpus animatum; Ego dimidio

cum distinctione & dico, si materia hæc consideretur cum aliis partibus & tractatibus componere unam integram Philosophiam naturalem, tunc objectum erit corpus animatum, quia subjectum partiale (quale est corpus animatum respectu corporis naturalis) debet esse aliqua species objecti totalis, sed anima non est aliqua species sub objecto adæquato Philosophiæ naturalis contenta, sed tantùm principium constitutivum alicujus speciei, scilicet corporis naturalis; ergò anima secundùm se considerata non erit objectum, sed corpus animatum, benè tamen si secundùm se præcisè consideretur; quod de quacunq; anima etiam rationali verum est, quamvis aliqui putent eam non esse Physicæ considerationis, est etenim, sive consideretur, ut corpori unita, sive ut separata; nam ut unita est pars corporis Physici, nempe hominis, ad eandem autèm scientiam pertinet considerare totum & partes, causas & effectus; ut separata verò est Ens incompletum dicens essentialem ordinem ad corpus, ac ex hoc quoque Physicæ considerationis. Itaq; progredior ad rem & in prima Disputatione agam de Anima ut sic, considerando conceptum ejus essentialem & naturam, quâ repertâ facilis erit descensus, est igitur

DISPUTATIO I.

DE ESSENTIA ET SPECIEBUS ANIMÆ.

QUÆSTIO I.

Quid sit Anima?

I. *Errores antiquorum ex D. Augustino.*

Magnus D. Augustinus varios errores antiquorum circa Animam recenset lib. 10. Trinit. cap. 7. his verbis: *Itaq; alii sanguinem, alii cerebrum, alii cor eam (animam) esse putarunt. Alii ex minutissimis individuisq; corpusculis, quos atomos dicunt, concurrentibus in se absq; cohærentibus eam confici* (ut Leucippus & Pythagoras) *crediderunt, alii aërem* (Diogenes) *alii ignem,* (Democritus) *substantiam ejus esse dixerunt. Alii eam nullam esse substantiam, sed ipsam temperationem corporis nostri, vel compagem primordiorum,* (Elementorum, Empedocles) *quibus ista caro connectitur, esse opinati sunt.* Et lib. de utilit. cred. 4. ait: *Lucretius animam ex atomis esse scribit, eamq; post mortem in eosdem atomos solvi, atq; interire.* Imò Heraclius vaporem putabat, aquam Hippus, Plato Ideas, Anaxagoras intellectum, alii alia, quos speciatim refellere puto supervacaneum, sufficit hæc præstare in generalioribus. Itaq;

II. *Anima non est accidens nec corpus nec materia.*

Dico 1. *Anima nec accidens est, nec corpus, nec materia.* Ita D. Augustinus suprà, ubi negat Animam esse temperationem corporis nostri, consequenter nec est accidens, quia temperamentum aliud non est; quàm accidens. Et lib. 7. Gen. litt. cap. 21. ubi sic loquitur: *Neq; illud audiendum est, quod quidam putaverunt quintum quoddam esse corpus, unde sit anima, quòd nec terra, nec aqua sit, nec aër, nec ignis, sive iste turbulentior, atq; terrenus, sive ille cœlestis, purus & lucidus, sed nescio quid aliud, quòd careat inusitato nomine, sed tamen corpus sit. Si enim qui hoc sentiunt hoc dicunt corpus quod & nos, id est naturam quamlibet longitudine, latitudine, altitudine spatium loci occupantem, nullo modo est anima, neq; facta inde credenda est, quippe cum tale est, ut multa non dicam, in quacunq; ejus parte simul dividi, vel circumscribi potest.*

Probatur ratione prima pars: Id per quod duæ substantiæ substantialiter differunt necessariò est substantia, sed corpus vivens & corpus non vivens sunt duæ substantiæ substantialiter per animam differentes; ergò anima est substantia & non accidens. Deinde si esset accidens, vel esset qualitas prima, vel ex qualitatibus primis, cùm viventia sint mixta, sed neutra sunt, quia tales qualitates non sunt principia multiplicium motuum & operationum, quales reperiuntur in viventibus.

Dices: Esse temperamentum ex primis qualitatibus, tum ex eo, quia illud est Anima, quo pereunte perit vivens, sed pereunte temperamento, &c. ergò: tum quia hoc est principium omnium passionum, nam lætitia, spes, timor, melancholia, ira, odium &c. diversum sequuntur temperamentum, ut cuilibet inspicienti patebit; ergò temperamentum est Anima. Sed respondeo negando antecedens cujus primam probationem distinguo, Anima est illud, quo pereunte perit vivens per se concedo; quo pereunte perit vivens per accidens, nego; nam pereunte cibo & eo deficiente perit vivens, nec tamen cibus est anima, pereunte & læso corde perit vivens & tamen cor non est Anima &c. Et de

de pluribus aliis, habet se ergò temperamentum tantùm velut conditio necessariò requisita, ut essentialia maneant inter se unita. Ad secundum dico temperamentum non esse principium principale illarum passionum, sed minùs principale per modum alicujus dispositionis, vel conditionis necessariò requisitæ, quod inde claret, quia anima rationalis tales passiones refrænat, & moderatur.

IV. *Anima non est corpus probatur.* Probatur secunda pars Conclusionis, tum ratione D. Augustini suprà, tum quia corpus non potest esse simul cum quacunque parte alterius corporis, sed anima est in quacunque corporis parte, ergò anima non est corpus 2. Quia si aliquod esset, vel esset elementare, vel mixtum, vel Cœleste, neutrum autem horum est, ergò.

Probatur tertia pars, Corpora viventia à non viventibus differunt, sed non in materia, ergò in Anima, ergò Anima non est materia.

V. *Anima est forma.* Dico secundò: *Anima est forma informans corpus.* Est communis. Probatur ex sufficienti enumeratione & refutatione aliarum sententiarum, si enim accidens non est, nec corpus, neque materia, erit forma.

VI. *Definitiones Augustini explicantur.* D. Augustinus pluribus in locis definit, animam ut sic, quòd sit *vita corporis*, unde serm. 13. de Martyribus c. 4. ait: *Anima est vita alicui rei, & habet & ipsa vitam suam.* Id est principium corpus organizatum vivificans, ly *vita* enim tam sumi potest pro ipso principio, quàm pro operatione vitali consequens illud principium. Unde quæstione 88. in illum locum *Qui percusserit omnem animam hominis* Levit. 25. ait: *Scriptura appellat animam ipsam vitam corporis, quæ fit per animam, & hinc voluit ostendere homicidam quòd hominis animam percutiat, id est percutiendo vitâ hominem privet.* Et lib. 1. Locut. Gen. in illud Gen. 37. *Non feriamus eum in anima* ait: *Hoc loco nomine animæ vitam corporis animati significat per efficientem id quod efficitur.* Et tract. 27. in Joannem *Anima tua non vivificat, nisi membra, quæ sunt in carne tua.* Similiter definit animam D. Bernardus, quòd sit vita corporis, unde serm. 81. in cantica id clarè sic explicat: *Vita anima est vivens quidem, sed non aliunde, quàm se ipsâ, ac per hoc non tam vivens quàm vita, ut propriè de ea loquamur. Inde est, quòd infusa corpori vivificat illud, ut sit corpus de vitæ præsentia non vita, sed vivens.* Et quamvis istæ definitiones bonæ sint, attamen puto non absre futurum, si etiam examinem eas, quas tradidit Aristoteles.

VII. *Duplicitèr definit Aristoteles animam.* Itaque Philosophus duplicem tradidit animæ definitionem, primam lib. 2. de anima c. 1. t. 6. quòd sit *Actus primus corporis organici Physici potentiâ vitam habentis.* Secundam eodem Libro c. 2. t. 24. scilicet, quòd *Anima principium primum sit, quo vivimus, sentimus, loco movemur, & intelligimus.* Quæ posterior, licèt ab Aristotele specialis vocetur, ex eo, quòd animarum species in ea enumerentur, non est bona, si absolutè & collectivè sumatur, utpote quia sic tantùm animæ rationali conveniret; nec bona est, licèt disjunctivè sumatur, nam in primis disjunctio vitium est in definitione; Secundò quia plures ex iisdem particulis eidem animæ conveniunt: Denique si intelligenda est sic, ut diceretur, anima est principium internum, quo vel vivimus, vel sentimus, &c. esset potiùs divisio, quàm definitio: Est tamen bona, primò in hoc sensu, quòd anima sit principium exercendi has operationes, ubicunque exercentur, nulla enim ex enumeratis operationibus exercetur ab alio, quàm ab anima, licèt non eadem anima exerceat omnes simul. Secundò potest etiam definitio data disjunctivè sumi cum copulatione ad præcedentes particulas dicendo, anima est principium, quo vegetantur res, vel etiam sentiunt, aut quoque moventur, & insuper tandem intelligunt. Notandum autem est, quòd quando Physiophus dixit animam esse principium primum, per ly principium esse intelligendum, *internum & Formale*; per *Internum* excluditur DEUS, qui est quidem principium primum, sed nobis extrinsecum; excluditur materia prima per ly *Formale*; & etiam forma corporeitatis, quæ licèt sit formale, non est tamen de se sine ulteriori forma sufficiens ad eliciendas supradictas operationes. Declaratâ itaque definitione secundâ Aristotelis & eâ approbatâ tanquam bona in certo sensu, de prima quòque

Explicatur secunda.

Dico 3. *Quòd bona sit.* Est communis inter Peripateticos. Probatur explicando omnes ejus particulas. Dicitur itaque *actus*, per quod convenit cum omnibus aliis formis, quæ omnes sunt actus materiæ, subintellige autem subsistantialis informans & non assistens ex dictis, cùm ex ipsa, & materia fiat unum per se, quod non fit ex materia & accidenti, nec ex assistentia alicujus. Dicitur *primus*, per quam particulam ab accidentibus distinguitur, quæ dicuntur actus secundi; nota autem non quamcunque primitatam hic intelligi: non enim est primus simpliciter, sicut DEUS est, nec est primus, quòd materiam primò informet, cùm in viventibus præsupponatur forma corporeitatis, sed quòd inter actus informantes materiam, perfectior sit, & quòd ab ipsa procedant operationes tanquam alii actus secundi. Dicitur *corporis*, ad insinuandum, quòd ipsa corpus non sit, licèt aliqui SS. Patres eam corpus vocitarint, acceperunt enim ibi corpus pro qualibet natura, & limitata in aliquo genere: Dicitur *Physici*, seu naturalis ad differentiam corporis artificialis. Dicitur *Organici*, ad differentiam formæ naturalis immediatè informantis materiam primam, & tale organizatum corpus est habens formas dissimiles & heterogeneas plures vel pauciores, juxta majorem vel minorem perfectionem, cujuscunque animati. Denique dicitur *potentiâ vitam habentis*, nam statim ut aliquid est ita organizatum, est capax vitæ, & licèt detur aliquod corpus ita organizatum, non tamen animatum, veluti est lignum siccum, quod adhuc retinet formam corporeitatis quam antea habebat, dum erat animatum, hoc evenit, quia caret debito temperamento & debitis dispositionibus ad animari. Sed contra Conclusionem

VIII. *Prima definitio eligitur* *Explicatur definitio prima Aristotelis.*

IX. *Quomodo actus primus sit perfectior quam secundus.* Arguitur 1. Anima est actus perfectissimus, ergò non est actus primus, sed debe

bit esse actus secundus; antecedens patet; probatur consequentia, quia actus primus perficitur per secundum, ergò non est actus primus. Sed Respondeo negando consequentiam, cujus probationis distinguo antecedens: actus primus perficitur à secundo accidentaliter, concedo; Essentialiter nego; primus enim essentialiter præsupponitur secundo, tanquam fundamentum & causa ejus.

Instatur ex Aristotele 7. Metaphys. t. 17. quæ sunt priora generatione sunt posteriora perfectione, quia natura procedit semper ab imperfectis ad perfecta, sed actus secundus est essentialiter posterior, quàm actus primus, ergò est actu prmo essentialiter perfectior, & non tantùm accidentaliter. Verùm ad majorem vulgaris est responsio eam veram esse, si in eodem genere sistatur, non verò in diverso, prout est in proposito, cùm actus primus sit substantia, actus secundus accidens.

X. *Angelus localiter tantùm est in corpore assumpto.*

Opponitur secundò: Hæc definitio convenit Angelo, quando corpus assumit, ergò non est adæquata. Verumtamen Respondeo negando antecedens, Angelus enim actus non est, quia actus substantialis est aliquid incompletum exigens alicui præexistenti uniri substantialiter, Angelus autem non substantialiter, sed tantùm localiter unitur corporibus assumptis, nec in illis veras operationes vitales exercet, sed ea quæ fiunt habent tantùm apparentiam talium actionum, ut ipse Archangelus Raphaël fassus est. Tobiæ 12. *Videbar quidem nobiscum manducare & bibere, sed ego cibo invisibili & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.*

Anima separata est actus aptitudinalis.

Instatur. Anima separata est actus incompletus, sed ipsa nihil substantialiter constituit, ergò non est de ratione actûs, quòd aliquid substantialiter constituat. Communiter respondetur distinguendo minorem, anima nihil actualiter constituit, substantialiter conceditur; aptitudinaliter, negatur; separata etenim retinet aptitudinem ad informandum corpus, & ità intelligenda est definitio.

QUÆSTIO II.

In quo consistat ratio corporis & ratio vitæ?

Quod dixi in Logica de multiplici Spiritûs & corporis acceptione, hoc insinuat D. Bernardus serm. 5. in cantica & clarè docet D. Augustinus lib. 14. Trinit. 16. his verbis. *Omnis mens Spiritus est, non autem omnis Spiritus mens est. Est enim spiritus & Deus, dicitur etiam spiritus in homine, qui mens non sit, ad quem pertinent imagines similes corporum. Dicitur & hominis anima spiritus. Dicitur etiam spiritus pecoris. Dicitur etiam spiritus ventus, res apertissimè corporalis.* Hìc autem pro prima parte corporis rationem investigabo, prout opponitur spiritui in propria acceptione, cùm definitionem animæ dederim per ordinem ad corpus, & ad vitam. Itaque rationem corporis prout opponitur spiritui posuerunt aliqui in eo quod habet trinam dimensionem, scilicet longitudinem, latitudinem, & profunditatem, citantes pro se D. Augustinum de quantitate animæ, ubi asserere videtur nullum esse corpus, nisi quod habet dimensiones dictas, non attendentes S. Patrem loqui de corpore, prout opponitur superficiei & lineæ. Alii posuerunt in eo, quod exigit quantitatem; alii quod impenetrabilitatem. Verùm primi non subsistunt, nam superficies, linea, & punctum substantiale sunt corpora prout opponuntur spiritui, & tamen non habent præfatas dimensiones; neque subsistunt secundi, quia si daretur aliqua substantia divisibilis non exigens quantitatem, ut multi senserunt ex antiquis de Angelis, & exigeret in loco divisibili esse cum proportione partis ad partem, illa substantia esset corpus & tamen non haberet quantitatem; per quod ruunt & tertii; Et insuper non implicat, quin DEUS possit creare substantias exigentes penetrari ex natura sua se invicem sicuti penetrabilia sunt corpora glorioſa beneficio dotis subtilitatis, ergò impetrabilitas non est de ratione corporis ut sic prout spiritui opponitur. Itaque

I. *Variæ sententiæ circa descriptionem & explicationem corporis.*

Dico 1. *Corpus substantiale bene explicatur quòd sit substantia connaturaliter impotens occupare locum divisibilem indivisibiliter, ità, ut sit totum toto, & tota in qualibet parte.* Patet, tum ex refutatione paulò ante facta; tum ex eo, quòd omnes substantiæ corporeæ, quæ defacto dantur habent hanc rationem, & nullæ substantiæ spirituales ex illis, quæ defacto dantur, habent illam, ergò. Hæc pro prima parte sufficiant, qui plura desiderat, consulat Logicam meam parte 3. d. 2. q. 4. ubi fusiùs rem pertractavi.

II. *Quæstio solvenda.*

Accedo ad secundam partem resolvendam, pro qua notandum est nullam esse difficultatem de vita in actu secundo, sed omnem posse versari, in quonam consistat ratio vitæ in actu primo, vita enim in actu secundo, dicuntur omnes illæ, quæ solis competunt viventibus actiones, ut sunt sentire, videre, motu progressivo se movere, nutriri, & intelligere, &c. unde quæritur in quonam consistat illud principium (quod est vita in actu primo) illarum actionum circa quam materiam primò dubium est, an possit dari conceptus vitæ, communis Deo, Angelis, animantibus & plantis, negat Pontius, Arriaga & plures alii. Ego

III. *Datur conceptus univocè omnibus & solis viventibus tam creatis quam increatis.*

Dico secundò: *Datur conceptus unus univocè omnibus & solis viventibus tam creatis quam increatis.* Est contra Pontium.

Probatur primò: Substantia ut sic dividitur adæquatè & univocè in substantiam viventem, & non viventem tanquam superius in sua inferiora, sed non vivens univocè dividitur tanquam genus in suas species, terram, ignem, aquam, aërem, &c. ergò etiam vivens in vegetativum, sensitivum & intellectualem; major est certa, minor etiam, loquendo de radice ex qua pullulat repugnantia ad non videndum de qua etiam loquor; consequentia sequitur à pari, quia tam verum est dicere, Deus, Angelus, homo, arbor est vivens, quàm hoc, Aër, Ignis, Aqua est substantia non vivens.

Probatur secundò: Quia omnia viventia magis conveniunt inter se, quàm cum non

non viventibus, sed cum non viventibus conveniunt univocè in omni prædicato, quod non est ratio vitæ, ergò inter se conveniunt in ratione vitæ.

Probatur tertiò: Viventia & non viventia distinguuntur essentialiter inter se, ergò habent rationes, & differentias essentiales, per quas differunt; subsumo, sed illa quæ habent rationem essentialem distinctivam sui ab omnibus aliis, habent prædicatum commune univocum, quia prædicatum essentiale commune est univocum habentibus eam essentiam.

V. *Datur infinitas de differentiis specialibus.*

Dices: Viventia habere suas differentias essentiales specificas & speciales, per quas essentialiter differunt à non viventibus, nullam tamen dari essentialem communem univocè omnibus viventibus. Sed contra primò: Hoc est merè voluntariè dictum. Contra secundò: Intellectus, qui invenit gradum vitæ communem in pluribus à parte esto sint secundùm suas rationes speciales diversæ, ut sunt vivens, vegetans, sentiens, intelligens in diversis subjectis, tamen potest cum fundamento in re ab illis abstrahere unum conceptum communem univocè saltem objectivè secundùm communem Scotistarum opinionem, quia non aliter aserunt Deum & creaturam univocari in ente ut sic, & hoc intellectum posse negare, non est eum funibus ligare? Et hinc. Contra tertiò: Quia non constat evidenter non dari à parte rei talem conceptum communem subjectivè, esto non posit à nobis pro hoc statu unico conceptu simplici proponi, & per simplicem enuntiationem ejus quidditas exprimi, possumus tamen aliquo modo, nempe *vivens ut sic*, sicut dicimus respectu Dei & creaturæ *Ens ut sic*, *substantia ut sic*. Et per hoc patet solutio alterius argumenti Pontiani, ubi petitur, ut asignetur ratio communis, quia dico esse *vitam ut sic*; Etsi quæratur ulterius quid sit vita ut sic, solvo per similem quæstionem, quid est Ens ut sic? Quid sit substantia ut sic? Quidquid dicatur, dicere possum & ego, est ergò Gradus ut sic communis omnibus viventibus, per quod essentialiter distinguuntur à non viventibus, aut est principium operationum vitalium ut sic vegetare, sentire, loco movere, & intelligere. Nunc restat difficultas quomodo ergò explicari & definiri posit vita ut sic, communis omnibus viventibus, circa quod inter illos etiam qui admittunt dari talem diversæ sunt sententiæ, quas ante mentem meam prius refutabo. Unde

VI. *Vita non consistit in principio acquirendi.*

Dico tertiò: *Vita in actu primo non consistit in principio per se instituto, ad acquirendam aliquam perfectionem, quæ non est illi debita ex vi propriæ generationis.* Hæc est contra Mastrium. Probatur ex Scoto supra 4. d. 44. ubi expresè nutritionem ab augmentatione distinguit, ex eo, quia nutritio non est per se intenta à natura, augmentatio verò sic, ità ut etiamsi non esset nutritio, adhuc foret augmentatio, sed natura non intendit aliquid, nisi quod ipsi debetur ex ratione generationis, & augmentatio est actus procedens à vita; ergò ratio vitæ non consistit in principio ad acquirendam perfectionem sibi indebitam, ex vi generationis, cùm augmentationem, velut actum vitalem secundum per se intendat. Deinde in divinis intellectio & volitio sunt vitales, & tamen sunt necessariò debitæ perfectiones Deo, ergò ratio vitæ non potest consistere in principio ad acquirendam perfectionem indebitam naturæ, similiter discurre de Angelis quibus magis debetur cognitio sui & Dei, quàm centrum lapidi, quod centrum est tamen perfectio lapidis, ergò ratio vitæ non consistit in acquisitione perfectionis indebitæ, cùm hæc cognitio veluti perfectio Angelo debeatur, & tamen eam acquirit per vitam in actu primo.

Definitio indebiti.

Dico quartò: *Ratio vitæ in actu primo non bene explicatur per principium immanenter agendi.* Est contra Vulpem. Probatur, quia etiam non viventia in se ipsis connaturales proprias qualitates producunt, ut aqua calida ad pristinam se reducit frigiditatem, gravia & levia ad proprium se movent ubi, &c. ergò.

VII. *Vita non est principium immanenter agendi.*

Dices: Etiamsi inanimata immanenter agant, possunt tamen etiam transeunter agere, ut gravia & levia, tam in se, quàm in aliis motum sursum & deorsum causare possunt, non sic animata. Sed contra est vel hoc ipsum, si enim uni & alteri immanens actio convenire potest, jam non adæquatè explicabit rationem & distinctionem viventis à vivente; Deinde omnes operationes vitales possunt produci à Deo in alio subjecto, & unus Angelus cognitionem in intellectu alterius Angeli, ergò.

VIII. *Nec in principio movendi se.*

Dico quintò: *Ratio vitæ in communi non bene statuitur in principio movendi se ab intrinseco.* Est contra Thomistas. Probatur, quia ille motus vel esset realis, vel esset intentionalis, vel ab utroque abstrahens; non realis, nam DEUS verè vivit, non tamen sic movetur; non intentionalis, nam plantæ, quæ in omnium sententia vivunt, non sic moventur, non denique abstrahens, tum quia Deo non convenit, & convenit non viventibus. Dixi in communi, quia in particulari omninò accommodari potest, ut mox ex S. Bernardo ostendam.

IX. *Describitur vita ut sic communis omnibus.*

Dico sextò: *Vita ut sic communis omnibus bene describitur quòd sit principium secundùm naturam immanenter principiativum, ejus quod est de se perfectivum illius, cujus non præcisè per intus susceptionem aut intentionaliter, sed quod ab extrinseco recipere naturaliter non exigit.* Hæc videtur mihi esse ex mente D. Bernardi trat. de Grat. & lib. arb. c. 2. ubi ait: *Est enim in quolibet corpore vita internus ac naturalis motus* (in actu secundo, in primo principium talis motûs) *vigens tantùm intrinsecus*, nempe per intus susceptionem & de se immanenter. Probatur etiam tum ex refutatione aliarum opinionum, tum explicatione. Et Tò *principium* rationem generis habet, differentiæ rationem, habent reliqua; & ly *secundùm naturam immanenter de se principiativum* complectitur Animam, Angelum, Deum, qui in alio possunt actus vitales producere, verbi gratiâ, intellectiones & volitiones, attamen ex natura petunt immanenter de se produci; *principiativum* insuper dicitur, & non causativum, quia Deus vivit dum intelligit & amat, ejus tamen intellectio non est causata, sed principiata:

cipiata : Additur *ejus quod de se est perfectivum*, iterum ne excludatur Deus cujus intellectio ipsum non perficit propriè, tamen de se infinitum perfectiva est. Dicitur *non præcisè per intussusceptionem & intentionaliter*, quæ est propria ratio vitæ ut sic, & defectu verborum unum proprium nomen impositum non habet, sed etiam *ab extrinseco naturaliter recipere non exigit*, ad excludendos actus vitales ab alio productos, quia si Angelus homo, vel animal intelligerent, vel sentirent per intellectionem, vel sensationem à Deo receptam, tameu adhuc sufficienter de se viverent, quia licet per illas viverent in casu utpote cum illis mediantibus perciperent, tamen naturaliter non exigunt ab extrinseco illas, imò exigunt posse illas à se habere, adeoque vitâ substantiali & in actu primo vivunt ex se ipsis & ex suo, licèt in casu ab alio vivant quod eis est per accidens; unde quamvis Deus poneret actum sensationis, vel intellectionis in lapide, lapis adhuc non diceretur vivere, quia non haberet internum principium, ita quod implicet aliquid per extrinsecum actum vitalem vivere, si ante tale principium non haberet. Sed in contra

X. *Quomodo vegetatio sit propria vitæ vegetativæ.*

Arguitur: Per datam definitionem solùm describitur vita vegetativa, ergò non est bona; probatur antecedens, quia intussusceptio est idem quod vegetatio, sed vegetatio est propria vitæ vegetativæ, ergò. Respondeo negando antecedens, cujus probationis majorem distinguo, intus susceptio est idem quod vegetatio, absolutè sumpta concedo majorem: ut habens necessariò annexam negationem sentiendi & intelligendi nego: & distinguo similiter sic minorem, vegetatio est propria vitæ vegetativæ ut habens necessariò annexam negationem intelligendi & sentiendi concedo minorem, absolutè sumpta nego minorem & consequentiam, sic etenim competit quoque animæ sensitivæ & rationali.

XI. *Inanimata non verè nutriuntur.*

Instatur: Etiam inanimata verè nutriuntur per intussusceptionem, ut patet de Magnete fovente & nutriente se ferro, & vino augmentante se secundùm omnes partes aquâ, item ramus unus alteri inseritur, & ad majorem magnitudinem pervenit arbor, ergò potest haberi vera intussusceptio & accretio sinè principio vitali, consequenter non consistit in ea ratio vitæ in actu primo. Hæ instantiæ apparentes sunt, attamen nihil nos urgent, nam ad primam dico non esse ibi nutritionem, sed unius rei in aliam conversionem, ut enim res nutriatur per dispensationem venarum & intra se susceptionem alimenti fieri debet. Ad secundum dico non esse nutritionem sed mixtionem, nam vinum non attrahit partes aquæ & postea primò suis dispensat partibus. Ad tertiam denique dico, non esse aliud propriè loquendo illam accretionem quam juxta positionem, cùm non fiat modo debito, quo solet fieri nutritio, & augmentatio, sed merè ab extrinseco agente applicante ramum & arborem, &c.

QUÆSTIO III.

De divisione animæ in vegetativam, sensitivam, & rationalem.

Ab explicatione quidditatis & essentiæ animæ ad animarum numerum gradum facio: Quidam ex antiquis negarunt plantas esse animatas, ex eo quòd appetitu, & cupiditate careant. Plato autem in Thimæo docuisse videtur, quòd plantæ non tantùm vivant, sed etiam sentiant, quas in hoc tamen ab animalibus vult differre, quòd hæc acutum & vigilantem sensum habeant, plantæ verò obtusum, & quasi dormientem, quem secuti sunt Empedocles & Anaxagoras, qui duas itaque tantùm statuebant animas, sensitivam scilicet, & rationalem, quos adhuc stupiditate, impietateque Manichæi Hæretici superârunt, non erubescentes plantis animam rationalem adscribere, unde qui fructum, folium vè ex arbore decerperet, flores colligeret, gramen delaceret, homicidium committere affirmabant, ut testatur D. Augustinus lib. 2. de moribus Manichæorum cap. 17. contra quæ deliria,

I. Aristot. 2. de anim. text. 50.

Dico: *Tres sunt animarum species, vel quasi species, scilicet vegetativa, sensitiva, & rationalis, quarum prima plantis, brutis secunda, & tertia hominibus convenit.* Ita D. Augustinus & Bernardus ac communis.

Probaturque eorum authoritate, D. Augustini quidem lib. 5. Civit. c. 29. ubi ait: *DEUS bonis & malis essentiam cum lapidibus, vitam seminalem cum arboribus, vitam sensualem cum pecoribus, vitam intellectualem cum sola Angelis dedit.* Lib. 7. c. 27. *Qui fecit omnem animam, sive quocunq; modo viventem, & sensu & rationis expertem, sive etiam sentientem, sive etiam intelligentem.* Lib. 8. c. 6. *Omnem vitam, quæ vel nutrit, & continet, qualis est in arboribus; vel quæ & hoc habet & sentit, qualis est in pecoribus; vel quæ & hæc habet & intelligit, qualis est in hominibus.* Denique claudit serm. 27. verb. Apost. c. 3. *Habemus ergò, ut cuncta breviter repetamus, ipsum esse cum lignis & lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum bestiis, intelligere cum Angelis.* D. Bernardi serm. 81. in cantica n. 3. ubi dicit: *sunt namq; viventia & horum genera (generaliora) duo, quæ sentiunt, & quæ non sentiunt. Verùm insensibilibus sensibilia præferuntur, ac utrumq; vita quâ vivitur & sentitur. Est pecorum vita, est arborum vita, sensu altera vigens, altera carens*, quibus si addis sentientem simul & intelligentem habes animarum genera tria.

Probatur secundò: Tot sunt animarum genera, quot sunt potentiarum vitalium genera separabilia à se invicem, sed tantùm tres sunt potentiæ vitales separabiles à se invicem, scilicet nutritiva, seu vegetativa, quæ est eaque sola in plantis, sensitiva, quæ cum nutritiva est in brutis, & intellectiva, quæ cum nutritiva & sensitiva est in hominibus, ergò patet minor, quoad secundam & tertiam patet, quæ probatur quoad primam de esse, ex I. ad Corinth. 15. *Quod seminas non vivificatur, nisi priùs moriatur*; tum quia plantæ habent internum

ëernum principium nutriendi & augmentandi se; ergò habent animam vegetativam, quòd autèm hæc in illis sit sola, probatur tum ex D. Bernardo Serm. 10. de diversis, ubi ait: *Nec miretis, quòd interdum animæ impiorum notitiam habeant veritatis, quæ tamen expertæ sunt charitatis, quando & in corporibus nonnullis vitam reperis sine sensu, ut sunt arbores cæteraq; similia.* Tum quia ubi sensitiva penes est, est etiam somnus & vigilia, organa sentiendi & dolor; ergò plantæ non habent animam sentiendi quandoq; enarratis careant. Dicuntur autèm potentiæ separabiles non quasi potentia intellectiva in homine posit esse sine aliis potentiis, sed quia aliæ potentiæ possunt esse sine ipsa in brutis & plantis. Dixi autèm notanter in conclusione tot esse animas, quot sunt genera potentiarum separabilia, quia propter potentiam loco motivam, & appetitivam & similes non oportet ponere novas animæ species, cùm semper conjungantur, vel cum sensitiva, vel cum vegetativa, vel dici potest, quòd motiva & non motiva sint species sensitivæ. Dixi etiam in Conclusione tres esse animarum species, vel quasi species, nam in rigore nec tria genera dici possunt, nec tres animarum species rationalis namq; constituit speciem specialissimam, reliqua verò sunt genera subalterna. Denique quòd per operationes colligenda sit animæ divisio, hinc patet, quia secundùm præsentem statum nonnisi per operationes essentiales rerum differentias cognoscimus, quæ operationes supponunt potentiam, eamq; manifestant.

III. *Plantæ sentiunt.*

Arguitur: Plantæ sentiunt, ergò duo tantùm animarum sunt genera; probatur antecedens, nam plantæ habent potentias appetitivas; ergò habent animam sensitivam ratione cujus appetunt; Prob. antecedens, fugiunt noxia & commoda prosequuntur, ut fugit laurum vitis, ulmum amat, cucumer fugit & odit semper oleam, item datur in ipsis uterq; sexus & ut fœcundentur sibi esse postulant vicinores, ut videre est in palmis, deniq; in Scripturis tribuitur eis vita & occisio, nam Ps. 77. dicitur: *Occidit in grandine vineas eorum*; ergò vivunt vitâ sensitivâ, nam occisio, amor, odium, dolor, non nisi sensitivis competunt, ergò. Respondeo negando antecedens, nam in plantis non est nisi aliquis appetitus naturalis seu inclinatio, quæ consequitur naturam cujuscunq; rei, seu viventis, seu non viventis, ut patet de magnete, qui attrahit ad se ferrum & diu attractum in seipsum convertit, unde hæc plantarum sympathia & antipathia fundatur in primis qualitatibus atq; adeò uterque sexus metaphoricè ipsis tantùm applicatur, ad illud autèm Ps. Respondet D. Augustinus 1. Civit. 20. dicens hoc genus rerum, id est plantarum, quamvis non sentiat, vivit tamen & per hoc potest dici occidi & mori, unde occisio sumitur ibi pro destructione cujuscunq; rei & metaphoricè.

Plantæ non nisi metaphoricè dicuntur sentire.

Instatur: Ideò amor, odium, sexus & occisio metaphoricè sumerentur, quia plantæ non sentiunt, sed hoc non est dicendum, nam nec bos sentit in ossibus, nec homo intelligit in pedibus, & tamen nemo dicet bovem non vivere vitâ sensitivâ & hominem intellectivâ, quòd autèm non videantur sentire, est organorum indispositio ex qua provenit, quòd non possint signa doloris exhibere. Attamen respondeo & dico hanc non esse rationem præcisam, quòd non sentiant, sed quia in nulla parte sentiunt, unde quamvis non valeat argumentatio aliquod vivens non sentit in aliqua parte & in aliqua parte non discurrit, quòd non vivat vitâ sensitivâ aut intellectivâ, benè tamen, si in nulla parte sentiat vel discurrat.

Non quia non sentiunt sed quia in nulla parte sentiunt.

Dico 2. *Quatuor sunt genera animatorum, videlicet nutrientia, loco moventia & non perfectè moventia ac intelligentia.* IV. *Quatuor sunt genera animatorum.*

Probatur: Quia tot sunt potentiæ separabiles in animatis; ergò tot erunt animata. Probatur antecedens; quia Aristoteles dicit quædam animalia esse sensitiva, & tamen non loco moventia, ut ostreæ, spongiæ, conchæ, &c. ergò: quædam verò insu permoventur, ut notum est & quædam denique discurrunt, ergò. Hinc tamen non inferas quatuor quoque genera animarum futura, nam licèt antecedens tibi concesserò, negabo tamen consequentiam, quam inferre intendis scilicet malam; ergò futuram divisionem datam supra, nam necesse non est, ut in animarum divisione omnes ponam subdivisibiles species, nam ut supra tibi insinuavi, potentia loco motiva & non motiva loco continentur sub sensitiva. Sed ad alia properando ponitur

QUÆSTIO IV.

De divisibilitate & indivisibilitate Animæ, ut sic.

Pro faciliori dicendorum captu advertendum venit primò, divisibilitatem variè sumi posse prout variæ sunt compositiones; Non quæritur autèm hîc an animæ essentialiter sint divisibiles, cùm constet eas esse Metaphysicè compositas ex genere & differentia, Physicè verò eas esse simplices & indivisibiles, nam si constarent ex materia & forma, essent corpus vivens, de quo iterum quæri posset, an esset indivisibile vel non, sic secundum, daretur processus in infinitum; ergò nec anima erit Physicè divisibilis, ni talem processum in infinitum admittere velis. Constat etiam omnes animas esse divisibiles quoad suas potentias seu virtutes, per quas varias exercent functiones, itaq; quæstio tantùm est, an & quæ anima possit dividi in partes entitativas & integraliter, quæ partibus materiæ & quantitatis correspondeant? Notandum secundò, viventia multùm inter se distare imperfectione, alia quippe sunt sensitiva perfecta, alia imperfecta; perfecta dicuntur ea, quorum partes separatæ non vivunt, ut sunt bos, equus, asinus &c. imperfecta, quæ ab Aristotele Lib. de Senectute insecta dicuntur, sunt ea, quorum partes separatæ vivunt, cujusmodi sunt pleraque reptilia, ut serpentes, vermes, lacertæ, &c. Cleanthes & Chrisippus omnem animam etiam rationalem esse divisibilem, & è contra I. *Multiplicitèr sumitur divisibilitas.*

omnem animam esse indivisibilem asserebant Simplicius & Thienensis D. Thomas animam rationalem & animalium perfectorum esse indivisibilem, insectorum divisibilem defendit. Scotus verò cum Recentioribus animam rationalem indivisibilem, reliquas verò divisibiles esse 4. d. 1. q. 5. n. 8. d. 44. q. 1. cum suis propugnat, quibus subscribendo.

II. *Brutorum animæ sunt divisibiles.*

Dico 1. *Omnium animalium brutorum, seu insectorum Animæ divisibiles sunt non minùs quam plantarum.*

Probatur Conclusio primò ratione eâdem, quâ probavi supra in nutritione verè acquiri novas partes materiæ & formæ, si forma sit materialis.

Probatur secundò, particulariter de plantis experientiâ, quâ videmus, quòd ramus abscissus, separatusq; ab arbore tam arbor, quàm ramus viventes remaneant, exerceantq; operationes vitæ, ut vireſcunt, crescunt, quarè agricolæ varias ex illis faciunt insectiones & inoculationes, quod non esset nisi esset & ramus tam benè animatus, ac arbor.

Probatur de animantibus imperfectis ex mente & experientia D. Augustini quam lib. de quant. Animæ c. 31. sic describit: *Possem respondere aërem & ignem, quæ duo per animæ præsentiam tenentur in corpore terreno & humido, ut omnium fiat contemperatio, dum post ejusdem animæ abscessum ad suprema evadunt, ac sese expediunt movere illa corpuscula tantò concitatius, quantò plagâ recentiore subitò erumpunt: deinde porro motum langueſcere, postremò desinere, dum minus, minusq; fit, quod effugit, ac tandem totum evolat: Sed ab hoc me revocat, quòd his hausti oculis pene seriùs quam credi potest, sed certè non seriùs quam deberem. Cùm enim nuper in agro essemus Liguriæ, nostri illi adoleſcentes, qui tunc mecum erant, studiorum suorum gratiâ, animadverterunt humi jacentes in opaco loco reptantem bestiolam multipedem, longum dico quendam vermiculum; vulgò notus est, hoc tamen quod dico, nunquam expertus eram. Verso namq; stylo quem forte habebat unus illorum, animal medium percussit, tum ambæ partes corporis ab illo vulnere in contraria discesserunt, tantâ pedum celeritate, ac nihil imbecilliore nisu, quàm si duo hujusmodi animantia forent. Quo miraculo exterriti causæq; curiosi ad nos, ubi simul ego & Alypius consideramus, alacriter viventia illa frusta detulerunt. Neq; nos parum commoti ea currere in tabula quaqua versum poterant cernebamus, atq; unum ipsorum stylo tactum contorquebat se ad doloris locum, nihil sentiente alio, ac suos alibi motu peragente. Quid plura? Tentavimus, quatenus id valeret, atq; vermiculum, imò jam vermiculos in partes multas concidimus: ita omnes movebantur, ut nisi à nobis illud factum esset, & compescerent vulnera recentia, totidem illo separatim natos, ac sibi quemcunq; vixisse crederemus.*

III. *Motus illi non possunt adscribi spiritibus vitalibus.*

Dices: Hoc provenire à spiritibus vitalibus. Contrà, quòd dictæ partes diu moventur & sentiunt, quòd à spiritibus vitalibus provenire non potest, quia etiam dicti spiritus remanent in partibus animalium perfectorum præcisis, quæ tamen non ita diu durant, si pars aliqua principalior præscindi contingat, neque

Instabis, Datam solutionem tibi multum esse favorabilem, quia inde inferes; ergò animæ animalium perfectorum non sunt divisibiles, quia eorum partes præcisæ non exercent operationes vitales, quod est directè contra Conclusionem. Quia in Contra est quòd hoc non eveniat ex eo, quòd non sint divisibiles animæ, sed quia Anima animalium perfectorum perfectiores & majores requirit dispositiones & temperamenta ad sui conservationem quas non requirit Anima imperfectorum, quare in parte rescissa sufficientes inveniuntur dispositiones ad animarum conservationem, quod non sic est de animalibus perfectis. Deinde ad primam replicam respondere quis potest, secundò quòd etsi motus proveniat à spiritibus vitalibus, sensatio tamen ab illis provenire non potest, quod tamen evenit, nam si post longum tempus pungatur se contrahunt.

Probatur denique Conclusio de Anima animalium perfectorum: Forma materialis equi sufficienter dependet à materia quam informat; ergò illa materia à qua dependet in primo instanti generationis est causa adæquata materialis respectu formæ; ergò quando augetur non potest eadem forma dependere à nova parte materiæ quæ vivens accrescit; prima consequentia est certa; probatur secunda, positâ dependentia adæquata non potest effectus naturaliter aliam habere, alias naturaliter haberet duplicem dependentiam ab eadem causa; ergò positâ dependentia adæquata formæ equi à materia quam acquisivit in primo instanti generationis non potest habere dependentiam à materia quam acquisivit per nutritionem; ergò producenda est aliqua pars nova formæ à qua dependeat nova materia; ergò equus jam constat nutritus partibus formæ, adeoq; ejus anima est divisibilis in plures partes entitativas. Confirmatur hoc, quia nulla est ratio dicere animas illas esse indivisibiles, alio quin essent spirituales & consequenter tota ex qualibet parte educi deberet, cùm tamen tota de toto & pars de parte educatur & dependeat: probatur antecedens, nam ratio quam adferunt inprimis quòd non repugnet dari aliquam formam materialem indivisibilem, nam quamvis absolutè loquendo hoc verum sit, fallum tamen est loquendo de forma, quæ connaturaliter dependeat à subjecto extenso, sicut adversarii dicunt dependere animas animalium perfectorum; Deinde quod adducunt secundò; si equus aduratur in uno pede, sentit in altero; Et dolor in tactu impedit sensationem in visu; si etiam lacerta tangatur in cauda, verbi gratiâ sentit dolorem in toto corpusculo, quod signum evidens est animas tam perfectorum, quàm imperfectorum animalium indivisibiles esse, Verùm omnia allegata non proveniunt ex eo, quòd animæ sint indivisibiles, sed quia omnes partes sibi adhærent, sibiq; sunt continuæ, unde si una pars lædatur, dolor ad omnes alias permeat partes, & una pars movetur propter tactum, & motum alterius nō secus ac si lignum in una moveâ extremitate propter continuationem omnes moventur

moventur partes. Et quia ut dixi nulla est ratio ideò Adversarii

V. *Explicatur duplex textus Aristotelis.*

Opponunt binas authoritates Aristotelis prima est ex 1. An. t. 44. ubi asserit: *Omnem animam esse indivisibilem*; secunda est 1. Gen. t. 35. ubi dicit *in augmentatione partes secundùm formam manere, non verò secundùm materiam*; ergò omnis anima est indivisibilis, alioquin etiam ipsa acquireretur ad acquisitionem novæ materiæ; Verùm & ad authoritates facilè æquè respondetur, ac ad rationes, nam in primo loco solùm dicit omnem animam esse indivisibilem indivisibilitate essentiali & specificâ, non verò integrali & quoad partes entitativas. In secundo loco Aristoteles non vult asserere in augmentatione vel nutritione partes etiam secundùm formam non fluere, nam ab ipso ibi eadem pars dicitur secundùm formam & secundùm materiam, quousque enim habet vim conservandi seipsam dicitur pars secundùm formam, unde dicitur non fluere secundùm formam, dum verò incipit fluere, efficitur pars secundùm materiam, hinc dicit partes secundùm materiam fluere, non secundùm formam.

VI. *Anima rationalis est indivisibilis.*

Dico 2. *Anima rationalis indivisibilis est & inextensa.* Est Patrum nostrorum & omnium Theologorum.

Probatur primò, authoritate Aristotelis 2. de an. t. 21. ubi postquam dixisset animas ad divivisionem corporis divisibiles, etiam esse & dividi, excludit tamen animam rationalem; & 3. An. t. 32. & passim docet intellectum esse immixtum, immaterialem & separatum à materia.

Probatur secundò Ratione Scoti: In anima nostra recipitur actus omninò spiritualis, velut est intellectio rei spiritualis & inextensæ, sed talis intellectio non potest recipi in subjecto extenso & quanto, aliàs in ipsa esset extensa & quanta, cùm accidens extendatur ad extensionem subjecti, tanta etenim est albedo, quanta est superficies alba; ergò anima non est extensa & quãta adeoq; est indivisibilis.

Probatur ratione tertiò: Si anima rationalis esset divisibilis & extensa, sequeretur quòd esset mortalis, consequens est falsum; ergò & antecedens; probatur sequela: sit anima extensa per corpus, & habeat partem in parte, deinde abscindatur manus, quæro de parte animæ, quæ erat in illa manu, vel est retracta ad materiam proximam antecedentem, & hoc esse non potest, nam non possunt duæ distinctæ partes formæ simul informare eandem materiam; ergò illa pars animæ debet recedere cum manu, jam quæro iterum an illa pars sit mortalis vel non? si secundum, tunc ex una anima rationali fient tot aliæ immortales, quot partes sunt divisibiles, quod tam absurdum est, ut nullus non videat non indigere impugnatione: Si primum, tunc erit tota mortalis, cùm omnes partes sint ejusdem rationis, ergò. Confirmatur, quidquid enim divisibile est, eo ipso namq; quòd dividatur amittit illud esse quod antea habebat.

VII. *Unde colligatur motorem carere quantitate.*

Opponunt Nobis pariter adversarii authoritatem Aristotelis, nam 8. Phys. t. 78. & 79. ait: Primum Motorem carere quantitate & esse indivisibilem, quia non est in materia, sed anima est in materia; ergò non caret quantitate, adeoq; est divisibilis. Sed respondeo Philosophum solùm probare, primum Motorem carere quantitate ex hoc, quòd non constituatur ex materia & sit aliquod intellectuale, infero non esse quantum, seu carere quantitate, quia non datur subjectum in quo reperiatur quantitas; non materia, cùm ibi non sit, non intellectualitas, utpote incapax, quia primum intellectuale non potest habere magnitudinem, quia forma intellectualis non est extensibilis, sed si intellectuale aliquod est quantum, habet materiam quæ perficitur à forma intellectuali, & tunc recipit quantitatem non ratione intellectualitatis, sed materialitatis, unde Aristoteles est pro nobis, nam cùm anima rationalis non constet ex materia, & sit intellectualis non poterit esse divisibilis, licèt possit informare corpus divisibile.

Quomodo res ad modum recipientis recipiatur.

Instant: Omne quod recipitur in subjecto ad modum recipientis recipitur, sed animam dicimus recipi in subjecto quanto & extenso; ergò etiam extensa & quanta recipitur. Verùm etiam respondeo distinguendo majorem; Ad modum recipientis recipitur, id est juxta capacitatem concedo majorem; id est: quòd debeat habere talem modum non sicut recipiens habet, nego majorem; Aliàs etiam Anima rationalis deberet esse corporea, quandoquidem in corpore recipitur.

Solvitur duplex instantia.

Urgent argumentum: Si non reciperetur ad modum recipientis, sed solùm juxta capacitatem sequeretur primò, animam rationalem à se ipsa distare, nam pars una in qua ipsa est distat ab alia, ut pes à capite; secundò, cum qualibet parte facere verum compositum, nam ubi anima rationalis est tanquam forma, & subjectum in quo recipitur compositum, efficiunt, & sic pes in quo est, homo esset, adeoque pes discurrere & ratiocinari posset. Verùm tamen negatur prima sequela, nam distantia propriè dicta in ordine ad diversa sumitur loca adæquata, quarè non inconvenire aliquid esse in pluribus locis inadæquatis & per accidens, sicut etiam non est inconveniens, secundùm illa diversa loca simul movere & quiescere, nulla enim est contradictio, cùm non sit circa idem & de eodem. Ad secundum dico Animam rationalem non cum quocunq; subjecto facere compositum, sed tantùm in subjecto apto; unde ad hoc ut ex subjecto & anima rationali resultet compositum & homo, debet esse subjectum constans ex pluribus partibus corpus organicum integrantibus, unde pes non potest dici discurrere, sed benè totus homo propter organa in toto homine reperta, & non reperta in pede.

VIII. *Partes animarum divisibilium sunt homogeneæ.*

Dico 3. *Partes Animarum divisibilium probabiliter esse homogeneas.* Est communior & vel ideò ab ea non recedendum; Tum ex eo, quia nulla est necessitas multiplicanda species, nam si aliqua esset, vel quòd subjectarentur in subjectis diversis, vel quia causant operationes diversas? primum non est; quia calor subjectatur tam in igne, quàm in aqua, materia prima tam in homine, quàm in bruto;

nec secundum, nam Anima rationalis in diversis corporis partibus diversas exercet operationes. Sed ulteriùs probatur positivis rationibus, quia alioquin deberent tot animæ poni, quot sunt partes heterogeneæ diversæ. Deinde sequeretur animal non esse unum per se, nec unum specie, sed unum unitate ordinis & continuationis, quæ omnia falsa sunt. Sed sit

QUÆSTIO V.

An sint plures animæ in eodem animali tam simul, quàm successivè?

I. *Non est tantùm una anima in omnibus.*

Multiplices circa præsentem materiam sunt opiniones; prima est quorundam teste Alberto Magno admittentium unam tantùm animam pro omnibus viventibus, qui error præterquam quod in Concilio Lat. sub Leone X. Sess. 8. damnatus sit manifestè repugnat rationi, nam diversæ materiæ quantitate sejunctæ ab eadem anima & forma informari nequeunt. Deinde sequeretur ejusdem speciei esse hominem & leonem cum arbore, cùm distinctio specifica non oriatur ex materia sed ex forma, hîc autèm unica tantùm esset forma, ergò. Deniq; in omnibus viventibus eædem deberent esse operationes, cùm operationes à forma procedant. *Malè Manichæi statuunt duas animas.* Ab hac sententia paulò minùs recesserunt Manichæi, qui propter errorem suprà tactum asserebant duas esse animas, unam quæ esset prona ad bonum, alteram quæ esset prona ad malum, quarum una à malo, altera à bono Deo creata esset, admittebant namq; duos Deos Creatores bonum unum, malum alterum, ab hoc mala, ab illo bona produci; Eorum errorem sit refert D. Augustinus lib. de duab. anim. cap. 12. *Manichæi duo animarum genera esse dicunt, unum bonum quod ita ex Deo sit, ut non ex aliqua materia vel ex nihilo ab eo factum, sed de ipsa ejus omninò substantia pars quædam processisse dicatur. Alterum autèm malum quod nulla prorsus ex parte ad Deum pertinere credunt, credendum commendant. Et illud summum bonum, hoc verò summum malum esse prædicant, atq; ista duo genera aliquando fuisse discreta, nunc esse commixta*; sed & hic error damnatus est in octava synodo generali Can. 11. quia anima rationalis est ultima forma specifica hominis; ergò nequeunt duæ animæ rationales per se unum constituere hominem, nam ultimæ formæ specificæ sibi non subordinantur. Tertia sententia est Platonis ponentis tres animas in homine & subjecto, & loco distinctas, vegetativam scilicet, in hepate, sensitivam in corde & rationalem in cerebro, sed neq; hæc subsistere potest, nam sic loquendo esset in eodem homine ponere tria viventia, & tria animalia, nam quælibet anima constituit unum vivens proprium & proprium animal cum proprio subjecto & materia adæquata; ergò cùm in homine esset cujuslibet animæ proprium subjectum & adæquatum, tot constituent viventia, & animalia quot sunt animæ. His præmissis ad resolutionem procedo &

II. *Non sunt in eodem subjecto plures Animæ.*

Dico 1. *Nec in homine, nec in ullo alio animato sunt plures Animæ simul.* Est D. Augustini pluribus in locis, cujus authoritate

Probatur primò: Lib. 2. moribus Manichæor. cap. 19. ubi alloquens Manichæos ait: *Illud tamen in omnibus vobis quemadmodum ferri, & tolerari possit ignoro, quod cum animam* (nempe bonam) *partem Dei esse dicatis, asseritis tamen etiam exiguo admixto malo, animæ malæ majorem ejus copiam ubertatemq; superari*: Lib. 2. lib. arbit. 7. *Manifestum est etiam rationales mentes singulos quosq; nostrum singulas habere*: Lib. 13. Trinit. cap. 2. super illud Actor. *Erat illis cor unum & anima una*, dicit: *Nam & duos homines similimos cùm videmus unam faciem dicimus & miramur amborum. Facilius itaq; dicitur multæ animæ fuisse singulas singulorum.* Et ne possis explicare ipsius mentem, de *singulis* rationalibus non verò de sensitiva & vegetativa clarè lib. de quant. anim. cap. 33. docet: Animam humanam vivificare corpus terrenum, in unum colligere, tenere ne diffluant, alimenta submittere, aggenerare *sicut in arbuscu, sentire sicut ubres & discurrere*; ergò ex mente ejus nec simul quod dicit præsens Conclusio, nec successivè quod asserit sequens plures in eodem vivente sunt animæ. Huic authoritati possunt etiam addi plures authoritates ex Aristotele 2. An. t. 71. dicentis vegetativam contineri in sensitiva, veluti Triangulus in Quadrangulo, vel Trigonum in Tetragono. Scoti 2. d. 1. q. 5. O.

Probatur secundò, si in homine & in quolibet alio vivente darentur plures animæ realiter distinctæ, advenientè secundâ anima non faceret cum prima unum per se, sed per accidens, sed hoc non est dicendum, ergò. Probatur sequela majoris, illud quod supervenit, cui alicui simpliciter perfecto & simpliciter in actu, non facit cum illo unum per se, nam ad hoc requiritur ut unum se habeat per modum actûs & alterum per modum potentiæ; sed anima tam vegetativa, quàm sensitiva & intellectiva habet se per modum actûs simpliciter, nam quodlibet animatum sive vegetativa, seu sensitiva animâ, ut planta, equus, est simpliciter perfectum, & ultimatum perfectione ultimâ, non amplius perfectibili, est enim quodlibet illorum in alqua specie atoma; ergò non posset facere cum illa unum per se.

Dices: Forma corporeitatis constituit subjectum in aliqua determinata specie, & tamen potest adhuc cum forma superveniente constituere unum per se; ergò etiam sic de animabus dici potest, ergò: Sed respondeo partitam nullam esse, nam per formam corporeitatis non constituitur subjectum in aliqua ultimata specie essentiali non amplius perfectibili, quarè autèm forma corporeitatis non constituat in ultima actualitate veluti anima vegetativa & sensitiva nulla melior ratio assignari potest, quàm data à Scoto 4. d. 11. q. 3. 99. *Quia hoc est hoc, & illud est illud.*

Probatur Conclusio tertiò: Anima vegetativa & sensitiva secundùm proprias essentias requirunt aliam & aliam formam corporeitatis, seu mixtionis, sed forma mixtionis & corporeitatis est alterius omninò rationis in homine ab omni alia forma corporeitatis, ut de se

se patet, ergò non erit animabilis ab alia forma, quàm rationali, si enim anima rationalis informaret constitutum ex anima vegetativa & sensitiva, informaret brutum, & homo simul esset brutum & rationalis.

V. *Probatur ex morte Christi*

Probatur quartò Argumento Theologico, quia in morte Christi Redemptoris nostri, aut anima Christi sensitiva fuisset mortua aut non? Si mortua, ergò mors non solùm fuit animæ Christi à corpore separatio, sed etiam ejus alicujus animæ corruptio, & sic *Sanctum ejus vidisset corruptionem, & quod semel assumpsit dimisisset*, quæ sunt erronea. Deinde debuisset etiam fuisse in resurrectione Christi reproducta quæ sunt Patribus inaudita; si verò non fuit mortua, & tunc aut mansit in sepulchro cum corpore unita, & ita corpus adhuc esset vivens, & non mortuum; aut descendit cum anima rationali ad inferos, & sic duæ animæ descendissent, quod est fictitium; aut mansisset in aliquo loco separata, quod est falsum, cùm sequeretur animam separatam à corpore per se subsistere posse, sique per se subsisteret, esset æquè mortalis ac rationalis. Neque dicas hoc fieri non posse propter subordinationem, nam multa realiter distincta sunt sibi invicem ordinata, ablato tamen ex illis uno manet alterum, ut patet de forma corporeitatis.

VI. *Datur ex variis conclusionis objectis propria origo.*

Arguitur in contra. Ubicunque est operatio propria alicujus formæ, ibi est ipsa forma, operatio enim propria propriam arguit formam, sed in homine est operatio propria animæ vegetativæ, & sensitivæ contradistinctæ ab operatione intellectivæ, ergò in homine est anima vegetativa & sensitiva contradistincta ab intellectiva; major patet; probatur etiam minor ipsâ experientiâ. Respondeo distinguendo majorem, ubicunque est operatio formæ, est ipsa forma, vel formaliter secundùm propriam existentiam, vel virtualiter seu eminentialiter concedo majorem; semper formaliter & secundùm propriam existentiam, nego majorem. In proposito itaque anima rationalis perfectiori modo secundùm unam realitatem continet perfectionem vegetativæ, & sensitivæ, consequenter operationes earum, unde conceditur minor & distinguitur similiter consequens, ergò est in homine anima vegetativa & sensitiva distincta realiter à rationali, nego consequentiam; indistincta, concedo.

Homo dicitur formaliter sentiens per propriam formalitatem.

Instatur. Quando aliqua forma solùm virtualiter continetur in aliquo, ipsa forma non potest formaliter denominare subjectum tale, sed anima vegetativa & sensitiva formaliter denominant hominem sentientem & vegetantem, ergò non continentur virtualiter, sed formaliter in homine: patet major de Sole, qui non denominatur formaliter calidus, licèt sit caloris causativus. Respondeo distinguendo minorem, homo dicitur formaliter & non virtualiter sentiens & vegetans ab ipsa essentia & existentia animæ vegetativæ & sensitivæ nego; per formalitatem & realitatem mediante quâ simul cum parte corporis vegetantis vel sentientis componunt completivè potentiam animæ vegetativæ & sensitivæ concedo minorem, & nego consequentiam; quare cùm in anima rationali sint plures potentiæ, potest secundùm unam appetere objectum liberè, & secundùm aliam naturaliter, imò idem appetitu naturali appetere, & libero respuere.

Potentiæ vegetativæ & sensitivæ in se consideratæ non sunt ejusdem rationis.

Urgetur: Potentiæ vegetativæ & sensitivæ, quatenus sunt perfectiones animæ rationalis, sunt ejusdem rationis cum potentiis vegetativis & sensitivis in bruto, ergò non noterunt in anima rationali contineri formaliter; probatur antecedens, quia habent idem objectum, & sub eadem ratione tendunt in illud; probatur consequentia, potentiæ illæ quatenus sunt perfectiones in bruto sunt extensæ & materiales & corruptibiles, ergò non poterunt in anima rationali formaliter esse, quia quidquid est in ipsa est spirituale & inextensum. Respondeo distinguendo antecedens: Ratio incompleta potentiæ vegetativæ & sensitivæ, quæ est perfectio intellectivæ est ejusdem rationis cum incompleta ratione animæ vegetativæ & sensitivæ quæ est in brutis secundùm se inspectæ, nego, nam una est corruptibilis, altera incorruptibilis; in ordine ad operationes & rationes agendi hujus & illius formæ, concedo antecedens, & nego consequentiam.

VII. *Nec successivè dantur plures animæ.*

Dico secundò: *In nullo animali dantur plures animæ etiam successivè.* Est etiam Doctoris supra.

Probatur, quia nulla est necessitas ponendi talem animarum successionem, sive in hoc, sive in alio animali, ergò non datur talis successio; probatur antecedens, si esset ulla necessitas, maximè, quia brutum priùs vegetatur quàm sentit, & homo priùs vegetatur & sentit quàm discurrat, sed ex hoc non sequitur; ergò: major est Adversariorum, probatur minor: quia brutum non ideò non sentit priùs, quia non habet animam sensitivam, aut non discurrit homo, quia non habet animam rationalem, sed ex eo potiùs, quia corpus bruti est dispositum ad causandam vegetationem priùs quàm sensationem, & homo priùs dispositus est ad causandam utramque priùs quam discursum, ergò non sequitur ex eo quòd brutum priùs vegetetur, quàm sentiat, quòd priùs informetur animâ vegetativâ, quàm sensitivâ, & consequenter nulla est necessitas ponendi hanc animarum successionem, cùm hæc successio sufficienter salvetur per indispositionem corporum.

Probatur secundò: Quia hinc sequeretur, quòd tres animæ possent esse simul, quia si in principio fœtus animatur animâ vegetativâ, & postea sensitivâ, non est ratio quare illæ desinerent adveniente animâ rationali, non desinit enim forma informare, quamdiu habet dispositiones debitas, sed dispositiones & organa quæ fuerunt non destruuntur, ergò. Confirmatur, quia vel hoc ipsum pessimè audit apud omnes, dicere quòd matres portent in utero plantas, bruta, cùm tamen quodlibet agens & consequenter etiam matres intendant sibi generare simile.

VIII. *Homo priùs vivit vitâ plantæ quantum ad operationem.*

Opponitur huic Conclusioni authoritas Aristotelis 2. Gen. animal. 3. ubi ait: hominem priùs vivere vitâ plantæ, deinde vitâ

animalis, & tamen vitâ hominis, ergò in homine sunt tres animæ successivè. Respondeo distinguendo antecedens, priùs vivit vitâ plantæ in actu secundo, hoc est, habet priùs operationes vitales, & sensitivas quàm rationales, concedo; in actu primo, hoc est, habet priùs animam vegetativam & sensitivam, quàm rationalem, quæ est vita in actu primo, nego antecedens.

Si fœtus hominis ante 40 diem sensit ante 40. informatur.

Instatur: Fœtus ante inductionem animæ rationalis augetur & crescit, & dum pungitur sese contrahit, ergò priùs habet animam vegetativam, & sensitivam, quàm rationalem; probatur antecedens, quia ante quadragesimum diem non infunditur anima rationalis, sed ante quadragesimum diem exercet dictas operationes. Sed Respondeo, si verum est, quòd ante quadragesimum diem fœtus eliciat operationes vitæ, dicendum quoque, ante quadragesimum diem infundi animam rationalem.

Explicatur canon.

Urgetur. *Ex cap. quod verò 32. q. 2.* ubi habetur, quòd qui fœtum occidit ante infusionem animæ non esse homicidam, ergò supponitur in fœtu ante infusionem animæ rationalis aliam esse animam, aliàs dici non posset occidi fœtus. Respondeo negando consequentiam, quia ibi per occidere intelligitur corrumpere, vel destruere, non verò occidere propriè. Pro fine hujus quæstionis

IX. *Explicatur quomodo anima rationalis includat vegetativam & sensitivam.*

Quæres, Quomodo anima rationalis includat animam vegetativam & sensitivam? Respondeo non tantùm virtualiter, & eminenter, sed etiam formaliter. Probatur, quia esse formaliter vegetativum & sensitivum non est aliud, quàm esse formam substantialem, à qua habet compositum per ipsam constitutum velut à principio *quo*, posse elicere operationes vegetativas & sensitivas, sed hoc competit animæ rationali, ergò. Adverte autem pro tollenda æquivocatione, quòd quando dico animam rationalem esse vegetativam & sensitivam formaliter me intelligere per hoc, quòd anima rationalis in perfectione includat animam ut sic & quod de ipsa possint dici omnia essentialia animæ vegetativæ, & sensitivæ ut sic, præscindendo ab eorum differentiis, non verò intendo quòd anima rationalis sit formaliter per existentiam anima plantæ, bonis, &c.

QUÆSTIO VI.

De informatione Animæ.

I. *Forma non est actus assistens.*

Antequam aliquid resolutionem hujus quæstionis concernens dicam, & proponam, suppono contra Platonem, & alios antiquiores asserentes animam tantùm esse assistentem corporis veluti ejus auriga, aut ut Nauclerus assistit navi, animam verè esse actum informantem, tum, quia hic error damnatus est in Concilio Viennensi sub Clemente V. in Clement. Unica, §. *Porro de summa Trinitate*, ubi sic habetur: *Doctrinam seu positionem temerè asserentem, aut vertentem in dubium substantiam animæ rationalis, seu intellectivæ verè & per se humani corporis non esse formam ut erroneam & veritati Catholicæ inimicam, approbante Concilio reprobamus.* Tum, quia nihil repugnat, quòd detur compositum ex subjecto materiali, & forma spirituali. Denique defactò dari, & hoc esse hominem probatur ex operationibus intellectûs, & voluntatis, quæ fiunt ab eodem principio in homine à quo fiunt reliquæ actiones vitales materiales, veluti nutritio & sensationes, sed nutritio & sensatio fiunt à forma, ergò & intellectio & volitio fiunt ab anima rationali, ergò anima rationalis est vera forma. Hoc supposito

II.

Adverte triplices dari partes in animalibus, videlicet essentiales, quæ tanquam actus & potentia componunt vivens, adeò ut sine ipsis nec concipi possit: Integrales, quæ se non habent ut actus & potentia, nec sunt de intrinseco conceptu viventis, tamen per mutuam unionem integrant vivens, & substantialiter complent: Tertiò sunt in vivente partes conservantes, quæ per veram unionem vivens non componunt, sed per quandam juxtapositionem ad alias partes eas conservant, & fovent, tales ordinariè censentur esse quatuor humores, cum quatuor elementis symbolizantes, videlicet *sanguis*, qui est humor rabicundus, calidus, & humidus in hepate genitus, in quo etiam reliqui humores, tanquam in officina, fabricantur ex partibus chyli temperatioribus pinguioribus, ethoc proinde aëreæ naturæ. Secundus humor est *Pituita*, seu *Phlegma*, qui est humor frigidus, & albus, ex crudiori, & frigida parte chyli genitus, qui sanguinem per totum devehit corpus, & totum corpus humectat, ne ex frequenti agitatione arescat cùm aqua symbolizat. Tertius humor est *Flava bilis*, seu *Cholera*, qui aliquando sanguini post venæ sectionem superenatat, ex calido & tenui chyli portione fabricatus, qui pro loco à natura sibi destinato habet folliculam fellis, estque igneæ naturæ. Quartus humor est frigidus, siccus & crassi nigri coloris, acerbus, & acidus, ex crassiori & terrea parte alimenti productus, vocaturque *Atra bilis*, seu *Melancholia*, cujus locus naturalis est in Liene. Item sunt & aliæ similes partes conservantes, vel quasi conservantes, ut *Adeps Medulla, Lac, Semen, Spiritus vitales, & animales*, quæ in aliis partibus tanquam vasis includuntur, quas partes fusiùs explicare omninò credo necesse non esse, præterquam quòd dicam aliquid de spiritibus, qui nihil aliud sunt quàm tenuissimæ sanguinis partes in corde, vel cerebro purgatæ, distributæ inde ad functiones vitæ, quæ in corde generantur *vitales*, quæ in cerebro *animales*, appellantur, nullumque est inter illos essentiale discrimen, sed tantùm accidentale, quod scilicet ii, qui in corde generantur potiori ex parte cerebrum petant, & ibi utpote calidissimi mutua cerebri frigiditate infrigidantur & humectantur. Rursùs aliæ sunt excrementitiæ, quæ ex partibus inutilibus alimenti gignuntur, quarum aliquæ merè excrementitiæ, tanquam inutiles à corpore expelluntur, ut lachrymæ, sudor, saliva, &c. aliæ excrementitiæ quæ pertinent ad ornatum, & defensionem, ut capilli, ungues, cornua, pennæ, &c. de omnibus ergò his partibus quæritur an sint animatæ? Et quid sentiendum sit de singulis, brevibus aperiam, atque sic

Dico

III. *Partes integrantes animantur.*

Dico 1. *Omnes partes integrantes, quales dicuntur communiter Caro, Ossa, Cartilagines, Cerebrum, Nervi, Fibræ, animantur animâ si divisibilis est, tota omnes & pars partem, si verò est indivisibilis, tota omnes, & tota etiam quamlibet partem.* Ita D. 3. d 3. q. 2. & communis contra antiquiores aliquos Philosophos, qui animæ maximè rationali aliquam particularem partem pro sede attribuerunt, veluti Cerebrum, Cor, Ventriculum, Pectus, &c. Probatur, quia omnes illæ partes vivunt, ergò informantur ab anima, quia aliunde non potest colligi commodiùs informatio ab anima, quàm quòd vivant, & etiam, quia omnes illæ partes ad rationem corporis organici pertinent, quòd autem vivant, patet ex nutritione & augmentatione. Nec refert quòd omnes partes non habeant easdem operationes, quia si anima per omnes partes exerceret easdem operationes non esset necesse tam diversis organis, ossa ergò cùm sint valdè tressa & terreæ naturæ sunt minùs apta sensationi. Deinde cùm pedes, manus, & similia membra non sint apta specierum receptioni, quia ad phantasiandum requiruntur, non est mirum quòd in illis phantasia non exerceatur, quantæ enim operationes sunt quæ sibi poscunt certas dispositiones, quæ non in omnibus inveniuntur, quare quidem potest dici, quòd intellectio & volitio sit in pede, eò quòd anima quæ intelligit sit ibi, non tamen debet pes dici intelligere, quia hæc denominatio toti homini, & non parti convenit.

IV. *Quomodo sit anima in corpore sicut Rex in regno.*

Opponitur Conclusioni Aristoteles qui libro de animal. motu antiquis se subscribere videtur, dicit enim *Animam esse in corpore, quemadmodum Rex in Regno, vel* Civitate, ergò sicut Rex non est in omnibus regni partibus, sed in principaliori, ita etiam anima non informabit omnes partes, sed tantùm aliquam principaliorem. Verùm explico Aristotelem dicendo eum solùm velle, quòd quemadmodum Rex totum regnum, ita anima totum corpus gubernat, & sicut in diversis regni partibus Rex solet diversas exercere operationes, ita etiam anima in corpore diversas subit functiones. Sed

V. *Dentes animantur.*

Dico 2. *Etiam dentes animari.* Est communior. Probatur authoritate Aristotelis 2. de gen. anim. 4. ubi asserit *Dentes esse ejusdem naturæ cum ossibus*, sed ossa vivunt, ergò & dentes. Probatur etiam ratione, quia augmentantur secundùm omnem dimensionem, qualis augmentatio non potest fieri per juxtapositionem, ergò. Probatur antecedens, quia partes exteriores eorum in pueris sunt minùs distantes à se, in adolescentibus verò & vivis sunt magis distantes, quod fieri non potest nisi traherent nutrimentum ad se, & nutrirent se vitaliter.

VI. *Inbuntur substantiæ.*

Incontra Arguunt tum ex eo, quòd non continuentur cum reliquis partibus; Tum quia à toto tempore vitæ crescunt; tam denique, quia iterum sponte decidunt. Ast primum distinguere oportet, non continuantur immediatè transeat, mediatè negatur antecedens, & hoc sufficit, ut animentur animâ totius, & si hoc non sufficeret nec ossa animari possent, quia non continuantur inter se immediate. Ad secundum dico illud nutrimentum non obstare animationi, nam etiam aliæ partes per totam vitam nutriuntur. Tertium denique provenit ab extrinseca indispositione, non ex natura animalis.

VII. *Nec sanguis nec usus alius humor est qui animaretur.*

Dico 3. *Nec Sanguis, nec Spiritus Vitales, vel Animales, nec Lac, nec ullus humor animatur ab anima.* Est Galeni lib 4. de usu partium, Scoti supra, & in 4. d. 10. n. 3. D. Thomæ, quos propter suos sequuntur Suarez, Vasquez, Ruvius, &c. contra Arriagam, Oviedo.

Probatur prima pars 1. Authoritate S. Augustini qui pluribus in locis sentit sanguinem animatum non esse unde Scripturæ loca, quæ videntur id adstruere gratiosè utique solvit. Lib. itaque tertio q q. Levit. q. 57. ait: *Quid est quod prohibens edendum sanguinem dicit, anima omnis carnis sanguis ejus est? An quia & tale aliquid est in sanguine, quia per ipsam* NB. *maximè in hac carne vivitur, qui omnibus venis & corporis juncturis diffunditur, ipsam vitam corporis vocavit animam, non vitam quæ migrat ex corpore, sed quæ morte finitur, vita itaq; ista temporalis maximè sanguine continetur in corpore, sic & sanguis quoniam propter vitalem quandam corpulentiam animam significat, in Sacramentis anima dictus est.* Et infra: *Quærendæ etiam locutiones per id quod continet, id quod continetur, ut quoniam anima sanguine tenetur in corpore (nam si fuerit effusus abscedit) per ipsum aptiùs significata est anima & ejus nomen acceperit.* Denique lib. contra Adamant. Manich. cap. 12. ait: *Sic enim sanguis est anima quomodo Petra erat Christus & septem spicæ septem anni.* Sed petra tantùm significat Christum & spicæ septem annos, ergò etiam sanguis significat animam, in quantum videlicet anima nunquam subsistere potest & animare corpus aliquod, nisi sanguis adsit.

Probatur multipliciter de sanguine.

Probatur secundò: Ex D. Bernardo serm. 108. de divers. ubi ait sanguinem solùm esse nutrimentum, dicit enim: *Sic nimirum & in sanguine corporis invenire est, ubi excreverit nimis, non jam nutrimentum afferre corpori, sed detrimentum*: Subsumo, sed alimentum non potest esse animatum eâdem animâ quâ animatur alitum; ergò: probatur minor: Nutritio est mutatio alimenti in substantiam aliti, quare eam dixi aggenerationem esse, ergò debet in alimento nova forma induci, & præcedens perire, & consequenter in sanguinem debet induci forma substantialis aliti viventis, ergò ante ibi non fuit, vel si ibi fuisset formam anima perdere deberet, ut formam animæ acquireret quod sanè est ridiculum, nam sic eadem anima esset deperdita, eademque inducta. Quod autem Hurtadus affert dicens carnem nutrire ossa omnia, falsum est, unde tam facilè negatur quàm facilè ab illo asseritur, deinde licèt absolutè non implicet, quòd una pars possit esse nutrimentum alterius, repugnat tamen quòd ex natura sua sit ordinata ad nutritionem alterius, sicut est sanguis ordinatus ad nutriendum vivens.

VIII. *Sanguis est alimentum*

Probatur tertiò: Ex Aristotele 3. hist. animal. 14. dicente: *sanguinem esse dispersum per*

per omnes corporis venas, ac in illis moveri, & lib. 1. de part. anim. 3. *Non*, ait, *enim sanguis continuus carni, neq; cognatus est, sed in corde & venis quasi vasis continetur*, sed anima indivisibilis, ut est hominis, non potest informare partes non continuas. Et tandem lib. 3. cap. 5. dicit etiam *Sanguinem esse principale nutrimentum.*

Probatur quartò: Eadem pars Theologicè, quia ex vi consecrationis advenit sub speciebus totum corpus Christi quoad omnes partes per se primò spectantes ad constitutionem ipsius, sed secundùm Trident. Sess. 13. can. 3. non advenit sanguis nisi concomitanter, ergò signum est quòd non spectet ad primariam constitutionem corporis, sed nihil debet animari nisi quod sic spectat, ergò sanguis animari non debet. Confirmatur denique, quia sanguis nullam exercet operationem vitæ, nec enim sentit, nec se nutrit, nec augetur vitaliter alio modo quàm aqua per juxtapositionem.

IX. *Probatur de Spiritibus vitalibus.* Probatur secunda pars De Spiritibus vitalibus & animalibus, quia sunt ejusdem speciei cum sanguine, nam Spiritus vitales, ut dixi, sunt puriores quædam partes sanguinis operationibus vitæ nutritivæ inservientes, & animales organa ad sentiendum disponunt, ergò.

Lac non animatur. Probatur tertia pars De Lacte, tum quia est discontinuum non minùs quàm sanguis; tum quia nutrimentum est non solùm sobolis, sed etiam illud elaborantis, ut patet ex accretione uberum; tum quia Virgo lacte carens non dicitur defectuosa, & manca in parte aliqua; tum denique, quia videtur esse ejusdem speciei cum sanguine, prout sentit Clemens Alexandrinus, dum dicit *Lac esse sanguinem secundùm substantiam variato tantùm colore à vehemente spiritu*, quod idem insinuat Aristoteles 4. de generatione animal. 8. ubi vocat Lac sanguinem bene concoctum, formatur enim secundùm ipsum & Medicos ex sanguine menstruo, qui quàdam vi attractiva uberibus insita, ad ubera attrahitur, ibique colore albo & aliis affectionibus imbuitur. Idem dicito de semine, & aliis humoribus, non est potior enim de aliis, quàm de enumeratis ratio, imò semen ab Aristotele lib. 2. de gener. animal. excrementum appellatur, ait enim citatus: *Namq; illud quod excrementum est, habetq; omnes partes potentiâ, actu nullam.* Unde videmus pueros in partibus integralibus perfectos esse, licèt semen non sint nati efformare, quare quamvis luxuriosi debiles sint non inde provenit, quòd semen sit animatum, sed quia sanguinem tanquam proximum membrorum nutrimentum insumunt ad generandum semen, nec spadones manci sunt, quia carent semine, sed quia carent instrumentis ad illud efformandum.

Semen non animatur.

X. *Objiciuntur multæ authoritates.* Contra Conclusionem quoad partem de sanguine opponunt nobis adversarii plures authoritates tam divinas, quàm profanas. Primò Levit. 17. habetur *Anima omnis in sanguine est*, supra quem textum D. Augustinus q. 57. in Leviticum ait, *Aliquid vitale est in sanguine, quia per ipsum maximè in hac carne vivitur, ipsam vitam corporis vocavit animam*, & in lib. q q. veteris & novi Testamenti, ut refertur *32. q. 2. Can. Moyses. Anima, certè quia spiritus est, in sicco habitare non potest, ideo in sanguine ferunt habitare.* Item Matthæi 16. sanguis dicitur vera pars hominis, aut enim Christus, *Caro & sanguis non revelavit tibi.* Tum Innocentius 3 Extravag. de celeb. Missæ & Concil. Trident. sess. 13. cap. 3. veram partem appellant, accipe verba Concilii: *Vi naturalis illius connexionis, & concomistantiæ quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis surrexit, non ampliùs morituro, inter se copulantur.* Denique Aristoteles 3. de hist. anim. 19. ait: *Semper quamdiu vita servatur, sanguis unus animatur & fervet*; & 2. de part. anim. 2. expresè ait sanguinem esse veram partem viventis. Verùm ad Scripturam Respondeo, Animam esse in sanguine, non ex eo, quòd informet sanguinem, sed quia anima ab eo dependet, ut nullum corpus informare posset nisi esset sanguis, nam à sanguine vita fovetur & vivens ab eo alitur; in eodem sensu intelligendus est D. Augustinus & alii Patres qui frequenter sat copiosè ab adversariis citantur, nam aliud non intelligunt, quàm quòd corpus sinè sanguine informari non posset, nec operationes vitales exercere, ideo dicunt animam in illo habitare, non per informationem, sed per operationem. Imò in primis locis allegatis D. Augustini, falsificatus est, nam in genuina translatione non est tò *vitale* sed per modum interrogantis *an quia & tale*, ut supra adduxi. Ad reliquas authoritates, & ad Aristotelem Respondeo sanguinem dici partem sumpto generaliùs nomine partis, ita ut non tantùm integrantes, verùm & conservantes comprehendat, quæ explicatio necessariò admitti debet, nam Aristoteles in aliis contrarium sentit, nam lib. 2. de part animal. 10. perhibet rationem, quare dixerat sanguinem non sentire, quia scilicet non est pars animalis, in quo loco to *partem* sumpsit strictè, non credo quòd Aristoteles expresè unquam docuerit sanguinem vivere, ut adversarii ex textu allegato & male intellecto deducere sese existimant, nam ibi nihil aliud voluit, quàm quòd toto tempore vitæ duret nutritio, & sanguis unus seu aliquis transeat in substantiam aliti ubi informatur anima viventis, sed non ut sanguis, non verò quòd sub propria forma sanguinis animetur.

Arguitur secundò Ratione, tum quia sanguis exercet operationes vitales, in pedebundis movetur ad faciem, in iracundis ebullit, in timidis se repetit ad cor, &c. tum quia sinè sanguine homo est mutilus, & mancus; tum denique verbum divinum assumpsisset duas naturas, unam animatam scilicet corporis, aliam inanimatam scilicet sanguinis, quæ sunt inconvenientia. Sed ad primum facilis est responsio, nam motus illi non fiunt à virtute intrinseca, sed ab aliquo extrinseco provenire, ut quia partes in quibus continetur sanguis, moventur & alterantur, quapropter ob sympathiam etiam sanguis ad motum illarum se movent; Et licèt aliqui dicant hos motus provenire ab ipsa anima, videtur non posse sustineri, nam frequenter erubescimus, etsi nolimus, denique ex motu nulla potest inferri animatio,

nam

nam constat ex timore soleri viscera commoveri & excerni excrementa, nemo tamen excrementa animata dixit, in nimio risu erumpit sudor & lacrymantur oculi, qui tamen non animantur. Ex secundo, licèt verum sit antecedens, non licèt tamen inferre quòd sit pars integralis, sed quòd sit pars de secundaria constitutione, nec ex eo quòd aliquid ad viventis conservationem necessarium est, statim inferre licèt esse partem integralem, nam magis est calor naturalis necessarius, quàm manus ad conservationem totius, non est tamen pars totius sicuti manus. Ad tertium respondeo distinguendo antecedens, assumpsisset duas naturas quarum una in altera contineretur & ad alteram ordinaretur, concedo: non sic ordinatas ad seinvicem, nego: nam Verbum Divinum omnes partes ad conservationem, vel integrationem spectantes assumpsit unicâ unione totali pluribus verò partialibus.

XII. *Capilli & ungues non animantur.*

Dico 4. *Ungues, Capilli, Rostra Avium, Cornua bestiarum non animantur animâ animalis neq; animâ aliena.* Ita Galenus cum pluribus Medicis & Philosophis &c.

Probatur prima pars: Quia prædicta omnia solùm deserviunt ad ornamentum corporis, & non ad integritatem ejus, sed quæ sic spectant ad ornamentum & non ad integritatem non sunt animata, nam anima est actus corporis organici Physici, quale organicum ornamenta non constituunt, ergò.

Probatur secundò: Quia quando prædicatæ partes per juxta positionem ultra debitam magnitudinem crescunt inciduntur & raduntur, habenturque omnes ut partes excrementitiæ, cùm tamen incisæ & rasæ sint ejusdem rationis cum non incisis & non rasis, sed partes integrantes non habentur ut excrementitiæ & contemptui, ergò. Deinde ex eo quòd crescant non colligitur animatio, nam frequentissimè capilli etiam post mortem crescunt, ergò.

Probatur secunda pars primò, quia alias ponerentur plures animæ in animalibus, sed hoc est inconveniens, quemadmodum enim una anima sufficit ad informandas cæteras partes, quæ animantur ita etiam deberet habere virtutem animandi has partes, si ullo modo animarentur. Secundò: Quia augmentum harum partium potest fieri per juxtapositionem, nec ullum est indicium, quòd fiant per vitalem intus susceptionem, ergò.

XIII. *Solvuntur plures Instantiæ.*

Multæ contra Conclusionem fieri solent instantiæ, nam dicunt capillos se nutrire, augmentare, habere radices & venulas, ac insuper terminum magnitudinis; item ungues extractos causare dolorem, sed hæc non possunt provenire nisi ab anima informate, ergò. Verùm negatur minor, nam de primo sæpè dictum est illam accretionem non esse per intus susceptionem, sed per juxta positionem: Ad secundum falsum esse dico venulas illas esse unguium, vel cornuum, sed sunt carnis vicinæ; nec ex se habent terminum magnitudinis, sed quia vivens non potest tantùm subministrare de excremento, unde necessariò desistunt protendere se; Dolor denique nullus est in unguibus quando extrahuntur, sed in carne in qua fuerunt. Quòd verò Arriaga multos in una nocte in casu & periculo mortis incanuisse referat, quod provenire non potest nisi capilli poros haberent, per quos similes sugerent qualitates, inane est, nam qualitates illæ nullis indigent poris ut corpus permeent, deinde licèt indigerent, ex attractione qualitatum virtus vitalis non deducitur, nam etiam lana humiditatem corporis contigui attrahit, tamen in lana non est virtus vitalis.

DISPUTATIO II.

DE POTENTIIS ET ACTIBUS VITALIBUS IN COMMUNI.

EXplicatâ quidditate & essentia animæ in communi, quâ constituitur quodlibet vivens ineſſe vivo, post quod esse sequitur principium intrinsecum acquirendi suam perfectionem & actus proprios, quod principium vocamus potentiam, tale autem principium dari nemo dubitavit, qui se audire, videre, sentire &c. experitur, assignaturq; animæ in particulari cuilibet aliquæ, habet namq; vegetativa potentiam nutritivam, augmentativam & generativam, sensitiva potentias quinq; externas & aliquæ internas, de quibus infra; Rationalis intellectum & voluntatem, de quibus hic agendum venit, an & quomodo ab anima distinguantur? & quæ potentiæ ordinem dicunt ad actum in eadem agemus de actibus vitalibus. Undesit

QUÆSTIO I.

An potentiæ distinguantur ab anima & quomodo?

I. *Potentia multiplicitèr sumitur.*

Ante resolutionem Advertendum me hic non loqui de potentia formaliter sumpta, & quatenus dicit respectum ad actum, hoc enim modo, non est nisi ordo & respectus ipsius producentis ad productum, sed de potentia pro materiali & connotato, seu denominato, quæ est principium & fundamentum illius relationis, estque immediatè principium operationis animæ, nec est sermo de principio simul cum illa relatione, nam sic est ens per accidens, constans absoluto & respectivo, quæ nō possunt facere unum per se principiū operativū, nec deniq; ago de potentia, quatenus constituitur ex perfectione Animæ, & facultate partis determinatæ corporis, quę dicitur potētia proxima organica,

nam si certum est illam potentiam distingui realiter ab Anima, Anima namq; sine corpore esse potest, adeoq; sine potentia illa conflata ex propria perfectione, & determinata aliqua parte corporis, & recedente Animâ recedit & desinit esse talis potentia, quare solùm quæritur, an potentia animæ in se ipsa præcisè considerata, sive Anima sit in corpore, sive extra corpus, in quantum est perfectio animæ solius, & principium operationum suarum distingnatur ab Animæ essentia & quomodo? Thomistæ eas realiter distinguunt; Nominales nullo modo distinctas ponunt, sed omnes operationes ab Anima immediatè provenire asserunt; Durandus potentias Animæ vegetativæ identificatas cum Anima, sensitivæ verò & intellectivæ realiter distingui ait: Scotistæ verò post Magistrum suum mediâ & tutiori incedentes viâ, distinctas formaliter propugnant. Ita contra Nominalium sententiam

II. *Potentiæ animæ sine fictione distinguuntur.*

Dico 2. *Omnes potentiæ distinguuntur inter se seclusâ quàcunq; intellectûs operatione.* Est Scoti in 2. d. 10. infra C.

Probatur: Implicat idem omninò esse ex natura sua determinatum ad unum, seu naturale, & esse indeterminatum seu liberum, sed in nobis datur una potentia, quæ est determinata ad agendum, naturaliterq; agit, ut intellectus, altera est ex se indeterminata & libera, ut voluntas, ergò hæc & illa non sunt eadem ex natura rei; Deinde una subest imperio alterius, ergò una non est alia, quia nihil propriè sibi ipsi subesse dicitur; patet antecedens, quia intellectus ita subditur voluntati, ut hæc illum possit avertere à consideratione unius objecti & determinare ad considerationem alterius. Deniq; inter potentias intellectûs & voluntatis est essentialis ordo prioritatis & posterioritatis, nam operatio intellectûs præcedit saltem naturâ operationem voluntatis, nihil enim volitum nisi præcognitum; ergò non possunt esse eadem. Hæc argumenta probant etiam Conclusionem de aliis potentiis nutritiva nempe & vegetativa, quantumcunq; enim distractus quis sit per intellectionem & volitionem adhuc tamen nutritur & vegetatur, dormientes nutriuntur & vegetantur, & tamen non volunt tunc nec intelligunt; ergò potentia vegetans & nutriens non est potentia intelligens & volens, quandoquidem una operatur quiescentibus aliis.

III. *Non tamen realiter.*

Dico 2. *Potentiæ non distinguuntur realiter ab ipsa Anima.* Est Scoti supra.

Probatur ejus ratione: Si potentiæ realiter distinguerentur ab Anima, sequeretur, quòd ipsa non uniretur proprio suo objecto mediante suâ propriâ operatione, sed hoc non est dicendum, ergò: patet minor, quia alioquin esset Anima tantùm per accidens beata, quia quando alicui actus primus, seu principium per accidens ipsi convenit, per accidens convenit ei etiam actus secundus, sed intellectus & voluntas sunt actus primi respectu actuum (volitionis scilicet & intellectionis) secundorum; ergò hi per accidens solùm convenirent Animæ: probatur sequela majoris, ideò substantia dicitur per accidens colorata, quia calor priùs recipitur in quantitate, in qua etiam reciperetur, etiamsi esset quantitas separata à substantiâ, sed intellectio & volitio priùs recipiuntur in voluntate & intellectu, in quibus reciperentur etiamsi per impossibile essent separatæ ab Anima; ergò si potentiæ animæ distinguerentur realiter ab anima, nunquam ipsa uniretur mediante propriâ operatione suo objecto.

Dices: Ideò solùm substantiam dici per accidens coloratam, quia mediante quantitate recipit colorem, & quia quantitas non est proprium accidens substantiæ, sed intellectus & voluntas sunt accidentia propria ipsius Animæ insita tanquam principia operativa, adeoq; licèt mediantibus illis Anima intelligat & velit, adhuc tamen non per accidens intelliget & volet. Sed Contra: Calor est accidens proprium ignis, ut possit calefacere & constituetur in esse talis operantis per calorem, quia tamen calor est distinctus realiter ab igne, seu à substantia ignis, substantia ignis non dicitur per se calefacere, sed per accidens, nam calor æqualiter calefaceret sive igni conjunctus, sive separatus, quotiescunq; autem datur aliqua operatio, quæ indifferenter & contingenter se habet ad aliquid, est illi accidentalis; ergò si calor calefacere potest, seu existente igne seu non, ignis omninò per accidens se habet ad calefacere, è contra, ergò etiam in proposito si potentiæ essent separatæ ab Anima (quod fieri posset, si realiter distinguerentur) possent habere proprias operationes; ergo hujusmodi operationes per accidens se habent ad Animam, consequenter Anima tam in ratione recipientis, quam operantis per accidens se habebit ad illas, & omninò per accidens uniretur objecto, quod est maximæ imperfectionis, quæ nec in ipso accidente reperitur, licèt sit imperfectionis entitatis, quàm substantia quod immediatè & independenter à substantia operatur; ergò nec in Anima admitti debet, maximè cùm ipsæ substantiæ sint immediatè operativæ.

Probatur Conclusio secundò: Tum pluribus authoritatibus Sanctorum Patrum Augustini tract. 15. in Joannem dicentis: *Intellectum non esse aliud quam Animam*; Isidori lib. 11. Etym. ubi dicit: *Anima dum vivificat corpus Anima est, dum vult voluntas, dum intelligit mens, dum recolit memoria, dum aliquid sentit sensus.* Bernardi Serm. 11. in Cantica: *In anima, inquit, tria esse intueor, rationem, memoriam & voluntatem, & hæc tria eandem esse Animam.* Nec valet dicere Patres ita fuisse locutos, non propter identitatem, sed propter intimam conjunctionem, & inseparabilitatem animæ à potentiis, nam licèt inseparabiles sint, nunquam tamen poterunt dici unum in essentia, si ab anima realiter distinguuntur. Tum quia videmus, quòd si una potentia nimiùm occupetur circa proprium objectum quòd impediatur alterius operatio, unde licèt sint species sensibiles in oculo, si Anima dedita sit profundæ contemplationi, nihil oculus videbit, sed hoc non fieret, nisi ipsa anima concurreret ad eliciendas illas actiones vitales mediantibus potentiis, ergò: probatur minor, quia

gula quando sunt duo principia realiter distincta inter se, & non sunt contraria, unum non impeditur ab altero in operando, sed hîc essent duo principia &c. ergò, & consequenter si impediuntur est, quia ipsa Anima ad actiones vitales concurrit. Deniq; potentiæ nutritivæ & vegetativæ non possunt esse accidentia, nam hæ habent pro termino substantiam, nullum autem accidens habet pro proprio termino substantiam, ergò.

VI. *Explicatur Scriptura objecta.*

Opponit Suaretz plures authoritates Sacræ Scripturæ, ut est illud Ps. 102. *Benedic Anima mea Dominum, & omnia quæ intra me sunt &c.* & Lucæ 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima, & ex totis viribus tuis*, ubi per *vires* & per *omnia quæ intra me sunt*, intelliguntur potentiæ ab Anima realiter distinctæ, ergò. Verùm respondeo malè Suarium interpretari allegata loca, dico ergò ad primum cum Genebrardo per ly *omnia quæ intra me* sunt intelligi, vel omnes cogitationes, assensus & affectus animi vel omnia interiora tam animi, quàm corporis, acsi Psalmista diceret, benedicite cor, pectus, viscera & omnia interiora mea Dominum, nec hoc mirum videri debet plusquam quod idem Propheta terram, aquam & alia insensata frequenter ad benedicendum Dominum invitet. Ad secundum dico cum Glossa, sensum esse Deum amari debere absque scissione & divisione super omnia, unde sola poterit distinctio formalis colligi. Sed pro Suaretz

VII. *Explicantur loci.*

Dices: Sancti Patres, ut D. Augustinus 6. Trinit. 6. D. Dionysius de Cœlesti hierarchia 11. distinguunt in Angelis virtutem, & operationem angeli ab ejus substantia, ad differentiam simplicitatis Divinæ, sed in Deo istæ potentiæ formaliter distinguuntur; ergò in angelis & Anima realiter distingui debent. Sed respondeo: Ideò Sanctos Patres distinguere istas potentias à substantia ad differentiam simplicitatis Divinæ, quòd in Deo sint absque compositione, ideoq; cum summa simplicitate, in angelis verò & Anima cum compositione, quæ perfectam simplicitatem excludit, licèt non excludat identitatem.

Instabis: Sancti Patres veluti Augustinus & Anshelmus de Concordia gratiæ & lib. arb. 19. ajunt, quòd potentiæ sic sunt in Anima, sicut in corpore membra; Imò S. Bernardus Serm. 5. de ascensione Domini dicit: *Ecce ut tanquam principalia cordis ipsius membra distinguam est intellectus in nobis & affectus*, ubi per cor S. Doctor intelligit Animam; ergò Animæ potentiæ ab ipsa sunt realiter distinctæ. Deinde Philosophus 3. An. 1. loquens de *intellectiva* ait, *de parte autem animæ &c.* & 1. Ethic. 6. inquit: *Quemadmodum in corpore est visus ita in Anima est mens, & alius in alio*, quæ omnia non possunt esse vera absque reali distinctione, nam pars, membrum, realiter distinguuntur à corpore & à toto. Respondeo cum Scoto, Patres non posse in rigore intelligi, quia pars non est ejusdem essentiæ cum toto, & altera comparte, quando totum est heterogeneum, ut est corpus, estque pars prior origine, toto, sed istæ potentiæ etiam secundùm D. Augustinum 4. Trinit. 5. & supra pro Conclusione citat. sunt ejusdem essentiæ & naturæ, & una includit totam essentiam Animæ, nec sunt priores Anima; ergò non erunt in rigore partes, adeoq; sensus solùm erit, quòd sint quædam partiales perfectiones. Idem dicendum est ad Philosophum in primo loco, quamvis dici etiam posset eum loqui de parte subjectiva Animæ in communi, scilicet Anima intellectiva, non verò de intellectu. In secundo loco est solùm comparatio quoad officia non quoad distinctionem, nam sicut oculus inter potentias externas principalior est sensus regens corpus, ostendensq; omnia pericula, ita mens totam animam regit principaliorq; est potentia, sumendo mentem prout complectitur utramq; potentiam rationalem.

VIII. *Non habet anima ideo semper operari quia habet intellectum identificatum.*

Opponitur secundò: Si Anima esset immediatum principium producendi intellectionem semper produceret intellectionem, sed hoc videmus esse falsum: ergò. Probatur major: Anima quia est actus corporis semper actuat corpus, ergò si esset principium operandi semper operaretur. Sed respondeo negando sequelam, nam nec intellectus, licèt ponatur realiter, distinctus, semper intelligit, quòd tamen fieri deberet, si distinctus esset immediatum principium agendi, quòd autem Anima non semper intelligat, non oritur ex identificatione, vel distinctione intellectûs, sed ex eo, quia non est causa totalis intellectionis, quando altera causa ita q; deest, non operatur; ad probationem sequelæ nego paritatem, nam Anima est actus corporis in genere causæ formalis, non verò in genere causæ efficientis, in quo genere est principium productivum intellectionis, & quia causa efficiens potest suo carere effectu, potest non semper intelligere, causa verò formalis nunquam suo caret effectu.

Principium & actus proportionantur in activitate.

Instatur: Principium, seu potentia & actus debent sibi invicem proportionari, sed intellectio est actus, & anima est principium mediante intellectu; ergò etiam principium, ergò accidens. Respondeo distinguendo majorem debent sibi invicem proportionari in entitate nego majorem, in activitate concedo; Itaque si entitativa proportio requireretur nullum accidens à substantia provenire posset, unde nec potentiæ essent ab Anima, nec substantia secundùm ipsos produceretur ab accidente, quia non habent proportionem in entitate.

Urgetur: Omnia quæ sunt sub eodem prædicamento, sunt ejusdem entitatis, sed potentia & actus sunt in eodem prædicato; ergò sunt ejusdem entitatis, adeoque nulla solutio. Sed respondeo distinguendo minorem actus entitativus & potentia objectiva, hoc est res possibilis, & res actu existens, concedo minorem; Actus qui producitur & potentia quæ producit, nego minorem & consequentiam. Sed argumentum sic

Prosequeris: Potentia quæ producit actum, eundem etiam recipit, verbi gratiâ intellectus intellectionem, sed potentia receptiva actûs & actus debent esse ejusdem rationis; ergò & productiva; probatur minor de materia & forma, de spirituali quòd corporale recipere non potest, quia non potest idem producere. Respondeo negando minorem, nam nec hæc universaliter vera est, nam Anima spiritualis in corpore materiali recipitur; ergò non videtur implicantia, quin accidens in substantia recipiatur, tum quia ipsi Adversarii potentias distinctas ponunt in substantia animæ tanquam accidentia, tum quia non magis requirit accidens subjectum accidentale, quàm forma spiritualis subjectum spirituale. Aliqui addunt argumentum, quòd anima sit actus, adeoque non possit recipere actum, seu intellectionem quia actus non suscipit actum, verùm falsum hoc est, nam substantia & quantitas sunt actus & tamen recipiunt actus, scilicet accidentia.

IX. *Quomodo & quæ realiter idem sunt de se invicem prædicentur.*

Opponitur tertiò: Quæ sunt realiter idem, unum de altero prædicari potest, nam verum est dicere homo est animal, & animal est homo, quia realiter idem sunt, sed intellectus & voluntas non potest de se invicem prædicari; ergò non sunt idem, patet minor, ergò. Respondeo distinguendo majorem, quæ sunt idem realiter prædicantur de se invicem in concreto, concedo majorem; ideoq; potest prædicari intellectivum de volitivo dicendo intellectivum est volitivum, sicuti homo est animal: in abstracto nego minorem, quia adhoc sufficit distinctio formalis, animal enim est de quiditate hominis, ideò de ipso verè prædicatur, quamvis non merè abstractivè, quia non valet dicere animalitas est humanitas.

Instabis: Si intellectus & voluntas & quælibet alia potentia essent idem formaliter inter se, una de altera diceretur formaliter in abstracto; ergò quia sunt idem realiter inter se una de altera realiter poterit dici in abstracto, quia quâ ratione sunt aliqua idem inter se, ea ratione semper possunt de se invicem prædicari, quod in Divinis evenire cernimus, nam bonitas de Deo, & de sapientia realiter prædicari potest. Respondeo negando consequentiam, hoc enim non evenit ex ratione identificationis, sed ex eo, quòd abstractio tollat omnem identitatem, adeoq; omnem prædicationem, quod non ita est in Divinis, quia ratione infinitatis habet Essentia Divina identificari sibi omnes perfectiones simpliciter simplices tam in abstracto, quàm in concreto.

X. *Potentiæ tantum formaliter distinguuntur ab anima.*

Dico 3. *Potentiæ solum formaliter distinguuntur ab Anima.* Est Scoti cit. supra.

Probatur: Tum ex dictis de distinctione formali in Logica, tum ratione Scoti. Illa distinguuntur formaliter inventa in uno quæ aliquando in diversis separatim, existentia distinguuntur realiter, sed potentiæ possunt ut sic separatim existere, verbi gratiâ, sensus sine intellectu in bruto, & intellectus sine sensu in angelo; ergo potentiæ tam inter se quàm ab Anima formaliter distinguuntur.

Dices: Nulla est necessitas multiplicandi potentias distinctas, nam omnes effectus poterunt provenire ab eadem Anima, sicut calefactio, induratio luti & liquefactio ab eodem proveniunt Sole. Respondeo negando antecedens, cujus probationem distinguo, possunt plures effectus, vel quasi effectus ab eodem provenire principio, quando effectus non requirunt distinctionem priorem in principiis, concedo; quando requirit, ut productio libera & necessaria, nego; nam in his præexigitur aliqua distinctio in principiis.

XI.

Dices 2. Majoris est perfectionis attingere objectum suum immediatiùs, quàm mediatiùs, sed immediatiùs attingit illa essentia objectum suum, quando nullum mediat etiam formaliter distinctum, quàm quando tale mediat; ergò hæc perfectio etiam est animæ concedenda, adeoq; gratis distinguimus eas potentias ab Anima. Respondeo distinguendo majorem, majoris est perfectionis: ut ly *immediatius* excludat medium à se realiter distinctum, concedo majorem: ut ly *immediatius* excludat etiam medium formaliter distinctum, nego majorem; primum asseruit Scotus nolens admittere distinctionem inter essentiam & potentias, negavit secundum, nam sic esset facere naturam manicam, & non perfectè constitutam in actu primo, in ordine ad suas operationes, cùm enim à natura per potentias determinatas sic constituatur, signum est eas addere aliquam perfectionem.

QUÆSTIO II.

De Actibus Vitalibus.

Disputatione præcedente q. 2 explicuì quid importet vita in actu primo, nunc hîc explicanda erit natura vitalitatis in actu secundo, seu quid sit actus vitalis? pro quo notandum est actus vitales esse in duplici differentia, nam aliqui dicuntur *perfecti*, alii *imperfecti*, hi sunt *Generatio, Nutritio, Augmentatio, Motus localis*, vel progressivus, dicunturq; tales, ex eo quod ultra terminum productum per actionem augmentationis, vel nutritionis potentia nutritiva, vel augmentativa amplius non progrediatur operando, vel agendo vitaliter, tenendo in objectum illud percipiendo, & se vitaliter intentionaliter illi uniendo, prout faciunt actus vitales perfecti, sed sistit in simplici receptione illius absoluti. *Actus vitales perfecti* sunt omnes actus cognoscitivi, & appetitivi sensuum tam externorum, quàm internorum & potentiarum inorganicarum intellectûs videlicet & voluntatis, hoc notato

I. *Actus vitales dividuntur in perfectos & imperfectos.*

Dico 1. *Vitalitas actûs imperfecti consistit in hoc, quod est provenire & produci à principio intrinseco vitali.* Ita Scotus 1. d. 3. q. 7.

II. *Vitalitas actûs imperfecti consistit in hoc, quod sit à principio intrinseco vitali.*

Probatur ex eo 2. d. 8. q. un. F. ubi dicit, quod si corpus assumptum ab angelo nutriretur, vel augmentaretur illa non esset vera nutritio, vel augmentatio; imò sub litt. C. ait: *In tali corpore non esse operationes naturales consistentes in agere & pati, quia illa non sunt natæ recipi nisi in organo saltem perfecti*

perfectè mixto, & ex anima, in quantum habet potentiam perfectivam. Operationes etiam, quæ consistunt in verè agendo, cujusmodi sunt operationes vegetativæ non competunt illi compositio. Per quæ verba clarè excludit similes actiones ab illo corpore, & in ratione principii passivi, quia ibi non est sufficienter receptivum; & in ratione principii activi, cùm actiones vitales quâ tales debeant solùm produci à principio intrinseco, unde si Deus absque actione potentiæ vegetativæ, & nutritivæ nutriret vel augeret, illud corpus non diceretur nutritum, vel augmentatum vitaliter, nam sicut vita consistit in actu primo in habere principium intrinsecum suarum actionum, sic vita in actu secundo consistet, ut sit à tali principio, dicatque essentialem ordinem ad hujusmodi principium, aliàs potentia vegetativa & nutritiva non essent potentiæ vitaliter operantes, neque operationes ipsarum vitales essent, quia cùm terminus productus non recipiatur in ipsa potentia, sed sit ad aliquid productum, caro enim genita per nutritionem non recipitur in potentia nutritiva, & sic non dicerent ordinem, ad ipsam potentiam vitalem, cùm altum ordinem non possent dicere ad potentiam, nisi ratione dependentiæ, ut à principio activo, & nullam aliam etiam habent vitalitatem, quæ si auferretur, jam non essent amplius vitales, licèt essent eadem caro & ossa, &c. quia non essent vitaliter producta.

III. *Actualitas actus reputata vitalis.*

Dico secundò: *Vitalitas actûs perfectè vitalis videlicet visionis, auditionis, intellectionis, &c. non consistit in sola specierum receptione, sed requiritur etiam actio potentiæ vitalis.* Ita Scotus quodl. 13. & in 1. supra.

Probatur primò: Tum authoritate D. Augustini frequenter & 2. Trinit. 5. asserentis *visionem & cognitionem gigni ex objecto & potentia*; Tum Aristotelis 2. an. t. 36. & 37. dicentis: *Animam in genere causæ efficientis concurrere etiam ad operationes sensitivas*, & 2. de sens. & sensib. inquit: *sensibile facit agere sensum*, & 9. Meta. 16. dicit visionem esse actionem, immanentem causatam à visu, ergò.

Probatur secundò: Potest absolutum, saltem de potentia Dei, intellectionis, auditionis, &c. infundi in intellectu alicujus phrenetici, vel dormientis, & tamen neque phreneticus, neque dormiens vitaliter operarentur, neque illæ operationes & actiones dicerentur propriè & proximè vitales, ergò non consistit vitalitas in sola receptione specierum, sed requiritur etiam potentia concurrens.

IV. *Solvitur objectio.*

Dices: Licèt phreneticus & dormiens recipiendo speciem non intelligant, hoc provenire ex impedimento reperto, quòd si tolleretur statim intelligerent. Contra, si formaliter intellectionis vitalitas consisteret in receptione, intellectio non posset impedire, unde quia dealbatio consistit in receptione albedinis, implicat ipsam in subjecto recipi, & subjectum non dealbari. Contra secundò: Hæc specierum receptio non est communis omni actui vitali. Deus namque vitaliter agit, & formaliter intelligit, non tamen in ipso datur receptio utpote quæ imperfectionem involuit adeoque longè abigenda à Deo.

V.

Probatur Conclusio tertiò: Sequeretur ex oppositio quòd unus altero perfectiùs & meliùs intelligere non posset, imò nullum fore judicium falsum, quia species naturaliter agunt, & objectum prout in se est repræsentant, adeoque tam verè, & tam intensè in uno ac in altero agerent, ergò.

VI. *Objectio prima ex authoritate.*

Opponitur Conclusioni pariter authoritas tum D. Augustini 2. Trinit. 2. dicentis: *Sua informatio sensus, quæ visio dicitur, à solo imprimitur corpore, quod videtur*; Tum Aristotelis, qui frequenter alibi potentias passivas appellat; & 3. de anima 2. expressè dicit: *Intelligere esse quoddam pati.* Verùm Respondeo ad D. Augustinum eum per visionem ibi non intelligere actum vitalem, sed speciem objecti, quæ virtualiter visio dici potest, quatenus est causa visionis formalis, sicut 15. Trinit. 10. speciem intelligibilem scientiam vocat. Ad Aristotelem Respondeo distinguendo ipsius dictum; intelligere est quoddam pati, ita ut intellectio in præcisa receptione & passione constat, nego; ita ut etiam activitatem admittat concedo; Itaque dicitur intellectus magis intelligere formaliter per receptionem tanquam per veram formam, nam agendo solùm producit sensationem, patiendo verò recipit tum sensationem, tum speciem objecti, & sic ipsis quodammodo informatur intellectus, sicut non dicitur quis albus præcisè per hoc, quòd in se producat albedinem, sed etiam quia albedinem in se tanquam formam recipit.

VII. *Non importat solam dependentiam à principio vitali.*

Dico 3. *Vitalitas in actibus perfectis non importat præcisè dependentiam causationis quam dicunt ad potentiam, vel principium vitale.* Ita Scotus supra q. 7. §. ad authoritatem Phylosophi. Probatur tum ex eo, quòd Deus posset totaliter producere hujusmodi actus in potentia creata, & tamen Deus non diceretur per hujusmodi actiones vitaliter agere, & operari, seu intelligere, videre, sentire, &c. tum quia Scotus cit. sub Y. dicit, producere intellectionem non esse intelligere, sicut producere albedinem non est esse formaliter album, tum denique, quia potentiam intelligere, videre, est ipsam respicere objectum, sed producendo non respicitur objectum, sed actus, ergò non dicitur sic formaliter intelligere.

VIII. *Non consistit in entitate nudè sumptæ*

Dico 4. *Vitalitas in his actibus non consistit præcisè in entitate, & perfectione nudè sumpta illorum actuum.* Ita Scotus quodl. 13. §. nunc tertio.

Probatur ex eodem, nam ibidem dicit operationem, vel intellectionem non esse ultimam perfectionem, nec hominis beatitudinem, nisi pro quanto unit enti perfectissimo, quia in se inspecta est accidens quâcunque substantiâ imperfectior, ergò in illa ut sic inspecta non potest consistere ultima perfectio, & beatitudo creaturæ, & licèt ibi loquatur de intellectione, & volitione, est tamen eadem omninò ratio de quacunque alia perfectione ultima creaturæ.

Probatur secundò: Potest DEUS illam absolutam entitatem conservare sinè omni subjecto, vel susceptivo, ut patet, cùm non sit potior de uno accidente absoluto, quàm de alio, sed tunc sic conservatum nec esset formaliter vel sensatio, vel auditio, aut operatio vitalis, ergò vitalitas horum actuum, & operationum non potest præcisè importare entitatem illarum.

IX. *Sed in entitate cum respectu.*

Dico 5. *Vitalitas horum actuum consistit formaliter in entitate ipsorum (quæ est qualitas) cum connotatione relationis unionis potentiæ cum subjecto, sive realis ut in creatura, sive rationis, ut in Deo.* Hæc colligitur ex Doctore quodl. 13. §. nunc, cum quo etiam probatur. Quia cùm operatio vitalis cujuscunque creaturæ sit ejus ultima perfectio, ut dixi modò, & ultima perfectio dici non possit nisi in quantum objecto & enti perfectissimo unitur, ergò debet operatio vitalis importare & entitatem, & relationem; subsumo sed non potest intrinsecè æqualiter utramque importare, quia alioquin non esset unum ens per se, sed per accidens, ergò unum importabit pro formali, & alterum pro connotato; Et quia non potest pro formali dicere respectum, tum quia hic imperfectissimus est, quamvis ultima creaturæ perfectio imperfectissima non sit, tum quia nullum relativum ingreditur essentiam pro formali alicujus absoluti, ergò pro formali importabit entitatem, pro connotato relationem.

X. *Actus vitalis quomodo sit actio?*

Dices: nullum ens consistit in fieri & successione præcisè, nisi sola actio, sed actus vitalis consistit in fieri & successione, est enim immanens, durans quamdiu durat actio, ergò actus vitalis consistit præcisè in actione, vel aliquo alio respectu. Sed ut Respondeam, nota actionem habere tres conditiones, prima est quòd sit in continuo fieri id est quòd æquè ab agente pendeat tam in principio, quàm in fine. Secunda quòd sit circa aliquod receptivum, tertia denique quòd habeat terminum productum, quare negatur minor. Arguitur enim ab una conditione ad omnes, actus vitalis assimilatur actioni in prima & secunda conditione, non in tertia, quæ est completiva rationis formalis actionis.

Instabis: Aristoteles 5. Metaphys. 20. docet relationem tertii modi esse tantùm in substantia alterius extremi, sed actus vitalis est relatio tertii modi respectu sui objecti, ergò in sua substantia & essentia secundùm omnes conditiones erit relatio, sed non alia, quàm actionis; ergò. Respondeo explicando Aristotelem, scilicet, eum tantùm velle tertii modi relationem fundari tantùm in substantia unius extremi, quia non est mutua ad oppositionem relationis secundi & primi modi, quæ fundantur in ambobus extremis, non autem, quòd sit de intrinseca ratione substantiæ illius extremi.

XI. *Nihil melius dicitur quàm qualitas.*

Dixi in Conclusione, *Entitatem illorum actuum esse qualitatem*, nam nihil aliud congruentius statui potest, quod produceretur per actionem potentiæ vitalis; non enim est substantia, nam abest & adest; nec quantitas, utpote quæ in solis reperitur corporibus etiam non viventibus; nec actio vel passio; nam actio & passio per se non accipiunt esse, sed alia per ipsa dicuntur esse accipere, nam actio est idem secundùm quam, in id, quod subjicitur, agere dicimur, ergò non potest esse actio nisi aliquod subjectum patiatur, sed nihil patitur nisi mutetur recipiendo in si aliquam novam formam, ergò ista nova forma non potest esse actio, sed accipit esse per actionem. Ex quo colligitur, qualitatem illam tres includere respectus, duos ad potentiam, scilicet producti ad producens, & recepti ad recipiens; & tertium ad objectum, ad quod tendit, vocaturque tendentiæ vel attingentiæ, unde etiam potentia ab actu tripliciter denominatur, *Productiva, Receptiva, & Operativa; Productiva*, quia activè ad actum concurrit; *Receptiva*, quia eundem recipit; & *Operativa*, quatenus virtualiter per actum percipit & attingit objectum. Colligitur secundò omnes potentias tam internas, quàm externas sensitivas esse verè activas, & passivas; activæ, quia alioquin ut dixi non esset ratio cur sensatio non produceretur in speculo, aut aëre, quandoquidem in iis recipiuntur species, passivæ quia sensatio est actio immanens, ergò debet recipi in potentia à qua producitur. Sed

Quæres: *Quomodo intelligendum sit illud Philosophi* 2. an. 33. *Potentiæ distinguuntur per actus, & actus per objecta?* Ratio dubitandi est, nam per quod aliquid distinguitur ab alio, per hoc etiam essentialiter constituitur, si sit distinctio essentialis, unde est idem, ac quærere quod alii fusiùs proponunt, an potentiæ specificentur per actus, & actus per objecta? Quo præmisso Respondeo nec distingui, nec essentialiter specificari, & intrinsecè, potentias per actus, & actus per objecta, nam hoc vel deberet intelligi, quasi objecta sint constitutiva & distinctiva formalia actuum, & actus potentiarum, vel quasi ordo potentiæ ad actum, & actus ad objecta, sit eis essentialis & intrinsecus, ratione cujus habeant rationem differentiæ ultimæ, sed neutrum dici potest; non primum nam actus est totaliter distinctus à potentia, & objectum est extra actum omninò, ergò non possunt esse intrinseca constitutiva formalia: non etiam secundum, quia actus vitales pro formali dicunt entitatem absolutam potentiæ verò licèt formaliter sumptæ, ut dicunt relationem principii ad operationes principiatas, sint res relativæ, si tamen fundamentaliter spectentur, prout dictam fundant relationem, prout sic muntur quando dicuntur perfectiones & facultates animæ, sunt res absolutæ, realiterque identificantur animæ. Itaque potentiæ distinguuntur & specificantur solùm per actus, & actus per objecta à posteriori, & ab extrinseco, manifestando eos, quoniam semper notior est distinctio objectorum quàm actuum & actuum quàm potentiarum.

XII.

Dices: Hoc esse immediatè contra Philosophum qui dicit quòd *priores sint potentiæ actu; actu* ergò non loquitur de distinctione à posteriori, sed à priori. Respondeo 1. cum Bargio 1. d. 2. p. 2. §. Et nunc ad aliud; dictum allegatum non haberi apud Aristotelem sic in terminis, sed verba ejus esse, priores enim potentiæ

tentiis actus, & operationes secundùm rationem sunt, ubi secundùm rationem idem valet, quod secundùm ordinem cognoscendi & notificandi, quatenus scilicet nobis citiùs innotescunt actus, quàm potentiæ, ut exponunt textum etiam plures alii teste Mastrio. Verùm Respondeo secundò cum Scoto, quòd licèt concedatur authoritas, prout usurpatur communiter, quidem ex ea deduci distinctionem actuum ex distinctione objectorum, non tamen ex unitate objecti inferri semper unitatem actûs & potentiæ, quod tamen necessarium esset cùm investigemus tam distinctionem actuum & potentiarum, quàm indentitatem earundem, unde responsionem declaro exemplo, de motu & ejus termino, si enim terminus est distinctus, bene infertur distinctio motûs, si verò terminus sit idem, non necessariò infertur identitas motûs, nam idem omninò *ubi* potest acquiri diversis motibus secundùm speciem, ut à motu circulari & à motu recto, & à diversis principiis ut ab elemento & mixto.

DISPUTATIO III.
DE HABITIBUS.

Quoniam, ut ex dicendis in eadem hac Disputatione patebit, tam potentiæ, quàm membra externa acquirunt facilitatem ad actus suos eliciendos habitum *dictam, qui partialiter & effectivè, ad actus cum potentia concurrunt, hinc duxi consultum fore antequam ad potentias, earumq. actiones descendam, priùs eorum hic naturam considerare, unde sit*

QUÆSTIO I.

An dentur habitus naturales, & quid sint?

1. Introductio ad quæstionem.

Prima pars hujus quæstionis difficultatem non habet, nam dari habitus naturales (de iis enim mihi tantummodò in hac Disputatione est sermo) communis est sententia cum Scoto 1. d. 17. q. 2. §. Tenendo tertiam viam. Ubi dicit eandem potentiam habituatam eodem conatu ad actum concurrentem, intensiorem producere actum, quàm non habituata, quæ major intensio non potest provenire à principio passivo, & à majori dispositione ipsius potentiæ proveniente ab habitu, quia in illo priori instanti naturæ in quo intelligitur elici ille actus intensior (quoniam semper intelligitur priùs elici quàm recipi) si non esset perfectior & intensior in ratione principii activi, nunquam posset intensior elici, quia talis elicitur à potentia qualiter est in actu primo, & hæc sufficiant pro hac parte. Progrediendo autem ad secundam partem, aliqui habitum dicunt esse, qualitatem intrinsecam, juvantem potentiam ad operandum; verùm hæc acceptio nimis communis est, convenit enim calori ignis, speciei impressæ, & aliis qualitatibus tenentibus se ex parte causæ agentis: Alii dicunt habitum esse qualitatem non à natura productum, sed acquisitum juvantem agens cognoscitivum ad operationes suas, sed hæc etiam non subsistit, quia complectitur species impressas, & cognitionem, quæ juvant voluntatem ad amandum, verbi gratia: Alii quòd sit qualitas intrinseca elevans, vel facilitans potentiam ad operandum; sed nec hæc placet, nam primò est divisio potiùs, quàm definitio, cùm amplectatur tam naturales habitus, quàm supernaturales, cùm tamen solummodo loquamur de habitibus naturalibus. Quare omissis his & similibus acceptionibus

Habitus non est sola dispositio.

II. *Definitur habitus intellectualis ex Patribus.*

Dico primò: *Habitus intellectualis, & moralis bene describitur, quòd sit affectio animi longo tempore perseverans, usu roborata, atq. firmata.* Ita D. Augustinus in terminis Categ. 12. quoad primam partem & lib. 83. quæst. q. 73. quoad secundam, ubi etiam specificat de quibus loquatur habitibus, *ut est virtus & disciplina quæ perseveratione sui & perpetuitate temporis æstimantur* (augentur) *nisi fortè eas languor corporis aliquis & casu injecta debilitas amputaverit*: Nec potest esse aliqua difficultas, si accipiatur ly *affectio* pro qualitate, sicut accipit ipse Aristoteles. Similiter definit habitum D. Bernardus tract. de grat. & lib. arb. c. 6. ubi ait: *Nihil esse virtutes nisi ordinatas affectiones.* Et quamvis hæc definitio posit accommodari etiam habitibus ut sic, si loco *animi* ponatur *subjectum*, verùm quia alias quasdam particulas supponunt Sancti Patres, expresè eas addendo definio habitum ut sic, &

III. *Definitur habitus ut sic.*

Dico secundò: *Quòd sit qualitas quædam de prima qualitatis specie permanens, disponens subjectum, non quidem ad simpliciter agendum, sed ad promptè, faciliter, & expeditè agendum ex frequentatione actuum acquisita.* Ita Scotus 4. d. 6. q. 10. O. potestque deduci ex D. Augustino supra, & D. Bernardo Epist. 1. ad Robertum Nep. dicente. *Usu tollit difficultatem, invenitq. facilè esse quod ante impossibile putavit.* Et lib. 1. de Consid. cap. 2. *Quid non evertat consuetudo, quid non assiduitate duretur? Quid non usus cedat? Primum tibi importabile videtur aliquid, processu temporis si assuescas judicabis non adeò grave, paulò post & leve senties, paulò post & delectabit.* Qui reverà sunt gradus acquirendi habitum ejusque perfectissima munia nempe, facilitare & delectare etiam. Et serm. 14. de diversis elegantissimè vim consuetudinis quæ est habitus describit asserens: *Industriam violentiâ potiorem esse*, & pene alteram naturam. Probatur per explicationem. Dicitur *Qualitas*, per quod convenit cum aliis, habetque locum generis, quòd

quòd verò ad hoc prædicamentum collocetur ideo est, nam est activa adeoque in nullo melius reponi potuit. Dicitur *de prima qualitatis specie*, quia in illa specie ponuntur qualitates quæ subjectum disponunt ad agendum & proveniunt ab extrinseco, quæ enim ab intrinseco proveniunt, ut potentia & impotentia in secunda specie, sed sic evenit de habitu. Dicitur *permanens*, ad differentiam actuum, qui citò transeunt. Dicitur *disponens*, ut explicetur munus ipsius, & ad differentiam qualitatum non sic disponentium, nec curatur illa particula *Benè* vel *Malè* ex Aristotele 5. Met. 25. quia sufficit assignare genus actionis, licèt non descendatur ad species, quia sic potiùs esset habitûs divisio in bonum & malum. Dicitur *non ad simpliciter agendum*, quia sic esset potentia, non habitus, cùm sola potentia sit sic necessaria ad agendum, non verò habitus, potest namque intellectus & potentia interior, suppositâ sola specierum excitatione, absque ullo superaddito habitu, agere, imò, non minùs necessariò agunt suppositâ tali excitatione quàm oculus videat proposito objecto: Unde excitatis speciebus intellectûs nullo habitu indiget, licèt fortè indigeret ad excitandas species. Dicitur *Ex frequentatis actibus acquisita*, quia habitus, vel fit ex pluribus actibus, vel ex uno solo intensissimo omnibus illis actibus æqualiter correspondente, & ad differentiam habituum supernaturalium, qui à solo Deo infunduntur, nec inclinant, vel disponunt potentiam ad promptè & faciliter operandum, ut patet de peccatore noviter converso, qui licèt habitum supernaturalem habeat, tamen difficultatem patitur in operando. Dicitur denique *in potentiis animæ*, quam particulam fusiùs quæstione sequenti conclusionibus explicabo. Interim pro adversariis

IV. *Non convenit speciei impressæ simpliciter.*

Arguitur: Hæc definitio convenit etiam speciei impressæ intelligibili, ergò non est bona; patet antecedens, nam species intelligibilis est fixa & permanens, non minùs quàm habitus, sed explicui habitum per permanentiam tanquam per differentiam distinguentem habitum essentialiter ab actu, ergò convenit speciei impressæ etiam, licèt species intelligibilis sit essentialiter distincta ab habitu. Ad hanc oppositionem responderi posset primò licèt una particula conveniat speciei, non conveniunt tamen omnes, adeoque difficultas foret soluta, verùm ad intentum adversariorum Respondeo secundò, speciei intelligibili convenire permanentiam, seu esse fixam & permanentem per accidens sicut etiam per accidens posset dici habitus, nam licèt species non permaneret, adhuc esset ratio cognoscendi & repræsentandi objectum, unde in forma Respondendo negatur antecedens, & distinguitur major, est æquè fixa & permanens ac habitus per accidens concedo, per se nego. Sed

V. Instatur: Differentiæ contrahentes rationem qualitatis, ad qualitatem quæ est habitus, & ad eam quæ est species, debet ita distingui sicut distinguuntur habitus & species intelligibilis, ergò differentia per se unius non potest per accidens competere alteri, ut rationalitas, quæ est differentia contrahens animal ad hominem, non potest per accidens competere bruto. Respondeo distinguendo consequens, ergò differentia per se unius non potest per accidens competere alteri, ut ly *competere* dicit inhærens & inhærentiam simul concedo, quia tunc sensus est, quòd differentia essentialis habitûs quæ est permanentia aliquo modo insit ipsi speciei, sive per se, sive per accidens, nam sic sunt ita incompossibiles ut irrationalitas & rationalitas; si ly *competere* dicit solùm inhærens nego, quia sic sensus est, quòd permanentia est prædicatum, quod accidentaliter dicitur, de specie intelligibili, & hoc voluit dicere Scotus 2. d. 3. q. 10 §. ad quæstionem, dum de speciebus loquens dixit. Etsi ab aliquibus dicantur habitus per hoc exprimuntur ut per accidentia speciei, nam ratio habitûs accidit speciei prout species est in intellectu, à quo non de facili deletur & ideo habet rationem habitus, quia rationem formæ permanentis, sed hoc non dicitur in quid de hac qualitate sicut habitus non dicitur in quid de specie.

Urgetur: Ideo rationale non potest etiam per accidens convenire bruto, quia est differentia per se hominis, sive ly *convenire* & *competere* dicat inhærens & inhærentiam simul, sive inhærens solùm, ergò si permanentia est differentia essentialis habitûs, nullo modo potest competere speciei. Respondeo distinguendo antecedens, quia est differentia essentialis præcisè nego, nam sic probaret argumentum, quòd nulla differentia posset competere opposito; quia est differentia quæ non competit nisi quatenus competere simul dicit inhærens & inhærentiam concedo, hoc tamen non verificatur de differentia essentiali habitûs permanentia scilicet, quia est differentia competere potens alicui per se & alicui per accidens ad modum practici & speculativi, quæ licèt sint differentiæ essentiales scientiæ vel saltem illas nobis circumscribant, possunt tamen eidem competere diversimodè, ut Scotus q. 5. prol. §. Si quæris notat, nam scientia contingentium ex objecto per se dicitur speculativa, per accidens verò & à voluntate divina dicitur practica.

QUÆSTIO II.

De subjecto habituum?

Duæ difficultates in hac quæstione sunt examinandæ, prima est, an videlicet habitus subjectentur immediatè in anima, an verò in potentiis? Et hæc difficultas maximè locum habet de habitibus intellectûs & voluntatis tam naturalibus, quàm supernaturalibus. Secundò quæritur, supponendo quòd in potentiis subjectentur, in quibusnam potentiis? Antequam resolvam aliquid, Notandum, habitum poni ad hoc, ut illud in quo est, faciliùs, promptiùs, citiùs, & intensiùs operaretur, non propter dicta omnia collectivè sumpta, aliquin non posset poni in potentia in instanti ex natura sua operante cum habituata non posset citiùs instante operari; neque posset poni in potentia nullam sentiente difficultatem in operando ponitur

ponitur itaque habitus propter unam ex dictis conditionibus, si enim est potentia indeterminata ad plura ponitur habitus, ut ad unum faciliùs & promptiùs determinetur; si est ad unum determinata nec ullam patitur difficultatem, potest poni habitus, ut ipsa intensiùs & perfectiùs operetur, & pertingat ad perfectionem sui actûs, ad quem se solâ pertingere non potest. Notandum secundò: Scotum 2. d. 3. q. 10. post Philosophum tenere in summè determinatis non dari habitum. His itaq; notatis ad primum quæsitum

II. *Subjectantur in potentiis anima.*

Dico 1. *Habitus immediatè subjectantur in potentiis Animæ, non in ipsa anima.* Ita Scotus 2. d. 16. q. 1. H. &. 3. d. 33. q. un.

Probatur Conclusio: Habitus datur cuicunq; rei propter operationem; ergò subjectatur immediatè in illa, quæ immediatè operatur, subsumo sed Anima non immediatè operatur, sed mediantibus, potentiis; ergò habitus non subjectantur in Anima, sed in potentiis; patet subsumptum, quia alioquin omnes operationes essent ejusdem rationis, adeoq; una non dimanaret ut libera, altera ut necessaria, nam Anima præscindendo ab intellectu & voluntate est ejusdem rationis.

III. *Habitus & potentiæ sunt diversimodè instrumenta.*

Arguitur contra Conclusionem: Instrumentum non debet recipi in instrumento, sed potentiæ sunt tam benè instrumenta, quàm habitus; ergò habitus non poterunt recipi in instrumentis, seu potentiis adeoq; immediatè subjectabuntur in Anima. Respondeo distinguendo minorem, potentiæ sunt instrumenta Animæ in largiori acceptione pro omni eo capiendo, quo causa principalis utitur in agendo concedo; in rigore nego minorem; nam ipsæ potentiæ attingunt immediatè ipsam actionem Animæ, & sufficit quòd Anima dicatur Deo grata, quòd gratia existat in potentia, quæ non est realiter distincta ab ipsa Anima, secùs esset si potentia esset distincta realiter.

Instatur: Si operatio potentiæ immediatè reciperetur in potentia, & non in Anima sequeretur potentias non esse solùm rationes ipsi Animæ producendi intellectionem verum etiam recipiendi, sed hoc est inconveniens, ergò; Probatur minor: Quia idem quod est principium *Quod* alicujus actionis, non potest esse principium *Quo*, ergò. Respondeo negando minorem, ad cujus probationem dico, quod licèt intellectus sit principium quo Anima intelligit, seu producit intellectionem, & principium *quod* recipit intellectionem, dicitur q; intelligens, hinc tamen non sequi, quòd sub eadem ratione respectu ejusdem actionis dicatur principium *Quod* & *Quo*; nam principium *quo* est ipsa natura intellectûs, principium verò *quod* est ipsa natura intellectûs hæcceizata, quare semper in principio *quod* includitur aliquid, quod non includitur in principio *Quo*.

Urgetur: Natura intellectûs non est principium *quo*, seu ratio formalis agendi ipsi Animæ, ut sic abstractè concepta, sed solùm quatenus est à parte rei & singularizata; ergò sub eadem ratione esset principium *quod* & *quo*. Sed respondeo distinguendo antecedens: Intellectus ut sic præcisè inspectus non est ratio formalis agendi, sed ut singularis quasi singularitas esset ratio aliqua pertinens ad principium *quo*, nego antecedens; quatenus singularitas indispensabiliter sequitur quamcunque rem à parte rei existentem concedo antecedens. Ut ad secundam difficultatem descendam

IV. *In rebus summè determinatis non datur habitus.*

Dico 2. *In rebus summè determinatis inanimatis non datur habitus.* Ita Scotus 2. d. 33. q. un. D. dicens *A puris agentibus naturalibus omnes removemus habitus, quia ex se sunt summè inclinata*; quod cùm non possit intelligi de omnibus omninò agentibus naturalibus, nam intellectus agens naturale etiam est & tamen habitus capax, convenienter accipitur pro omnibus inanimatis.

Probatur secundò experientiâ: Quia videmus, quòd in lapide ex continua & frequenti descensione deorsum, non generetur habitus, magis ipsum lapidem disponens, nec ex frequenti reiterata impulsione ad ubi sursum magis habilis efficitur, quin semper patiatur in tali motu violentiam; Idem caliditas, frigiditas & quælibet alia forma naturalis ex replicatione suorum actuum nunquam faciliùs, vel promptius operatur, adeoq; nec habituatur, aliàs intenderet suum subjectũ ultra propriam virtutẽ.

V. *Non dantur habitus in omnibus potentiis externis.*

Dico 3. *Non in omnibus potentiis externis dantur habitus.* Est ex Recentioribus contra Mastrium & Pontium, ac Scotistas communiter.

Probatur primò Authoritate Aristotelis 2. Ethic. 1. *Non enim ex eo, quod sæpè vel vidimus, vel audivimus sensum & videndi, & audiendi accepimus.*

Probatur secundò: Quia videmus, quòd ex reiteratione plurium visionum non fiat oculus magis, vel minùs habilis ad videndum idem objectum, quia oculus est summè determinatus ad tantam visionem, ad quam sine habitu pervenire potest quamvis oculus ex imperio voluntatis modò intensiùs, modò remissiùs idem possit intueri objectum. Et licèt aliquando ex usu possint aliqua objecta placere, quæ antea displicuêre hoc non provenit, quòd in oculo generetur habitus, sed sit per habitum genitum in apprehensione vel majori imperio voluntatis. Quòd si quæras in quibusnam potentiis externis possint admitti habitus. Respondeo, quòd in illis, quæ ex se non sunt summè determinata ad certam perfectionem, ad quam se solis provenire non possunt, unde probabiliter existimo, quòd in potentia activa & gustativa admitti possint habitus, nam experientiâ scimus, quòd aliqui ex multis frequentatis actibus gustandi vina, talem acquirant facilitatem, ut facillimè non tam meliora à se invicem, sed etiam quarum sint provinciarum discernere possint, quod alius non præstabit, qui tales non frequentaverit actus, licèt omne adhiberet imperium voluntatis, narratur etiam de aliquo Cœlo, qui tactu solo ligna secundùm speciem diversa exactè cognovit, de potentia verò visiva, auditiva & etiam olfactiva tum propter authoritatem supra, tum propter summam determinationem omnem puto excludi debere habitum.

VI. *In potentia vegetativa admitti potest habitus.*

Dico 4. *In potentia vegetativa, seu hominum, seu brutorum admitti posse habitum.* Est contra Mastrium & Pontium. Est tamen Scoti 2. d. 3. q. 10. K. ubi dicit, habitum generari ex actibus frequentatis in potentiis de se indeterminatis.

Probatur primò: Forma non æqualiter determinata circa omnia sua objecta indiget, vel saltem potest per habitum determinari, sed potentia nutritiva non est æqualiter determinata circa omnia sua objecta, ergò: patet major, quia hæc est una ex principalioribus conditionibus, ob quas habitus admittantur; probatur minor, quia potentia nutritiva non agit æqualiter in omne alimentum, in substantiam aliti convertendo, facilius enim convertit carnes, quàm pisces & inter carnes quæ sunt meliores, sed alimentum est objectum, ipsius ergò non est æqualiter determinata ad unum potiùs, quàm aliud; consequenter poterit per habitum determinari ad convertendum hoc & non illud; Quod Confirmatur, quia aliqui ex frequentatis actibus magis & facilius nutriuntur cibis grossioribus, quàm delicatioribus, sed hoc provenire non potest nisi ex assuefactione & habitu acquisito ad convertendum potiùs hunc cibum crassum, quàm alium delicatum.

Probatur secundò: Quotiescunq; potest aliqua potentia adjuvari, ut fortiùs agat in suum objectum, est habituabilis, cùm congruentiùs sit ipsam adjuvari ab inexistente sibi causa, quàm à causa omninò extrinseca, sed potest potentia nutritiva adjuvari à causa extrinseca, ut à calore externo medicinali vel alio; ergò potest etiã à causa sibi inexistente adjuvari.

VII. *Habitus potest in nutritione attingere cibum.*

Dices: Habitus est accidens; ergò non potest concurrere cum potentia nutritiva, eamq; inclinare ad nutritionem, utpote quæ est substantialis, ergò. Respondeo quòd licèt habitus ille non posit in tantum concurrere, ut cum potentia nutritiva attingat substantiam, sufficit tamen ut admittatur habitus, quod attingat disponendo alimentum & cibum. Et quamvis ut supra dixi, ad qualitates non detur habitus, neque ex earum actibus generetur, si tamen qualitas & habitus sumantur pro eodem potest dari ad eam habitus.

VIII.

Dices secundò: Potentia nutritiva per habitum parcè comedendi debilitatur; ergò non potest ad eam dari habitus, qui non debilitat, sed facilitat. Sed contra: Intellectus & voluntas pro hoc statu & quælibet alia potentia ex continua actione debilitatur, & tamen habituatur; ergò propter debilitationem, quæ sequitur ex continua nutritione, non debet negari potentiæ nutritivæ habitus, quod autèm debilitetur, non oritur ex habitu, sed ex aliis, quæ aliquando deficiunt, ut calor naturalis, humidum radicale, spiritus vitales &c.

IX. *Item in potentia loco motiva.*

Dico 5. *In potentia motiva brutorum & hominum datur habitus.* Ita Scotus 3. d. 33. q. un. Et post ipsum Vulpes, Lychetus, Tartaretus, contra Mastrium.

Probatur authoritate Scoti supra §. ad tertium, ubi habetur: *Conceditur quòd in parte corporis potest esse virtus & habitus sicut patet in manu scriptoris & pictoris, manus enim mea inexercitata inhabilis est in illa facultate, quæ est ad cythariz-andum, habilis autem est exercitata, quod non esset nisi habilitate inhærente manui, quæ habilitas conceditur esse quædam virtus. Conceditur autem hoc ulterius de irrationali ut de equo ad actum quosdam ad quos est assuefactus, sed in mere inanimatis non invenitur.*

Dices cum Mastrio: Illam habilitatem esse meram impedimenti ablationem, sic ut in instrumentis quibusdam contingit, quæ ab initio non ita inserviunt, sicut postea, postquam magis attemperantur & disponuntur. Contra, tum quia Scotus vocat illam habilitatem virtutem, ablatio autèm impedimenti, neque virtus est, neq; qualitas, sed est quid mere negativum; tum quia dicit, quòd inhæreat manui.

Probatur Conclusio secundò, tum experientiâ Pictorum, Scribarum, Organariorum &c. qui faciliores sunt post longum exercitium, & multos frequentatos actus ad pingendum, scribendum, ludendum, quàm erant in principio, quod aliunde provenire non potest quàm ab habitu; tum equorum exercitatorum ad pugnandum, & assuefactorum ad portandum triticum ad molendinum, ubi priores promptissimi aggrediuntur inimicum, posteriores verò exactiores sunt adferendæ oneri, quàm ad pugnandum. Et quamvis difficile sit assignare causam horum habituum, existimo tamen, citiùs quemq; fateri debere se ignorare causam, quàm negare habitus, qua hoc est negare sensum & carere ratione. Deinde posse etiam dici solam potentiam esse causam totalem, & quamvis hoc difficilè sit, impossibile tamen non est, fortè enim non omnes habitus exigunt produci ab actibus, sed tantùm determinatarum specierum.

Dices: Illam facilitatem oriri ex dispositione membri, & subordinatione ejus ad phantasiam & appetitum non ab habitu. Sed contra: Quia videtur inexplicabile quomodo ex sola membri dispositione, verbi gratia manûs, posset fieri, ut digitus organarii clavem nunc hanc nunc illam etiam remotissimam, tum punctualiter tangat, licèt ex dispositione corporis major posit oriri motûs velocitas. Contra secundò: Musici dum optimè ludunt frequentissimè versantur circa alia objecta, ita ut totaliter sint distracti, nec sciant quid, vel quomodo lusernt, ita ut taliter secundò, attendentes etiam, tangere non posint, & tamen tunc ut sic distracti optimè lusêre; ergò non potest illa facilitas oriri ex subordinatione ad phantasiam. Sed contra Conclusionem directè à Mastrio

Opponitur alia authoritas Scoti 4. d. 41. q. 10. G. ubi loquens de agilitate corporis gloriosi, negat agilitatem esse habitum quendam reddentem corpus aptius ad velocitùs & expeditiùs se movendum, sed solam duplicis impedimenti ablationem, quæ erat in junctura & organis membrorum & humorum crassorum, qui in toto corpore erant, loco quorum dabuntur spiritus subtiles & addit rationem, quia non potest dari aliqua qualitas, quæ sit indifferens & indeterminata ad tot diversa ubi, ergò. Sed respondeo concedendo talem qualitatem tam indifferentem dari non posse, sed dico

dico habitus dari ad determinatos actus, unde non implicat dari etiam in beatis habitus diversos ad diversa ubi. Respondeo secundò: Scotum ibi non loqui de motu artificiali, & cum certo ordine, sed de motu naturali organico, cujus velocitas provenire potest & provenit in corpore glorioso: ex amotione talium impedimentorum, & collatione subtilium spirituum. Quòd si etiam loqueretur de motu artificiali, & cum certo ordine non est paritas de corpore glorioso & mortali, quia virtus motiva animæ pro hoc statu est imperfecta, & ideò potest per habitus perfici & intendi, in beatis verò est perfecta & intensa, adeoq; superflueret habitus.

XIV. *Similiter in potentiis rationalibus.*

Dico 6. *In potentiis rationalibus & sensitivis internis, sive hominum, seu brutorum, dantur habitus.* Ita D. Augustinus lib. 83. qq. q. 30. ubi ait: *Bruta animantia consuetudine fieri cicurata & domita.* Estquè communior Scotistarum contra Arriagam &c.

Probatur quoad potentias rationales ex eo, quia videmus intellectum & voluntatem ex consuetudine & actuum replicatione facilitari circa propria objecta, quod aliunde provenire non potest, quàm ab habitu, ergò.

XV. *Facilitas illa non potest non eximperio voluntatis.*

Dices: Facilitatem hanc in intellectu oriri tum ex Imperio voluntatis, in voluntate verò ex vehementiori cognitione, adeoq; non ab habitu. Sed Contra primum, qualecunque Imperium voluntatis accedat, si potentia intellectiva non est habituata non eliciet perfectiorem & intensiorem actum & è contra, licèt minimum aut parvum saltem (vel stante eodem voluntatis imperio) accedat, post longam actuum frequentationem sentimus majorem intelligendi facilitatem; ergò illa facilitas non ab imperio, sed ab habitu proveniet. Contra secundum: In Christo Domino fuerunt intensissimæ species mali & vehementes cognitiones, & tamen in eo nullus inventus est dolus habituatus aut habitus prosecutionis alicujus mali; Deinde multi afficiuntur quibusdam vanitatibus ex consuetudine, quas tamen minùs pulchras judicant, & quidem in tantum ut ab iis difficillimè retrahi possint, & facillimè ad eas inclinentur.

XVI. **Probatur Conclusio secundò** ex Aristotele lib. de Mem. & Remin. cap. 3. asserente, consuetudinem multùm conferre ad benè memorandum. Sed Contra

XVII. **Dices:** Illam facilitatem non provenire ab habitu, sed ex eo, quia spiritus puriores gignuntur, & organum ipsum expurgatur excrementis. Sed Contra, possunt acquiri puriores spiritus & etiam ipsum organum expurgari medicamentis, sed factâ tali expurgatione non sentiretur adhuc major facilitas; ergò illa non ab expurgatione, sed ab habitu provenit.

XVIII. *Probatur de brutis.*

Probatur Conclusio etiam de brutis, tum exemplo equi exercitati supra, tum ex Aristotele 1. Met. 1. Brutis quodammodo prudentiam & disciplinibilitatem convenire dicente; tum denique ex D. Augustino supra.

XIX. *Objectio prima.*

Opponitur Contra particulam illam quod in voluntate detur habitus; Habitus agit naturaliter; ergò non potest esse in voluntate; Probatur consequentia: Quia voluntas est indifferens ex se ad actum & ad suspensionem, sed habitus non est sic indifferens; ergò non potest esse in voluntate: Probatur minor; Quia nullum quod naturaliter agit, est sic ad opposita indifferens. Respondeo primò distinguendo antecedens, Habitus agit naturaliter ita ut non subordinetur potentiæ nego; cum tali subordinatione concedo; quarè licèt voluntas esset habituata, habitus maneret sub ejus imperio, ipsaq; esset æquè indifferens ac ante, quamvis faciliùs se determinaret ad objectum circa quod esset habituata, quàm si non esset habituata, quarè tunc se etiam majori cum delectatione & conamine illi uniret, adeoq; intensiorem eliceret actum. Respondeo secundò distinguendo antecedens, non potest esse habitus in voluntate determinans ad suum actum ad eundemq; Physicè pertrahens voluntatem concedendo, qui ageret ipsam moraliter disponendo & alliciendo, nego consequentiam.

XX. *Objectio secunda.*

Opponitur secundò: Contra intellectum sic: Habitus subjectatur in potentia indifferente; ergò in intellectu talis non datur; antecedens est nostrum; probatur consequentia, intellectus est potentia naturalis, determinata, agens in quantum potest & secundùm totum suum conatum, utpote sicut in cujus potestate non est agere, ita nec est sic vel sic agere; ergò non potest in ea dari habitus, probatur consequentia, quia habitus non potest elevare potentiam supra vires suas, quia tunc non esset habitus illius potentiæ, sed aliam omnino constitueret, ergò. Respondeo concedendo antecedens & negando consequentiam, cujus probationis consequens distinguo, non potest dari habitus concurrens cum ea majori naturalitate concedo; concurrens ad perfectiorem actum quem sine habitu non poterat attingere nego consequentiam: cujus probationis antecedens etiam distinguo, Habitus non potest elevare potentiam supra vires suas quoad rem, elevando scilicet ut feratur extra proprium objectum concedo; quantum ad modum nego, nam habitus supernaturalis elevat intellectum ad videndum DEUM, quem non habituatus videre non potest; habitus naturalis elevat & adjuvat ad eliciendum actum ut sex, quem non poterat non habituatus elicere, nam habitus & potentia integrant unam causam totalem perfectiorem quàcunque partiali.

QUÆSTIO III.

De Causa & Causatione habitûs.

I. *Actus est perfectior habitu.*

In hac Quæstione Examinabo tam quomodo habitus producatur, quàm quomodo ipse concurrat sed producendos actus? Itaq; ad primum veniendo difficultas est, an actus sint causa totalis habitûs, vel ipsa potentia? vel an sint causa partialis, ita ut

æqualiter cùm potentia concurrant? Pro quo Notandum est, actum esse simpliciter perfectiorem ipso habitu, tum in ratione perfectionis finalis, quia immediatiùs attingit objectum finale; tum in ratione perfectionis formalis, quia nunquam potest convenire tanta perfectio habitui in summo, quanta convenit actui tali in summo, nec hoc videri debet inconveniens eò quòd habitus sit causa ipsius actûs, quia non est nisi causa partialis, minùs principalis, quare solùm totalis causa & principalis ac æquivoca est perfectior suo effectu. Hoc præmisso

II. *Habitus totaliter producitur ab actibus.*

Dico 1. *Habitus producitur totaliter ab actibus sibi similibus, ad quos inclinat, à potentia verò non nisi remotè.* Ita Scotus 1. d. 17. q. 2. §. Ad argumenta V. Dixi à potentia verò non nisi remotè, in quantum scilicet ipsa producit actum, qui postea est causa habitus. Probatur: Si potentia simul cum actu proximè produceret habitum, sequeretur quòd causa libera, verbi gratiâ, voluntas posset producere effectum primum videlicet actum non producendo effectum secundum, nempe habitum, sed hoc est falsum, ergò potentia non concurrit proximè, adeoque actus solus erit causa habitûs; Patet sequela majoris, quia ex eo quòd causa libera concurrat ad unum effectum, non propterea statim necessitatur ad concurrendum ad alterum; probatur minor, quia voluntas eliciens actus justitiæ, verbi gratiâ, quantumcunque vellet, quòd non sequeretur ex reiteratis actibus justitiæ habitus, adhuc tamen habitus justitiæ produceretur, & quando habitus est productus, quantumcunque vellet ipsum destruere, non posset nisi per positionem actuum contrariorum destructivorum, ergò. Undeait, Scotus 1. d. 12. q. un. G. & d. 13. q. un. H. Quidquid generat ipsa volitio generat naturaliter, unde habitus appetitivi virtute actuum appetitûs ita generantur naturaliter ex eis sicut habitus intellectivi generantur naturaliter ex intellectionibus, ergò potentia non concurrit proximè ad producendos habitus. Et quamvis hic egerim tantùm de habitibus voluntatis, eadem tamen est ratio de omnibus aliis quarumcunque potentiarum, quare si Scotus alibi concedere videretur tam actum, quàm potentiam concurrere ad habitum, explicandus erit quòd scilicet non loquatur de causa proxima & immediata, sed de remota & mediata. Verùmtamen

III. *Bonum diuturnius non est semper perfectius.*

Opponitur Contra Conclusionem etiam ex ratione: Habitus est perfectior actu, ergò nequit ab ipso produci; probatur antecedens, tum quia habitus est causa actûs æquivoca; tum ex Aristotele 3. Top. 1. quia bonum diuturnius est perfectius & melius transeunte, ergò. Respondeo negando antecedens, nam actus immediatius, ut dixi supra, unit potentiam cum objecto proprio: Ad primam probationem dicitur esse causam, sed partialem, quæ semper est imperfectior. Aristoteles verò loquitur cæteris paribus, quare habitus solùm excedit actum in duratione, qui excessus est tantùm secundùm quid, actus tamen in aliis perfectionibus excedit habitum simpliciter.

IV. *Actus homogenei si unus.*

Dico 2. *Quilibet actus aliquid habitûs causat, licèt actus sit imperfectior & remissior ipso habitu.* Utraque pars est Scoti 1. d. 17. q. 3. RR.

Probatur prima pars: Omnes actus etiam priores sunt ejusdem rationis cum sequentibus, ergò si sequentes causant aliquid de habitu, consequenter causabunt etiam priores, quia non est ratio potior de uno, quàm de alio, adeoque tam bene primus aliquid causabit, quàm reliqui.

V.

Dices: Rationem esse, quia prior actus tantùm disponit potentiam quâ dispositâ postea actus sequentes producunt habitum. Sed contra suppono jam potentiam esse dispositam & capacem ad recipiendum habitum, ergò si actus ratione quâ actus est productivus habitûs & primus ejusdem rationis cum sequentibus, si sequentes producunt ergò & primus debebit aliquid producere. Contrà secundò: Quando potentia est indispositа non potest disponi & ab ea expelli indispositiones contrariæ, nisi ab ipso actu disponente producatur aliquid contrarium dispositionibus præexistentibus, ut patet de ligno, quod disponitur ab igne expellendo ab ipso frigus & humiditatem, & hoc per introductionem siccitatis & caloris, contrariarum dispositionum prioribus, ergò si primus actus disponit potentiam illam non potest disponere nisi per productionem alicujus inter li potentia, actus autem nihil potest producere præter habitum, vel aliquid habitûs, ergò.

VI.

Probatur secunda pars. Actus decimus intensus, verbi gratiâ, ut unum augeat habitum, licèt habitus præexistens fuerit intensior ipso actu (supponitur enim modò quòd actus sit effectus intensioris causæ) ergò actus licèt remissior sit & imperfectior ipso habitu, adhuc tamen auget habitum: Probatur antecedens; sit aliquis in charitate ut octo constitutus, qui eliciat actum charitatis imperfectum, & solùm intensum ut unum, tunc secundùm charitatis inclinationem ratione actûs meritorii habitus charitatis debet augeri, cum aliquid ille tali actu mereatur, & tamen tunc habitus charitatis est intensior ipso actu, ergò.

VII.

Arguitur: Si habitus ut quatuor, & inclinans ad actum ut quatuor, posset augeri à quolibet actu, ita ut si adderetur actus, ut duo fieret habitus ut sex, sequeretur effectum fieturum intensiorem suâ causâ, imò effectum æquivocè productum à quacunque minima causa produci posse, & causam talem nunquam habituram effectum sibi proportionatum, sed hoc experientiâ constat esse falsum, ergò. Respondeo negando sequelam quoad utramque partem, quia actus ille ut duo non producit totum habitum ut sex, sed solùm duos gradus, cæteri enim gradus fuerunt producti ab aliis actibus præcedentibus, qui uniti omnes simul producerent æquè intensum habitum.

Instatur: Sicut ille actus ut duo produxit in habitu quintum vel sextum gradum, ita poterat priores producere cùm sint omnes homogenei, ergò sequeretur adhuc actum ut duo posse producere habitum ut sex. Respondeo

spondeo distinguendo consequens in se præcisè consideratus, nego: Si replicaretur à Deo, concedo, nec hoc mihi videtur inconveniens, quòd tunc habitus ut quinque vel sex producatur ab actu ut duo, cùm non requiratur major virtus, actus namque debet semper producere aliquid in potentia, nec est inconveniens id quod nequit facere unâ vice faciat pluribus vicibus.

VIII. *Habitus concurrit ad actum effectivè tanquam causa partialis.*

Dico 3. *Habitus concurrit ad actum effectivè tanquam causa partialis.* Est D. 1. d 3. q. 7. Mastrii, &c. Probatur. Potentia habituata minorem conatum adhibet, quàm non habituata, ergò habitus supplet concursum activum potentiæ, qui non nisi per alium concursum activum suppleri debet; antecedens patet experientiâ, quia major vel minor conatus potentiæ est major vel minor concursus ejusdem, ergò si potentia habet minorem conatum habet minorem concursum & consequenter ille concursus suppletur per habitum.

IX. *Habitus non quia multiplicatur.*

Arguitur ab adversariis: Potentia se sola potest causare actum, ergò frustra ponitur alia concausa partialis; probatur consequentia, quia non sunt multiplicandæ causæ sinè necessitate, sed &c. ergò. Respondeo negando consequentiam, cujus probationis minorem distinguo, nulla est necessitas ad simpliciter operandum concedo; ad faciliter & cum minori conatu operandum nego minorem & consequentiam.

X. *Quando facilitas infert causalitatem.*

Instatur: Major facilitas in elicitione non infert causalitatem habitûs, ergò. Antecedens probatur, quia ante actionem sentit se voluntas inclinata ad actum & facilitatem, ita ut facilitas præcedat actionem, ergò ante actionem habitus exercet suum munus, ergò facilitas non infert causalitatem. Respondeo negando antecedens cujus probationis consequens distinguo, ergo ante actionem habitus exercet suum munus respectu potentiæ in genere causæ formalis concedo; respectu actûs in genere causæ efficientis nego consequentiam; distinguo etiam secundum consequens, ergò facilitas non infert formaliter causalitatem transeat; concomitanter nego consequentiam; habitus itaque duplicem exercet causalitatem, prima est respectu potentiæ in genere causæ formalis, altera respectu actûs in genere causæ efficientis, prima fit mediante informatione, secunda coagendo ad effectum.

XI.

Urgetur: Idem non potest esse causæ & effectus, sed actus est causa habitûs, & habitus est actus effectûs, ergò habitus non potest esse causa actûs. Sed Respondeo distinguendo majorem, respectu ejusdem concedo, respectu diversorum nego majorem, nam actus ex quibus causantur habitus non causantur ab habitu, sed aliis ejusdem rationis tendentes & disponentes magis potentiam ad agendum & producendos actus.

XII.

Prosequuntur: Quotiescunque inter aliqua ejusdem speciei vel generis est ordo prioris & posterioris, talis ordo servatur inter omnia individua ejusdem speciei, vel generis, sed habitus per se est posterior actu, ergò semper habebit ordinem prioris actûs, & habitûs posterioris & consequenter habitus nullius actus erit productivus. Respondeo distinguendo majorem, inter substantias ipsas, vel inter substantias & accidentia concedo majorem; inter sola accidentia nego majorem; Et hoc ideo, quia substantia non suscipit magis & minùs sicut suscipit accidens; unde distinguo etiam minorem, habitus est posterior actu secundùm naturam & quidditatem præcisè inspectam concedo; prout supponit pro omni gradu & actu in summo nego minorem: Quare licèt habitus secundùm illos gradus quos sibi natura determinat sit posterior actu, non est tamen posterior omni actu & secundùm omnem gradum unde bene poterit adhuc producere actum. Solent hic plura alia de habitibus tractari, ut de intensione, extensione, unitate, oppositione & desitione, verùmtamen quia facilè resolvuntur ex dictis de intensione qualitatum, ideo superfluum existimo ea hìc repetere, quare sit.

DISPUTATIO IV.

DE POTENTIIS ANIMÆ VEGETATIVÆ ET SENSITIVÆ IN COMMUNI.

Quamvis videri posset necessarium præmittere examen de ipsa substantia tam animæ vegetativæ, quàm sensitivæ, sed quia ex dictis disputatione primâ facilè colligi potest earum natura, nam animam vegetativam juxta generalem datam definitionem sic describere poteris, quòd sit actus corporis organici potentiâ vitam vegetativam habentis; *vel quod sit* Principium primum quo substantia corporea vivens vitâ vegetativâ habet sic vivere; *Anima verò sensitiva bene describitur quòd* sit actus corporis organici potentiam vitam sensitivam habentis, *vel quòd sit* actus primus à quo substantiæ corporeæ habent exercere operationes vegetativas & sensitivas tantùm. *Quare notatis definitionibus & naturâ harum animarum ad potentias quæ ab animabus tanquam à radicibus emanant explicandas accedo; Undesit*

QUÆSTIO I.

Quæ sint potentiæ animæ vegetativæ, & quomodo distinguantur.

I. *Anima vegetativa tres habet operationes.*

Accedendo ad resolvendam primam partem, Notandum, Animam vegetativam tres habere operationes, scilicet *Nutritionem*, *Augmentationem*, & *Generationem*, licèt eas non semper & in omnibus exerceat viventibus, nam quamvis nutritio & augmentatio omnibus conveniant, & earum actus sint semper connexi sumendo augmentationem pro acquisitione cujuscunque quantitatis, non tamen generatio omnibus & semper convenit, non omnibus nam reperiuntur quædam, plantarum & animalium species quæ solùm ex putri generari petunt, quod haud dubiè ab intrinseco illis competit, & non ab extrinseco, sicut spadonibus, nam quia videmus quod hujusmodi viventia omnia defectum generandi habeant, dicendum est hoc provenire à principio intrinseco, sic dicimus carentiam potentiæ visivæ in talpa ex eodem capite non provenire ab extrinseco, sed ab intrinseco: Neque etiam reperitur generatio semper ubi sunt omnes tres potentiæ, nam pueri ante perfectam ætatem generare non possunt. Secundùm dictas ergò operationes ternas triplex etiam potentia ponitur in anima vegetativa, scilicet *nutritiva*, *augmentativa*, & *generativa*; *Nutritiva* spectat ad conservationem individui, ut restauretur quod per actionem caloris naturalis deperditur, nam ab Aristotele definitur 2. anim. t. 48. *Potentia quâ vivens conservat seipsum quatenus est hujusmodi*, id est quatenus est hoc in individuo: *Potentia nutritiva* dividitur adhuc in *attractivam*, quâ vivens alimentum necessarium attrahit; *retentivam* quâ partes attractas retinet, ut in se convertat, vel ut exactiùs disponantur: Expulsivam, quâ partes inutiles & nocivas reiicit, vel partes alias ad alias transmittit: *Secretivam*, seu *separativam*, quâ partes puriores ab impurioribus secernuntur; & *appetitivam*, quâ quælibet pars appetit alimentum necessarium, dum illo caret: *Potentia augmentativa* est etiam ad individui conservationem, sed & simul perfectionem, videlicet ut eidem debitam molem & quantitatem acquirat: *Generativa* denique est ad conservationem speciei, nam quodlibet vivens habet appetitum, ut se in perpetuum conservet, & cùm hoc non possit in individuo facit in specie. Hæc pro prima parte, sed

Nutritiva multiplex.

II. *Anima separata non habet actiones sensitivas.*

Accedendo ad secundam partem oritur difficultas ideo, quia modò dixi has tres operationes & actiones esse distinctas & separabiles, an etiam earum principia, seu potentiæ inter se distinguantur, ante resolutionem notandum, animam separatam nullam posse habere, vel recipere actionem sensitivam seu organicam, ut videre, audire, nutrire, quia ut Scotus inquit 4. d. 45. q. 5. Actiones hujusmodi sunt primò compoliti ex materia & forma sicut proprii receptivi, unde illarum operationum immediatum receptivum est organum quod est compositum ex anima & determinata parte corporis, non pars animæ neque illa forma mixtionis quæ est ibi in illa determinata parte, sed forma totius organi eo modo quo humanitas est forma totius hominis, unde immediatum receptivum est organum, ratio verò formalis recipiendi est forma totalis prædicti organi, & sic constituitur perfecta aliqua nova resultans ex utroque; Hoc ergò notato

II. Dico primò: *Potentia generativa distinguitur realiter à nutritiva & augmentativa.* Est Scoti 4. d. 10. q. 7. A. Probatur: Quia nutritiva per totum corpus spargitur, & per totum corpus est diffusa, generativa autem residet solùm in parte concoctiva, & conservativa seminis, imò in aliquibus ut dixi, planè non reperitur, ergò distinguuntur realiter; probatur consequentia, quia ideo gustativa & tactiva dicuntur distingui realiter, quia gustativa est in determinata corporis parte v. g. lingua, tactiva verò per totum corpus, vel saltem pluribus partibus diffusa, ergò etiam generativa distinguetur ab augmentativa & nutritiva, nam potentiæ istæ completæ consistunt in facultate animæ, & parte corporis determinata. Neque dicas generativam esse etiam in toto diffusam corpore, quia alioquin possem dicere, sic etiam diffusam esse gustativam, quod nemo dicet. Deinde si in aliis partibus nunquam habet dispositiones sufficientes, ad illos actus frustra in illis ponitur, adeoque in determinata parte statuenda erit, sive illa sit cor, sive hepar, aut renum arteriæ. Quòd autem in effusione seminis sentiatur languor in omnibus membris, oritur inde, quia evacuato subjecto generationis potentia effectrix seminis totum corpus pervagatur attrahendo sanguinem ad novum semen generandum, non verò quòd potentia generativa sit per totum diffusa corpus. Sed

II. Opponitur Authoritas Aristotelis 2. Gen. 4. & 2. de an. t. 42. & 54. contrarium omnino asserentis: Sed Respondeo explicando Aristotelem eum scilicet velle omnes potentias esse unam potentiam vegetativam genere, non verò specie, ego verò eas ob rationes specie distinguo.

Instatur: Nulla est necessitas multiplicandi has potentias specie, ergò probatur antecedens; Quia eadem nutritiva virtus potest ex eodem alimento sanguinem efficere, medullam, semen, &c. juxta quod exigunt diversæ partes carnis, ossis, &c. ergò, &c. Respondeo negando antecedens cum sua probatione, nam falsum est potentiam putritivam carnis esse ejusdem speciei cum potentia nutritiva ossis, sed quidquid sit de hoc Respondeo secundò negando antecedens, ad probationem nego consequentiam, quia semen cùm omnino specie differat ab aliis propter virtutem formativam corporis, requirit aliam virtutem.

Urgetur: Omnes istæ potentiæ habent idem objectum scilicet alimentum, ergò cùm actus & potentiæ specificentur ab objectis omnes istæ potentiæ erunt identificatæ. Sed Respondeo distinguendo antecedens, habent idem objectum remotum concedo; proximum nego, nam nutritiva respicit potentiam viventem partialem ex alimento producibilem, generativa

sierativa verò subsantiam seminis ex eodem alimento.

V. *Potentia augmentativa & nutritiva non distinguuntur realiter.*

Dico secundò: *Potentia nutritiva, & augmentativa non distinguuntur realiter inter se.* Ita Doctor 2. d. 16. q. 1. §. Dico igitur. Probatur: Omne quod melius ponendum est in natura, dummodo sit possibile, ut dicit Aristoteles 2. Gen. t. 59. quia natura semper desiderat id quod melius est, sed ex ipso Aristotele 1. Phys. t. 41. & 56. unitas est melior, quàm multiplicitas, ergò cùm hic nulla sit necessitas, non est asserendum eas esse distinctas, quòd autem nulla sit necessitas, probatur, quia si aliqua esset maximè, quia actus sunt distincti, sed hæc nulla est, ergò. Probatur minor, quia non est inconveniens actus specie distinctos provenire ab eadem potentia, eadem enim substantia mediante suâ potentiâ est productiva accidentis, ne detur processus in infinitum in accidentibus, & est etiam productiva substantiæ, ergò eadem substantia potest esse ad substantiam & quantitatem, ergò. Nec refert, quòd cesset augmentatio, postquam vivens ad certam devenit magnitudinem, nam ex hoc non sequitur eam desinere, nam etiam in sene cessat potentia nutritiva, quam tamen non distinguunt adversarii à potentia nutritiva juvenis.

VI. Dices: Nutritiva potentia habet pro objecto alimentum ut substantia est, & augmentatio habet alimentum idem, sed ut est quantum, ergò diversi actus erunt circa hæc objecta, ergò etiam debebunt esse diversæ potentiæ. Sed Respondeo concedendo antecedens, negando consequentiam, quia non necessariò tanta debet esse distinctio in principiis sicut in principiatis, intellectio & volitio realiter distinguuntur, non tamen intellectus & voluntas, sic augmentatio & nutritio distinguuntur, possunt tamen ab eodem pricipio provenire, substantia producere potest tam substantiam, quàm accidentia, ergò, &c. vel ad summum inferre poteris distinctionem formalem, non verò realem.

QUÆSTIO II.

Quæ sint potentiæ animæ sensitivæ & quodnam earum sit objectum sensibile?

I. *Quæ sint potentiæ sensitivæ.*

Prima pars Tituli difficultatem non habet, nam sicut tres communiter assignantur operationes vitales sensitivæ, scilicet, *Sensio*, seu *sensatio*, *appetitio* & *motus localis*, ita etiam tres solent assignari potentiæ, scilicet *cognoscitiva*, seu *sensitiva*, *appetitiva* & *loco motiva*; prima res sensibiles percipit, quare in externam & internam partitur; secunda appetit commodum & consequenter incommodum fugit, ideo à quibusdam dividitur in concupiscibilem & irascibilem; tertia inservit ad acquirendum bonum concupitum & fugiendum malum apprehensum, & est duplex perfecta scilicet quæ causat perfectum motum localem de loco ad locum, & imperfecta quæ solum imperfectum motum localem causat, dilationis scilicet, & constrictionis. Hæc tria potentiarum genera omnem animam sensitivam concomitantur in omnibus animalibus, licèt non necessariò secundùm omnes species, nam multa animalia carent quibusdam sensibus internis & externis, & multa sunt quæ perfectam motivam non habent, ob quam causam Aristoteles 3. an. t. 45. dixit, potentiam loco motivam non convenire omnibus animalibus intelligendo eum scilicet de potentia loco motiva perfecta, nam nullum est animal quod non haberet potentiam loco motivam imperfectam, quare gratis dicitur hanc imperfectam convenire etiam plantis ut ex multis Historiis & experientiis deducere conantur, cùm totum hoc facilè explicetur, similes motus in plantis fieri per antipathiam & naturalem, aversionem, vel conversionem ad ea, ad quæ se convertere vel avertere nituntur, & hoc sufficiat pro prima parte. Pro secunda parte

II. *Sicut genus dupliciter sumitur ita etiam sensibile.*

Notandum, Quòd quemadmodum sensus dupliciter sumitur, sic etiam objectum sensibile dupliciter sumi debere, nam sensus inprimis sumitur strictè, & pro potentia animæ sentientis, prout distinguitur à potentia appetitiva, & loco motiva. Secundò sumitur largiùs, prout nobis circumscribit gradum illum medium inter vegetativam animam, & rationalem, quo modo dicitur principium radicale sentiendi, appetendi, & loco movendi, estque ipsa anima sensitiva, sub qua consideratione appellantur etiam potentia appetitiva, & loco motiva sensitivæ, sicut si rationale strictè sumatur pro potentia apprehensiva, & discursiva, de solo intellectu dici potest, at si largè accipiatur prout significat gradum vitæ intellectualis, etiam voluntati convenit. Ita pariter de sensibili loquendo quatenus correspondet sensui in rigore accepto, est id, quod solùm potentiæ sensitivæ objici potest, in quantum ab appetibili distinguitur; acceptum verò sensibile in largiori modo, est illud quodcunque sensui objici potest, seu potentiis animæ sentientis, quomodo etiam appetibile sensibile dicitur. Sensibilitas autem in objecto dupliciter considerari potest, vel formaliter, vel fundamentaliter, primo modo dicit aptitudinem & passionem, quâ objectum potens est concurrere ad sensationem immediatè, vel mediante specie, aut saltem illam terminat: Secundo modo dicit aptitudinis illius radicem, estque ipsa objecti essentia.

III. *Aliud est per se, aliud per accidens.*

Notandum secundò: Sensibile esse, quod terminat sensationem, estque duplex, *Per se*, & *per accidens*; *per se* est, quod ex se immediatè terminat actum sensationis, caditque sub sensum; *Per accidens* verò est, quod est unitum sensibili per se, sive aliquid conferat ad istud sensibile, ut faciunt substantiæ, quæ aliqualiter pertinent ad accidentia, quæ sunt sensibilia per se, sustentando illa, sive nihil, ut est relatio filiationis, verbi gratiâ, Filii in Petro, vel similitudinis, qualiter dicimus nos vidisse filium Petri, quamvis visu relationem illam non attingamus, sed solùm fundamentum. Sensibile *per se* iterum duplex est. *Proprium* videlicet & *Commune*; *Proprium* est, quod ab uno solo sensu percipi potest, *Commune*, quod à pluribus,

ribus, exemplum primi color est objectum visûs tantùm, sonus auditus, &c. Secundi generis sunt quinque nempe *Motus*, *Quies*, *Numerus*, *Figura*, & *Magnitudo*, quæ non modò ab Aristotele ponuntur, sed etiam ex D. Augustino deducuntur lib. de duabus animabus, c. 6. *Quærerem quid ad sensum propriè pertineret oculorum, invenirem colores, quorum principatum lux obtineret, hæc enim sunt quæ nullus alius sensus attingit. Varii motus corporum, & magnitudines & intervalla* (quies ab Aristotele appellatur) *& Figuras, quamvis & oculis, non tamen propriè, sed tactu etiam posse sentiri.* Et lib. 2. lib. arb. cap. 3. *Quid corporum formas magnas, breves, quadras, rotundas, & si quid hujusmodi est, nonne & tangendo, & videndo sentimus? Et ideo nec visui propriè, nec tactui tribui possunt, sed utrique. Intelligis ergò, & quædam singulos sensus habere propria, de quibus renuncient, & quædam quosdam habere communia.* Numerum autem addit lib. 11. Trinit. 11. dicens *Objectum ipsius est numerus.* Attamen notandum, quod, ut enumerata dicantur sensibilia communia, non debere sumi formaliter, sed fundamentaliter, nam in motu formalitas ejus, seu respectus percipi non potest à sensu, sed res fluentes; nec quies prout simplicem dicit motûs privationem, sed pro permanentia rei in eodem statu; nec numerus nisi in quantum significat res ipsas numeratas; nec Figura prout dicit partes rei figuratæ; Ad figuram reducitur asperitas, curvitas, rectitudo; Ad quantitatem distantia, situs, &c.

IV. *Ut aliquid sit objectum sensibile quatuor debent esse conditiones.*

Notandum tertiò: Ut aliquid sit objectum sensibile communiter quatuor requiri conditiones, prima est, ut sit ens reale, quia sensibile debet immittere in sensum speciem sui quæ est realis, nam non ens nequit speciem sui causare, quare excluduntur ab objecto sensibili entia rationis, negationes & extrinsecæ denominationes. Secunda est quòd sit res singularis, unde naturæ communes præcisâ singularitate non cadunt sub sensum, unde dicit Aristoteles 2. an. t. 60. scientiam esse universalium, sensum verò singularium. Tertia conditio est, quòd sit res corporalis & non spiritualis. Quarta denique quòd sit accidens & non substantia: de posterioribus itaque duabus conditionibus controvertitur, num necessariò tales sint ut contrarium esse non possit, & ut mentem meam aperiam, incipio ab ultima, &

V. *Debet esse accidentale.*

Dico 1. *Ut aliquid sit sensibile necessariò debet esse reale, & id accidentale.* Prima pars est expressè D. Augustini supra dicentis: *Quidquid enim sentimus aspectu non potest videri, quare si defectu ille (lucis) neq; visu neq; alio sensu sentiretur, non posset inter sensibilia numerari, nihil enim sensibile est quod sentiri non potest. Si placeret autem omnia sensibilia nominare, non modò ea, quæ sentiremus sed etiam ea, quæ non sentiendo, tamen per corpus judicaremus, sicut per oculos tenebras & per aures silentium, & illas enim non videndo, & has non audiendo cognoscimus, nullam de verbo facerem controversiam, sed totam quæstionem facili divisione dissolverem.* Et expos. in Epist. ad Rom. q. 43. *Tenebræ non videntur, sed lucis comparatione sentiuntur, hoc est autem sentire tenebras, non videre.* Ac tandem contra Epist. fundam. cap. 13. dicit: *Tenebras oculis non videndo discerni, sicut silentium auribus non audiendo, non quia tenebræ sunt aliquid, sed quia lux non est, sicut non quia silentium est aliquid, sed quia sonus non est.* Secunda pars est Philosophi 2. Animæ t. 63. & 65. dicentis: *Nullam substantiam esse per se sensibilem sed sentiri mediis accidentibus.* Scoti in 1. d. 3. q. 3. K. dicentis: *nullus igitur conceptus quidditativus habetur naturaliter de substantia, immediate causatus a substantia, sed tantùm causatus vel abstractus primò ab accidente, & illud non est nisi conceptus entis.* Ubi Scotus non tantùm de sensu, sed etiam de intellectu loquitur, ergò multo minùs à sensu percipi poterit. Probatur etiam ratione, si præsentia substantiæ immediatè mutaret sensum vel cognitionem, posset etiam mutare ejus absentia, adeoque illa naturaliter cognosceretur sicut visus, quia est perceptivus lucis est etiam perceptivus tenebrarum, quatenus scilicet lux non est præsens, ut pro prima parte ex Augustino deduxi, sed absentia substantiæ nec sensu nec intellectu naturaliter potest cognosci, ut patet in Eucharistia, ergò substantia non est de se sensibilis, adeoque debebit esse quid accidentale.

Dico secundò: *Nulla potentia materialis sensitiva videt incorporea, sed nec existens seu dabilis potest elevari ad percipiendum spirituale etiam à divinctus & de potentia absoluta.* Prima pars est D. Augustini in Enarrat. Psal. 146. ubi ait: *Caro ista per quinque nuncios, quos appellamus sensus, percipit non nisi corporalia, intelligibilia verò & spiritualia mente capiuntur.* Lib. 12. Gen. Lit. cap. 16. *Nisi corpora vides*, & tandem lib. 83. qq. q. 29. *Omne visibile corporeum est.* Secunda pars quantum ad potentiam dabilem est contra Arriagam, & probatur primò ex Aristotele 2. anim. t. 122. & 130. dicente: *Omne animatum determinatur ad certum genus sensibilium*; sed omnes potentiæ sensitivæ materiales organicæ sunt, ergò determinantur ad certum genus sensibilium.

Probatur secundò: Nulla potentia materialis & organica potest elevari ad percipiendum id, quod est extra totum genus materiale, sed omnia quæ percipit, debent esse intra genus materialium, aliàs esset ipsa potentia materialis & immaterialis, organica & inorganica sed implicat quòd idem secundùm essentiam sit materiale & immateriale, organicum & inorganicum, cùm sint differentiæ dividentes aliquod commune, atque adeò in idem coincidere nequeunt, ergò, &c.

Dices: Hoc esse verum de potentia materiali & organica, quæ defactò datur, non verò de dabili, quæ non esset sic determinata. Sed contra: Illa potentia organica possibilis deberet esse alicujus organi forma, quo uteretur in sua operatione, sed non videtur in homine, verbi gratiâ, organum aliquod quod possit sic elevari ad percipiendum spirituale, ergò.

Instabis: Hoc esse verum de organis defactò existentibus, non verò de possibilibus. Sed iterum contra: Vel illa organa essent ejus-

dem

dem rationis cum existentibus, vel alterius, si ejusdem rationis; ergò sicut ista nequeunt elevari ad percipiendum spirituale, nec poterunt illa; si alterius rationis; ergò peterent informari animâ rationali alterius rationis à nostra, nam diversitas organorum est diversitas formarum, & sic homo non esset ejusdem speciei & rationis cum homine defactò existente, quod tamen falsum est, cùm rationalitas sit ultima differentia atque athoma proinde indivisibilis in alias differentias specie distinctas.

VIII. *Hæc quidem ratio facilis elevari potest.*

Probatur Conclusio secundò: Operationes cujuscunque potentiæ proportionantur essentiæ rei, seu naturæ in essendo, sed quæcunque potentia materialis est inferior in essendo potentiâ spirituali; ergò etiam in operando, ergò non potest elevari ad operationem extra genus materialium; probatur minor, quia genus materialium à toto genere est imperfectius toto genere spiritualium; ergò etiam quæcunque potentia materialis, imperfectior quâcunque potentia spirituali, consequenter ejus objectum, cùm potentiæ & actus distinguantur per objecta. Confirmatur Conclusio, quia ista potentia ex eo, quòd esset organica essentialiter indiget organo & ex eo, quòd posset fieri in spirituale non indigeret organo essentialiter, adeoq; esset indigens organo, & non indigens quæ sunt inconvenientissima.

IX. *Solvitur instantia.*

Dices: Indigere organo circa materialia, non verò circa spiritualia, quæ sunt visibilia sine organo. Sed Contra: Nihil dicitur formaliter operari operatione propriâ & sibi intrinsecâ, nisi forma per quam operatur sit ejus forma informans; ergo ut illa potentia dicatur operari circa spiritualia, debet esse forma informans organum, & consequenter indiget essentialiter organo cùm illa operatio (sicut & quælibet alia organica) in toto organo & non in una parte solùm recipiatur, quod autèm ex sua natura est essentialiter indigens organo in sua operatione non potest tendere in objectum ad quod percipiendum potentia non indiget organo, nam dicit Aristoteles 2. Cœl. t. 50. & 59. quod si Astris natura dedisset motum, dedisset eis etiam organa, cùm organa solùm dentur in ordine ad operationem, natura enim, ut idem Aristoteles 3. An. t. 45. ait: *Nec desiit in necessario, nec superflua submmistrat.*

X. *Objiciuntur authoritates Scripturæ.*

Contra Conclusionem Arguitur primò ex authoritate, nam Isaias 6. ait: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*; & Job. 19. *Auditu auris audivi de nunc autem oculus meus videt te: In carne mea videbo: Quem visurus sum ego ipse & oculi mei conspecturi &c.* Sed facilè respondeo: Nam Isaias non loquitur de visione Dei in propria natura, sed in apparitione Angeli corpus assumentis. Ita pulchrè & eleganter docet D. Augustinus Serm. 17. de divers. cap. 1. ubi ait: *Oculis corporalibus Sanctorum si quando Deus voluit apparere non per se ipsum, sed per creaturam visibilem, atq; sensibilem quantum ista carne sentiri potest, apparuit: vel per vocem sonantem auribus, vel per ignem oculis, vel per Angelum in aliqua specie sensibili apparentem, sed personam Dei gestantem: sic intelligimus fratres, apparuisse Moysi Deum. Non enim majestas illa, quæ facit Cœlum & terram, & quæ regit universum mundum puris oculis mortalibus hominibus potuit apparere, nisi assumptâ visibili & sensibili creaturâ, quæ ad istos oculos visibiles pertinet: Quandoquidem & ipsa sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, humanis oculis non appareret, nisi humanam carnem assumeret. Quomodo ergò verbum Dei, id est Filius Dei, ut appareret oculis carnem assumpsit: sic semper Deus ut appareret oculis hominum in aliqua creatura visibili apparere dignatus est.* Ad textus ex Job allegatos respondeo, quòd in primo loquatur de visione providentali, quatenus ex his quæ circa ipsum acciderant, agnoscebat scientiâ experimentali, Divinam Providentiam ideò vocavit visionem; in aliis autèm locis loquitur de carne Christi, aut de Deo humanato, ita expressè D. Augustinus Serm. 6. de Tempore, ubi ait: *De illo tempore prophetavit* (Job) *quando Christi Deitas habitu nostræ carnis induta est.*

XI. *Disparitas est de quantitate & potentia organicis.*

Arguitur secundò ex ratione: Potest elevari corpus ad existendum modo spirituali; ergò etiam potentia sensitiva & organica ad operandum & percipiendum spirituale: Probatur consequentia: Quia æquè naturale est corpori quanto coëxistentia & commensuratio ad locum, ac sit sensatio potentiæ sensitivæ; ergò cùm non repugnet corpori quanto recipere præsentiam indivisibilem, quæ tanquam accidens illi & inhærebit, & ab eo dependebit tanquam à subjecto, nec repugnabit recipi sensationem in oculo quanto tanquam à subjecto. Respondeo negando consequentiam, ad probationem nego paritatem, nam primò citiùs possunt elevari potentiæ non vitales ad aliquid supernaturale, quàm potentiæ vitales. Secundò, quia illa existentia non est forma absoluta spiritualis existens in corpore tota in toto, & tota in qualibet parte, sed solùm est quidam respectus extrinsecus adveniens integratus ex pluribus præsentiis partialibus quot sunt partes proportionales loci.

Anima non sic dependet à corpore ut accidens.

Instatur: Anima rationalis est forma absoluta spiritualis, sed illa potest informare aliquod corpus extensum; ergò & visio spiritualis oculum corporeum, consequenter nulla solutio; Respondeo negando iterum paritatem, nam licèt anima rationalis forma sit spiritualis, eaque absoluta, non est tamen forma dependens à corpore, & habet propriam subsistentiam, non sic forma accidentalis, quæ in eductione dependet à subjecto in esse, & si à DEO produceretur saltem, deinde informando subjectum, inhæreret illi quod est existere dependenter à subjecto.

Urgetur: Ideò ex dictis potest Anima rationalis recipi in subjecto, seu corpore quanto, quia non dependet, neque coëxtenditur ad extensionem subjecti, sed potest etiam forma spiritualis accidentalis non extendi in subjecto quanto; ergò tam benè poterit recipi ac Anima

recipitur; probatur minor, Potest objectum materiale recipi in subjecto spirituali modo inextenso; ergò poterit etiam forma spiritualis in subjecto materiali sic recipi: antecedens patet, nam objectum quodcunque cognoscitur, secundùm suum esse materiale per species in potentia intellectiva recipitur: probatur consequentia, quia non magis distant objectum materiale ad potentiam spiritualem, quàm objectum spirituale ad potentiam materialem. Respondeo negando minorem, ad probationem respondeo negando paritatem, nam objectum materiale secundùm esse intentionale tantùm recipitur in potentia spirituali, non verò secundùm esse reale, spirituale autèm objectum deberet in potentia organica recipi secundùm esse suum reale, cùm illa non sit nata supra se reflectere: Unde benè potest intellectio esse similitudo formalis rei materialis licèt ipsa spiritualis sit, cùm illam non exprimat nisi secundùm esse intentionale & repræsentativum, cùm intellectûs sit præscindere & abstrahere à conditionibus materialibus, sed potentia materialis non potest sic repræsentare rem spiritualem cùm tunc præscinderet à repræsentata, sed potiùs adaptaret sibi prædicata disconvenientia & repugnantia, scilicet esse extensam & ad potentiam proportionatam.

XII. *Sensus lædituŕ à sensibili vehementi.*

Quæres: An sensus lædatur à sensibili vehementi? Respondeo affirmativè ex D. Augustino lib. 6. Mus. cap. 13. ubi ait: *Etenim à nimio fulgore aversamur, & nimis obscura nolumus cernere, sicut & à nimium in sonù & sonantibus abhorremus.* Supponit id etiam D. Bernardus Serm. 8. in Ps. 90. ubi ait: *An verò times eos è tanta plenitudine lucis, ubi singuli justi tanquam singuli Soles fulgeant aliquando caligaturos fore? Timendum, id planè, si non ipsos quoq; oculos sicut cætera, summa in corporis membra resurrectio glorificaret*, idque constat manifestà experientiâ, experimur enim quòd ex nimio albo visus deterioretur, pro qua experientia confirmanda notabilia exempla adducit Galenus lib. 1. de usu partium, Quòd milites Zenophontis per multam nivem agentes iter in visu & oculis plurimùm fuerunt læsi; Item illi qui ex obscuro carcere, in quo à Dionysio Siciliæ Tyranno diu detenti fuerant in splendidissimam domum calce linitam repente fuerunt excœcati; Narrat etiam Plinius hist. nal. 29. Nilum ubi ex altissimis montibus decidit surdos efficere suos accolas; quamvis perperam, ut Recentissimus descriptor Regni Abyssini & Maurorum sub ditione Regis, quia vulgò dicitur Prete Joan, refert ubi Nilus decidit in Ægyptum defluxurus pertranseunt homines, ibique maximâ aquarum mole refrigerant se, ut de se ipso attestatur. Verùm licèt tales experientiæ veræ essent, ac id Patres doceant, difficultatur tamen, à quo hæc læsio fiat? ad quam difficultatem etiam respondeo breviter, dicendo sensibile vehemens seu excellens lædere sensum, ut dixi, non quidem per se, sed per accidens, in quantum destruitur organum, ejusque temperamentum animarum qualitatum, sed nullum objectum ut tale est destructivum, primarum qualitatum per se & immediatè, ergò.

XIII. *Sensibile vehemens lædit sensum non per se sed per accidens.*

Probatur minor: Quia objectum vel est conveniens, vel est disconveniens sensui? si conveniens; ergò non destruet, cùm omnis perfectio construat, non destruat; si secundum adhuc non opponitur immediatè primis qualitatibus, tum quia unum contrarium non nisi ab altero contrario expellitur, tum quia ut ait Doctor cum una qualitate in esse reali potest dari species & sensatio alterius oppositæ, ut patet de manu congelata ex frigore & igni applicata, in quo reperitur frigus in summo & sensatio valida caloris. Ratio ergò cur objectum disconveniens destruat organum, ejusq; temperamentum est, quia objectum excellens, vel disconveniens, vel causat vehementem dolorem, qui dolor indirectè destruit connaturale temperamentum, vel quia propter sui excellentiam requirit maximam potentiæ applicationem, ad quam applicationem requiruntur plurimi spiritus vitales, qui suo concursu valido alterant proprium organi temperamentum.

QUÆSTIO III.

An sensus decipiatur circa suum sensibile?

Quæstio hæc præcipuè locum habet de sensibus externis, scilicet Visûs, Auditûs &c. Circa quam difficultatem plures fuêre Antiquorum sententiæ, nam Epicurei asserebant sensum circa nullum objectum decipi posse; Academici è contra sensus semper in suis operationibus errare, adeoque etiam omnem omninò negabant dari in hoc mundo scientiam; Peripatetici mediâ incedunt viâ, asserentes sensum quandoque errare, quandoq; non. Ante resolutionem

Notandum primò: Veritatem in cognoscendo duplicem esse, scilicet *Perfectam & Imperfectam*, seu *complexam & simplicem*; prima est, quæ propriè judicio intellectûs de aliqua re affirmantis aliquid vel negantis convenit; *Imperfecta*, quæ cuicunque cognitioni etiam simplici apprehensioni convenire potest, quatenus in cognitione ad objectum intervenit aliqua similitudo & conformitas in repræsentando, unde nos dicimus nos videre apprehendere hominem, esse animal, videre albedinem videre, audire sonum &c. Econtra etiam duplex est error *simplex* scilicet & *perfectus*, seu Imperfectus & complexus: Perfectus & complexus est difformitas, quo determinate affirmamus, quod non est & negamus quod est, in quo sensu dicit D. Augustinus in Enchirid. Laurent. cap. 17. *Is enim errat qui quid se existimat scire, quod nescit: pro verò quippe approbat falsum, quod est erroris principium.* Et lib. 3. contra Academ. cap. 11. *Is errat, qui quod falsi videtur temerè probat.* Imperfectus seu simplex est difformitas cujuscunque cognitionis, quâ res non sic exprimitur sicut est in se, & de hoc errore loquimur in quæstione hac: unde

Notandum secundò: Errorem ex triplici capite oriri posse, primò ex parte organi,

organi, si esset affectum aliquâ contrariâ qualitate, vel dispositione, ut si in oculo esset color & humor rubeus, omnia visa rubra repræsentarentur, pariter si potentia gustativa humore acido & amaro affecta est, omnia delibata similiter acida & amara videntur. Secundò potest error contingere ex parte medii, ut quando in medio, per quod species transire debent, diversi sunt humores, colores &c. ut si medium esset rubrum, omnia quæ per illud videntur rubra conspiciuntur: Item variatur sensatio quando medium variatur in crassitie, diaphanicitate, nam si medium crassium est, species franguntur multùm, ut non possint linea recta ad potentiam pervenire, prout contingit in baculo apparente in aqua fracto. Tertiò denique error accidere potest ex parte ipsiusmet objecti, si est in magna distantia, tunc enim species ab objecto causata est imperfectior, imperfectiori quoque modo repræsentat objectum, & ita fit ut album appareat, fuscum quadratum rotundum, si ergo sensus rectè judicare vellet de objecto aliquo perceptibili, econtra tria requiruntur; Primò quòd organum sit dispositum; Secundò ut medium sit purum; Tertiò quòd objectum sit in debita distantia, & quòd sensibile sit tantæ virtutis, ut possit movere potentiam, ut auditus non potest percipere sonos valde debiles, eosque rectè discernere. His notatis

IV. *Sensus externus non semper errat.*

Dico 1. *Sensus non semper in suis actibus errant.* Ita Doctor 1. d. 3. q. 4. a. 1. & 2.

Probatur experientiâ: Quia videmus quædam ab omnibus sensibus quando non adest impedimentum eodem modo cognosci; ergò tunc sensus circa ea non errat, cùm unicum signum sit erroris, quando non semper eodem modo cognoscit; ergò etiam signum erit non erroris, eodem semper modo cognosci.

Probatur secundò: Si sensus semper errarent nullam possemus habere notitiam certam neque fidei, sed hoc est falsum, nam fides ab omnibus admittitur esse certior omnibus aliis scientiis; ergò non possunt dici semper errare; probatur sequela majoris: Quia etiam fides fit mediantibus sensibus; ergò nec notitia fidei in nobis certa esset & vera; probatur antecedens ex Rom. 10. Fides ex auditu 1. Joan. 1. Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus &c.

V. *Frequenter tamen errant.*

Dico 2. *Sensus externi frequenter tam circa sensibile proprium quàm commune errant.* Hæc est Sanctorum Patrum D. Augustini lib. 12. Gen. litt. cap. 25. ubi ait: *Navigantibus videntur in terra moveri, quæ stant & intuentibus Cœlum stare sidera, quæ moventur & divaricatis radiis oculorum duas lucernæ species apparere, & in aqua remus infractus & multa hujusmodi. Aut cum aliquid hoc esse quod similiter coloratum est, vel similiter sonat, vel olet, vel sapit, vel tangitur. Hinc enim & medicamentum aliquod ceratum coctum in cacabo putatur legumen, & sonitus transeuntis vehiculi putatur ex tonitruo, & si nullis aliis sensibus exploretur, sed soli adjaceat olfactui, citrium putatur herba, quæ vocatur apiaria & cibus aliquis dulciculo succo affectus putatur melle conditus, & ignotus anulus contrectatus in tenebris putatur aureus, cùm sit æreus vel argenteus.* Similia habet in Ench. cit. cap. 20. ubi discurrendo per omnes sensus eos errare quandoque probat. item lib. 2. soliloq. cap. 6. ubi tandem concludit: *Ergò apparet nos in omnibus sensibus sive in æqualibus, sive in deterioribus rebus, aut similitudine lenocinante falli, aut etiam si non fallimur suspendentes consensionem, seu differentiam dignoscentes, tamen eas res falsas nominare, quas verisimiles deprehendimus.* Eadem est mens D. Bernardi Serm. 28. in Cant. n. 6. ubi ait: *Adverte adhuc in sancto Isaac quomodo præteritis sensibus auditus in jam sene viguerit. Caligant oculi Patriarchæ, palatum seducitur, fallitur manus, non fallitur auris. Vox inquit vox Iacob est, nihil verius. Manus autem, manus sunt Esau: nihil falsius. Falleris manus similitudo decepit te. Nec in gustu veritas, etsi suavitas est. Nam quomodo habet veritatem, qui se putat edere venationem cùm domestica vescatur hædorum carnibus?* Et post pluta universaliter concludit dicens: *At experimentum fallax.* Rationes hujus Conclusionis sunt experientiæ, quas aliqui fusè recitant, sed sufficiunt allegatæ à D. Augustino. Verùm

VI. *Nec exinde licèt inferri non dari scientiam.*

Dices: Sequeretur hinc quòd nulla daretur scientia, ergò. Probatur sequela: Quia si sensus semel errat, quis scit utrum non semper erret; ergò cùm omnis nostra cognitio dependeat à sensibus, qui ita subjecti sunt erroribus nulla dabitur scientia: Probatur antecedens, quia si Ecclesia semel erraret, numquam posset habere certam fidem, quia nescimus an non modo erraret; ergò à pari si sensus &c. Respondeo negando sequelam, ad probationem dico, tunc sciri sensum non errare, quando res ab omnibus eodem cognoscitur modo semper; Deinde possunt sensus facilè corrigi per intellectûs discursum, tum, si alter sensus contrarium percipiat, ut si tactus palparet & rangeret baculum infixum aquæ fractum non esse, per discursum verò sic corrigere posset, si argumentaretur ex natura duri & mollis, durum est, scilicet, quod non cedit tangenti, sed baculus aquâ durior est; ergò ad ejus contactum non cedet, consequenter solâ immutatione & impositione baculi ad aquam & extractione ejusdem tam notabiles alterationes non contingent, & hinc patet disparitas de infallibilitate Ecclesiæ, quæ immediatè intellectum determinat ad assentiendum, adeoque per nihil aliud corrigi posset, tum quia assensus fidei licèt certissimus sit, utpote & authoritati & infallibilitati Ecclesiæ ac veritati primæ Divinæ innixus, nihilominus non habet secum annexam evidentiam nisi moralem, non vero Physicam sicut habere debent aliæ scientiæ & intuitivæ cognitiones.

VII. *Verum est quidem non dari in eis veritatem judicativam.*

Opponitur Veritas & falsitas tantùm conveniunt actibus judicativis, quibus aliquid prædicatur, vel negatur de alio, sed potentiæ sensitivæ non sunt judicativæ; ergò non errant circa sua objecta. Respondeo distinguendo majorem, veritas judicativa concedo majorem; non judicativa *in sensibus enim non est constitutum judicium veritatis* dicit

Augustinus lib. 83. qq. q. 9. nego majorem, & concessâ minore, nego consequentiam, quia etiam potentiæ materiales possunt apprehendere rem, ut est in se & non apprehendere rem ut est in se, & in hoc sensu datur in illis error aut veritas.

Instatur: Ubicunque est cognitio aliqua intuitiva, seu sit judicativa, seu non judicativa repræsentatur objectum prout est in se, sed omnes sensationes sunt intuitivæ; ergò per illas repræsentatur objectum prout est in se, & consequenter nullus dabitur error. Sed respondeo distinguendo majorem repræsentatur prout est in se objectum, si nullum adsit impedimentum concedo majorem; si ad sit nego majorem, quando autèm sensus errat, hoc provenit ex eo, quòd aliquod ex supra dictis impedimentis occurrat.

VIII. *Hujusmodi sensationes sunt ejusdem rationis.*

Dico 3. *Hujusmodi sensationes sunt ejusdem rationis, scilicet si mel percipiatur ut amarum, & percipiatur ut dulce.* Colligitur ex Scoto 1. d. 3. q. 7. G. ubi dicit, quòd cognitio distincta & confusa objecti est ejusdem rationis, quia est ejusdem objecti; ergò etiam sensatio mellis ut est dulce, & ut amarum sunt ejusdem rationis, quia omnis sensatio est similitudo objecti, ergò si est idem objectum, eadem est sensatio.

Probatur Conclusio: Quodlibet objectum unum in se est determinatum ad producendam unam specie sensationem, nec potest producere sensationem alterius contrarii objecti, cùm quælibet forma sit determinata ad unum, sed mel est determinatum ad producendam sensationem unius speciei & rationis; ergò nunquam poterit producere sensationem alterius speciei; ergò dictæ sensationes quando mel percipitur dulce, & quando percipitur ut amarum sunt ejusdem rationis; probatur consequentia, quia unum contrarium nec speciem, nec sensationem alterius continet; ergò eam producere nequit.

IX. *Non fiunt à speciebus Amaritudinis.*

Dices: Hanc sensationem non fieri à speciebus dulcedinis, sed amaritudinis, quapropter dicitur sensus falli; ergò adhuc distinctæ erunt species. Sed Contra, dicere quòd sensus non percipiat dulcedinem, sed amaritudinem, non est dicere quòd percipiat mel, seu dulcedinem, sed objectum omninò distinctum, nec hoc esset dicere quòd sensus fallatur, cùm illa sensatio fiat à specie amaritudinis, adeoq; percipiet objectum sicut est in se, scilicet amarum; ergò ut sensus dicatur decipi, necesse est quòd objectum ab ipso perceptum aliter percipiatur, ac est in se, quod non fieret in proposito. Contra Conclusionem

X. *Objectio directa contra Conclusionem*

Arguitur sic: Quando sensus infectus gustat mel, percipit amaritudinem non secus ac si gustaret cibum amarum, sed hæ sensationes sunt ejusdem rationis; ergò ècontra quando mel percipitur ut dulce, & quando percipitur ut amarum, erunt diversæ rationis. Respondeo concessâ majore, distinguendo minorem, sunt ejusdem rationis quando percipitur amaritudo in melle, & cibo amaro in ratione sensationis & perceptionis nego minorem, quia cùm sint objecta omninò diversa, diversas omninò debent producere sensationes; sunt ejusdem rationis in quantum quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur concedo, hinc fit quòd licèt illa sensatio & perceptio secundùm suam entitatem & specificationem sit sensatio dulcis, recipitur ut amara & ut disconvenieus ob indispositionem sensûs recipientis.

Instatur: Sensationes istæ causant tam in sensu interno, quàm in intellectu species alterius rationis, nam sensus & intellectus sani mel judicant esse dulce, infirmi mel esse amarum; ergò si species sunt alterius rationis, etiam actus erunt alterius rationis, adeoq; non solùm ratione percipientis sed etiam in se, quia secundùm se producunt species sui. Sed respondeo distinguendo majorem, istæ sensationes producunt diversas species nego; si considerentur sensationes, ut perceptiones producunt diversas species concedo. Itaque receptio, quæ est actus potentiæ vitalis producit speciem ipsam receptionem repræsentantem scilicet amaritudinis, non verò entitas sensationis, quia omnia ad modum recipientis recipiuntur, unde quia sensus infectus est, omnia ut amara percipit, sicut visus infectus omnia percipit pallida, & affectus rubeo humore, rubra, cùm tamen objecta nec sint pallida nec rubra, nec etiam species diffusæ sint pallidæ vel rubræ.

QUÆSTIO IV.

An potentiæ exteriores, ut percipiat sensationem, indigeant medio?

Quæstio hæc alioquin alio proponitur modo, videlicet, an sensibile positum supra sensum faciat sensationem? an verò impediat illam? in re tamen est idem; Thomistæ existimant omnem qualitatem adhærentem & contiguam (de qua loquimur, non de inhærente) positam super sensum impedire sensationem; Ruvius ècontra solùm visum & auditum indigere speciebus asserit, Conimbricenses præter visum, auditum etiam in odoratu medium requirunt; Scotus verò omnibus contrarius cum Mastrio, Pontio &c. in sola potentia visiva medium requirit, cum quibus etiam ad quæstionem

Dico: *Sola potentia visiva indiget medio, ut objectum ipsius positum supra se, impediat sensationem, quamvis fortè etiam perfectius auditus & visus objectum per medium sentiant.* Est D. Augustini quæst. ad primam partem Serm. 102. divers. cap. 13. ubi sic docet: *Hoc tantum dico quia oculi, qui per intervalla locorum vident, quod vident, ita ut spatium sit inter videntem & id quod videtur; aliter enim isti oculi non vident. Nam si ab eis aliquid multùm removeris, ideò non vident, quia radii ad longè posita non perveniunt: Si autem ad eos aliquid propinquius admoveris, nisi fit intervallum aliquod inter oculos videntis, & corpus quod videtur, videri omninò non potest: nam si propiùs admovendo oculos ipsos, quibus aliquid videtur contingas, perdito spatio amittitur visio-*

visio. Hoc ergò dico quoniam tales oculi, qui non nisi per intervalla & spatia locorum vident, quidquid vident, nec nunc possunt videre Deum, nec tunc poterunt, quia ille non est in loco.

Ratio allegatur.

Probatur eadem pars ratione: Si non requireretur debita distantia, & medium lumine illustratum, posset idem objectum etiam videri in tenebris & in vacuo, cùm ibi supponatur esse in debita distantia, sed hoc est contra Aristotelem 2. an. t. 74. dicentem in vacuo nihil videri, ergò potentia visiva indiget medio.

Probatur secundò: Quando duo objecta habent inter se ordinem in essendo, & in respiciendo seu in immutando eandem potentiam, quod est prius in essendo, est etiam prius in immutando potentiam, sed lux & color sunt duo objecta potentiæ visivæ, & lux est prior in essendo colore, ergò debet etiam esse prior in immutando; subsumo, sed immutari non potest nisi diffundat suas species per medium & ad organum, ergò potentia visiva indiget medio illuminato ad percipiendum colorem, quia si lux non diffunderet suas species, nec color diffundere posset.

III. **Dices:** Si quis pupillam comprimat etiam in ipsis tenebris apparet quidam fulgor in oculo, imò de aliquibus dicitur quòd ob malè affectum sensorium videantur sibi intra oculum videre telas aranearum, &c. ergò potentia visiva medio non eget. Respondeo negando consequentiam, quia ea quæ sic videntur in oculo sunt adhuc distantia à sensorio oculi, hoc est à parte oculi in qua producitur visio.

IV. Probatur secundo de auditu & odoratu, non indigere. **Probatur Conclusio** quoad reliquas sensitivas potentias, quia licèt etiam adorabile, vel audibile diffundat suas species, tamen etsi non diffunderent, possent adhuc odorari & audire ut patet de tinnito & sybilo, qui intra aurem audiuntur; similiter odor per evaporationem potest immediatè uniri carunculis mammillaribus, de sapore & aliis qualitatibus respectu tactûs & gustûs patet etiam, quæ dum causant suas sensationes non per species diffusas, sed per suas proprias entitates id præstant, ergò.

V. Quomodo species sint immaterialiores potentiis. **Dices:** Species sunt materialiores quàm potentia, ergò priùs debent transire per medium ut spiritualizentur, adeoque non possunt percipere objectum suum sinè medio. Sed Respondeo negando consequentiam ejusque suppositum quod planè falsissimum est, quia species & secundùm materialitatem & secundùm grossitiem ita recipientur in organo sicut in medio, quia medium eas recipit prout exeunt ab objecto, qualiter debet recipere etiam organum, quia illæ species quæ recipiuntur in medio, non recipiuntur in organo, aliàs migrarent de subjecto in subjectum, sed subjectum & organum prout ab objecto egrediuntur immediatè recipit; omnes enim species luminis primarii producuntur à corpore lucido, & non species à specie, & quod dicitur de lumine debet pariter dici de aliis speciebus, deinde medium nullam habet virtutem spiritualizandi, vel immaterializandi specierum entitates; denique dato, quòd nervus aliquis intra carnem latens sit organum tactûs & gustûs, adeoque carnem esse medium, adhuc non probatur debere dari medium ad sensationem faciendam, nam si sapor potest immutare immediatè linguam antequam ad organum perveniat ad sentiendum, & gustandum, cur non etiam immediatè poterit immutare ipsum organum, cùm in medio, verbi gratia, carne materialiùs recipiatur species, quàm in ipso organo, nam quodcunque recipitur ad modum recipientis recipitur; secundò si cultellus, amotâ carne tanquam medio, scinderet nervum illum tactûs, causaret maximum dolorem, sed tunc non esset aliquod medium, ergò non requiritur medium in aliis potentiis ad causandam sensationem.

Respondebis: In tali casu illam partem læsam non sentire, sed vicinam, adeoque semper requiri medium. Sed hoc omnino videtur mihi ridiculum, quia hic contra hominem inferre possum, ergò quando comburetur, vel scindetur digitus, magis dolebit brachium, vel manus, quàm digitus, quia digitus tunc non sentiet, ergò.

VI. *Probatur auditum & olfactum meliùs sentire per medium.* **Probatur ultima pars:** Quia objecta potentiæ olfactivæ & auditivæ conjuncta sunt cum quibusdam circumstantiis impedientibus, & lædentibus sensoria, ut odor cum fumida exhalatione, quæ respirationem prohibet, ac olfactum calefacit, & ob id nocet & lædit sensum. Sonus autem cum motu locali qui destruit miringam, unde per medium videntur perfectiùs sentire.

VII. *Solvitur Aristotelis.* **Opponitur** nobis authoritas Aristotelis 2. an. t 78. & 98. ac t. 16. apertè dicentis *sensibile positum supra sensum non sentiri*, ergò non tantùm de potentia visiva, sed etiam aliis id est dicendum. Sed Respondeo omissis pluribus aliis apud authores inveniendis responsionibus, id verum esse de aliquo sensu, non verò de omni. Respondeo secundò, cum Doctore Phylosophum intelligendum, quòd sensibile ex eo quòd sit realiter supra sensum non faciat sensationem, nisi etiam ipsum immutet intentionaliter per productionem speciei impressæ, hoc autem posset esse verum de omni sensu, quamvis aliquis sensus non indigeret medio, unde in forma conceditur antecedens, & negatur consequentia. Quòd si etiam Phylosophus absolutè vellet loqui de omnibus, tunc potiùs standum esset experientiæ tam claræ, quàm ipsius axiomati.

QUÆSTIO V.

An sensus externi sint ejusdem perfectionis in homine & bruto?

I. **Difficultatem** hanc movet vulgatum illud carmen, *nos aper auditu, lynx visu, simia gustu, vultur odoratu, præcellit aranea tactu:* unde duo quæruntur primò, an sensus brutorum & hominum sint ejusdem rationis & speciei? Secundò quomodo sese in perfectione excedant. Ad quod

II. *Sensus hominis & bruti sunt diversæ rationis.*

Dico 1. *Sensus externi hominis & bruti sunt simpliciter diversæ rationis & speciei.* Ita Regentes Parisienses. Probatur diversitas susceptivi, seu materiæ est propter diversitatem formarum, sed hìc sunt diversæ formæ, ergò & diversæ potentiæ, patet major, quia potentia organica est quoddam totum resultans ex perfectione animæ & determinata corporis parte; probatur minor, quia ubi sunt dispositiones diversæ inservientes formis, sunt etiam ipsæ formæ diversæ, sed in hominibus & brutis sunt diversæ dispositiones, ut patet de iis, quas requirit forma corporeitatis hominis & forma corporeitatis bruti, ergò.

III. *Explicatur Scotus objectus.*

Dices: Doctorem in 2. d. 1. q. 6. D. expresè asserere, potentiam visivam bovis & aquilæ esse ejusdem rationis propter identitatem objecti, sed potentia visiva, verbi gratiâ, hominis & bruti habent etiam idem objectum, scilicet visibile, ergò sunt ejusdem rationis. Sed explico Doctorem videlicet eum loqui de potentiis non in se inspectis, sed quatenus sunt rationes agendi & tendendi in objecta propria; vel quòd sint ejusdem rationis & speciei non specialissimæ & athomæ, sed subalternæ includentis sub se multas alias species.

IV.

Dices iterum: Oculus bovis, & aquilæ, & cujuscunque animalis ac etiam hominis est Chrystallinus, ergò non sunt diversæ rationis. Sed Respondeo concesso antecedenti, distinguendo consequens, sunt ejusdem rationis quantùm ad hoc, concedo; essentialiter nego; nam quamvis oculi sint Chrystallini nihilominus alia est forma corporeitatis oculi bovis, aquilæ, hominis & aliorum animalium, quæ forma corporeitatis cùm sit substantialis & non accidentalis, essentialiter, & substantialiter etiam differret.

V. *Sensationes brutorum accidentaliter perfectiores sunt.*

Dico secundò: *Si animantium quorundam sensationes considerentur secundùm quædam accidentalia, perfectiores videntur, quàm hominum.* Ita D. Augustinus serm. 102. cap. 5. ubi ait: *Acutè vides, acutiùs fortasse aquila; Acutè audit, sunt bestiolæ, quæ audiunt acutiùs; acutè olfacit; canem sagacem non vincis. Acutè sapores gustando dijudicas; sunt animalia quædam, quæ inexpertas herbas discernunt, & quod est noxium, non attingunt. Nam tu quamlibet acutè discernis cibum, imprudens irruis in venenum. Acutè sentis tangendo: quam multæ aves æstatem futuram præsentiunt, & ad loca caliduora demigrant. Quòd tu cum venerit sentis, antequam veniat illa præsentit.* Et ratio pro conclusione possunt esse experientiæ plurimæ suprà allegatæ in carmine. Attamen

VI. *Hominis sunt essentialiter perfectiores.*

Dico tertiò: *Omnes sensus externi hominis essentialiter sunt perfectiores sensibus brutorum.* Et etiam D. Augustini, Cavelli, Toleti, Suarez, &c. &

Probatur primò: Autoritate S. Patris lib. divin. dœm. cap. 3. dicentis: *Nec in ipsis terrenis corporibus bestias nobis præponendas putamus, quia multa præsentiunt, veluti sagacem canem qui latentem feram olfactu acerrimo sic invenit, ut ad eam capiendam ducatum quendam homini præbeat,* &c. Sed adhuc ulterius

Probatur: Quia Aristoteles 8. Metaph. t. 18. ait, species esse sicuti numeros, ergò si omnes sensus specie differunt, ut dixi suprà, in homine à sensibus brutorum necessariò vel isti, vel illi debebunt esse perfectiores; probatur consequentia, quia una semper est perfectior, quàm sit altera, & altera est semper imperfectior, ergò vel omnes sensus brutorum erunt essentialiter perfectiores sensibus hominum, vel è contra, primum nec nisi dicunt adversarii, qui communiter asserunt, quòd homo in tactu propter perceptionem æqualitatum primarum qualitatum excedat omnia pecora & animalia, imò etiam in gustu & auditu propter perceptionem differentiarum tam gustabilium, tum sonorum, & quia sensus gustûs est quidam tactus, ergò dicendum erit secundum, scilicet omnes sensus hominis esse perfectiores sensibus brutorum.

Dices: Dantur multa animalia in sensu I. Actu perfectiora homine, ut patet in talpa, quæ excedit hominem auditu, de aquila quæ in visu, ficut & lynce, quia perspicatiùs & remotiùs videt, in odoratu verò exceditur tum à cane, tum à vulture, qui tum in maxima distantia, tum tenuissimos quoscunque percipiunt odores, similiter in tactu ab araneo, ergò sensus hominis non sunt perfectiores, quàm brutorum. Sed Respondeo negando consequentiam, quia hujusmodi exempla non probant excessum essentialem brutorum supra sensus hominis, nisi licèt exempla vera fortè sint, nihilominus non dicitur essentialiter sensus perfectior ex eo, quòd acutiùs, remotiùs & perspicaciùs videat, audiat vel odoret, sed quia audiendo, videndo & odorando distinctiùs naturam sensûs cognoscit, distinguendo & dividendo unum ab altero, quod bruta non faciunt.

Instabis: Canes venatici discernunt unum odorem specificum ab altero, ergò nil dicitur. Respondeo negando consequentiam, quia canes licèt sic odores discernere dicantur, nihilominus hoc fit valde confuso modo, non verò distinctè & perfectè ficut concipiunt sensus hominis.

QUÆSTIO VI.

An sensus externi percipiant suam sensationem?

Quòd sentiamus nos videre & audire I. certum est, quo tamen sensu id sentiamus, incertum est, & in dubium vertimus, circa hanc materiam multiplex est sententia, omitto tamen eas referre, &

Dico primò: *Visu (idem est de omnibus aliis sensibus) non potest sentire se videre eodem actu, quo videt, nec alio suo.* Est D. Augustini lib. 2. de lib. arb. cap. 3. ubi ait: *Vides ne sensu oculorum colorem sentiri, eundem autem sensum eodem sensu non sentiri? Non enim quo sensu colorem vides, hoc eodem vides etiam ipsum videre.* Similia habet ibidem cap. 5. & alibi. Est etiam Doctoris subtilis q. 9. de an. & quodl. 14. in fine ubi eam probat experientiâ, nunquam enim tactus reflectit

reflectit supra tactionem, nèque auditus supra auditionem. Sed

Probatur Conclusionis prima pars: Posito quòd nunc videam, stante tali visione paulò post sentio me videre, jam quæro, vel advenit alius actus, vel non? Si alius ergò non est idem, quo video, & quo sentio me videre: Si nullus? ergò non sentiam me videre, quia tunc nihil omninò adveniet.

Probatur secunda pars primò, Quia si visio produceret actum circa suam visionem, sequeretur quòd supra seipsam deberet se reflectere, sed hoc non potest facere, ergò: major patet, probatur minor, quia nulla virtus organica & corporea potest in se ipsam agere, & se cognoscere, sed sensus est virtus organica & corporea, ergò. Ratio autem quare potentia organica non posset supra se reflectere est, quia ex natura talis est, & quia totum corpus sibi superponi non potest, nec res extensa sibimet, sed solùm pars supra partem.

Probatur secundò eadem pars: Oculo utroque clauso sentio me non videre, quòd magis, licèt dolentiùs, experiuntur, quotquot videntes aliquando visum perdiderunt, sed hoc apud cœcos non fit visu, cùm supponamus potentiam destructam, ergò fit alia potentia, ergò etiam fit alia potentia, quòd sentiam me videre, quia eâdem sentimus nos videre, quâ sentimus nos non videre.

III. Opponitur Aristotelis. **Contra Conclusionem** opponitur authoritas Aristotelis 2. an. t. 138. ubi docet, visum se videre, quia coloratus est, ergo, Respondet Cavellus visum cognoscere se non per reflexionem, sed in actu exercito, seu non ut rem cognitam, sed ut rationem cognoscendi, verè enim cognoscimus oculum non esse in otio. Sed

Disparitas est de intellectu, quia spiritualis est **Instatur:** Intellectus cognoscit suam intellectionem per reflexionem, ergò & oculus: probatur consequentia, quia sic se habet visio ad visum, sicut intellectio ad intellectum, ergò si intellectus cognoscit suam intellectionem per reflexionem, similiter cognoscet oculus. Sed Respondeo negando consequentiam, & ejus probationis antecedens, disparitas est, quia intellectus est potentia spiritualis & indivisibilis, ideoque potest se reflectere, non sic potentia visiva.

Urgetur: Si visus non perciperet suam sensationem, deberet percipi per aliam potentiam, nam revera sentit se homo videre, sed non potest percipere suam sensationem per aliam potentiam, ergò: probatur minor, quia dixi supra ejusdem potentiæ est percipere nos videre, cujus est percipere nos non videre, seu quod idem est, cujus est cognoscere tenebras, & privationem, sed visus percipit tenebras, ergò percipit etiam visionem. Sed Respondeo negando minorem cum majori suæ probationis quantùm ad illud quòd scilicet ejusdem sit potentiæ percipere visionem, cujus est percipere tenebras, quia cùm tenbræ nihil sint, non possunt producere speciem in visu, sinè qua nil cognoscitur in visu. Respondeo secundò, ad missâ gratis majori probationis, negando minorem, quia eas tantùm intellectus cognoscit, in quantùm cognoscens visum ab omni actu cessare judicat eum nunc non videre.

IV. *Sensus internus percipit sensationes externas.* **Dico secundò:** *Sentire sensationes sensuum externorum operatio est interioris sensûs, tam in homine, quàm in brutis.* Ita Doctor 4. d. 4. q. 6. Toletus, &c. Ante probationem notandum, quòd si probavero hoc convenire brutis probatum fore esse sensûs interioris, cum non sit sensûs exterioris nec solius intellectûs, utpote quo carent bruta, erit sensûs interioris. Itaque

Probatur primò: Si bruta non perciperent se sentire, esset, quia hoc est altioris naturæ, quàm sit potentia pura sensitiva, sed hoc non est, ergò: major patet, probatur minor, quia alia opera altiora & difficiliora natura brutis concessit, quæ sunt adeo mira ut rationem arguere videantur.

Probatur secundò: Bruta habentia oculos clausos conantur aperire & aures erigunt, gustumque acuunt, ergò percipiunt se non sentire, quia alioquin hos motus & signa non facerent, ergò si percipiunt se non sentire, percipient etiam se sentire. Nec intelligas tamen, quasi dicere vellem, quòd eam sensationem quasi abstractivè percipiant, cùm hoc solùm intellectui competat, sed dico quòd dum oculus objectum præsens videt, auris audit, &c. sensus internus hoc percipit.

V. *Sensus externus non potest percipere rem non existentem.* **Quæres:** An sensus externus possit percipere objectum non existens, aut existens sed non modo naturali? Ad primum Respondeo, quòd sensationes sensuum externorum conservari quidem possint in potentiis absque existentia objecti, vel specierum, & patet, nam DEUS in genere causæ efficientis qualem causalitatem objectum & species exercent respectu sensationis supplere potest omnem defectum, adeoque poterit conservare sensationem non conservato objecto. Quantùm ad secundum Respondeo, naturaliter potentiam non posse percipere objectum non existens modo naturali, licèt supernaturaliter id non repugnet, maximè si præscinderetur ab illo modo. Probatur, quia si aliqua potentia posset maximè visiva, sed hæc nequit percipere objectum non existens modo naturali, ergò nulla alia; minor probatur, si posset potentia visiva sic tendere in objectum, posset naturaliter videre corpus Christi in Eucharistia, sed hoc non potest, ergò. Probatur minor, tum quia visio fit per multiplicationem specierum ad modum pyramidis, qualiter non posset corpus Christi præstare, tum quia species immittere non posset, cùm tamen visio fiat per immissionem specierum, nam non potest aliquid agens naturale, agere naturaliter nisi sit naturaliter præsens & approximatum subjecto, sed corpus Christi in Eucharistia non est naturaliter præsens & debitè approximatum potentiæ visivæ, cùm non sit ibi modo extenso, ergò. Quòd autem supernaturaliter videri possit probatur, quia corpus Christi in Eucharistia habet esse sufficiens sensibile ad immutandam potentiam visivam & terminandam ipsam visionem, ergò potest videri:

deri: probatur antecedens, proximum sensibile est qualitas sensibilis, seu color cum debitæ quantitate, sed hoc habet corpus Christi in Eucharistia.

QUÆSTIO VII.

Utrum detur sensus agens?

I. *Sensus quæsiti.*

Ante resolutionem notandum, quòd quæstio hæc non procedat de activitate in ordine ad sensationem, sic etenim distinguere deberemus in qualibet potentia rationem agendi & passivi, nec in hoc sensu in dubium controvertitur, quin detur potentia sensitiva agens, cùm sit activa & productiva sui actûs; sed quæritur de activitate in ordine ad speciem sensibilem, an scilicet sensus extrahat ab objectis species sensibiles propriâ virtute sive totali sive partiali? Quo prænotato ad quæstionem

II. *Non datur sensus agens.*

Dico: *Non datur sensus agens.* Ita communis. Quam Scotus probat ex eo, quòd in sensu non sint eæ rationes ad ponendum sensum agentem, quæ sunt ad ponendum intellectum agentem;

Primò: Ideo datur intellectus agens ut transferat objectum de ordine sensibilium & materialium ad ordinem intelligibilium & immaterialium, quæ actio, cùm nequeat totaliter fieri à phantasmate, cùm sit materiale, ideo requiritur concursus potentiæ spiritualis, sed objectum sensibile non indiget in sui perceptione ut transferatur de ordine in ordinem, cùm potentia sit materialis, & non est necesse multiplicare sensum agentem, alioquin si semel in una potentia admitteretur, deberet in omnibus admitti, adeoque darentur potentiæ externæ decem, quod propter solam novitatem est odio habendum.

Probatur Conclusio secundò: Tum quia objectum totaliter producit species in medio, ergò etiam in sensu absque concursu potentiæ, cùm non sit ratio, cur potentia requireretur ad earum productionem in ipsa potentia, cùm antea fuerit ipsum objectum sufficiens, tamen quia si necessarius foret iste concursus, maximè ideo, quia species excederet in perfectione objectum prout contingit in specie intelligibili, sed hoc in præsentiarum non evenit, ergò: probatur minor, quia species sensibilis materialis est & extensa, cùm recipiatur in subjecto extenso, ergò non evenit propter perfectionem speciei. Unde quamvis species dici soleat spiritualis & immaterialis, hoc tamen non est absolutè intelligendum, quasi veram haberet spiritualitatem, sed relatè ad ipsum objectum, quia non est ita sensibilis ac ipsum objectum, per hæc facillimè solvuntur ea, quæ contra opponi possunt vel solent de intellectu agente, nulla enim omnino est paritas.

QUÆSTIO VIII.

An dentur species sensibiles, & quid sint?

I. *Sermo est de speciebus intentionalibus.*

Ante resolutionem advertendum me hîc non agere de specie Logica videlicet de prædicato de pluribus numero differentibus, nec de specie muliebris pulchritudinis, nec de speciebus expressis, quæ sunt ipsæmet sensationes & actus, quibus potentia sensitiva percipit suum objectum, sed de speciebus, quæ etiam vocantur intentionales & sensibiles, prout qualitates quædam sunt productæ & impressæ mediante diaphano ab objecto sensibili potentiæ sensitivæ, habentes similitudinem quandam repræsentativam objecti sensibilis, ut ejus sit munus determinare potentiam, & cum ea concurrere ad percipiendum objectum sensibile. De similibus itaque quæritur an dentur tam in potentiis internis, quàm potentiis externis? Circa quam materiam multiplex est sententia. Occhamus cum suis omnino negat dari species in ulla potentia; Hurtadus visum & auditum tantùm species requirere asserit, Toletus insuper in olfactu; D. Thomas in omnibus sensibus exterioribus defendit; Oviedo è contra in solo visu, ego rem hanc primitùs in generali determinabo, in particulari post modum.

Dico 1. *Dantur species sensibiles tam in sensibus internis, quàm externis.* Est communis, & clarè deducitur ex S S. Patribus Augustino lib. 12. Gen. litt. cap. 6. dicit enim: *Hoc vel arbor, vel Sol & quæcunq; alia corpora, sive Cœlestia, sive terrestria & præsentia in suis formis, & absentia cogitantur, imaginibus animo impressis & factum tam genera visionum, unum per corporis sensus, & alterum per spiritum, quo illæ imagines continentur.* Et cap. 21. *Anima expressas corporalium rerum similitudines in spiritu vice corporum videt.* Et 10. Confess. cap. 8. discurrens de magnis & mirabilibus mundi quomodo ea contineat memoria: *Videbam nec ea tamen videndo absorbui, quando videbantur, res ipsa sunt apud me sed imagines eorum.* Et cap. 9. ait; *Istæ quippe res* sensibiles *non introeunt ullam, sed earum solæ imagines mirâ celeritate rapiuntur.* Tandem lib. 11. Trinit. cap. 2 dicit: *Rationa colligimus nequaquam nos potuisse sentire, nisi foret in sensu nostro aliqua similitudo corporis.* Idem sentit D. Bernardus serm. 6. in Cant. ubi docet, quòd *Angelus nullo corporeæ cujusq; rei informatu intuitu,* intelligat res sibi præsentes supple & actu intelligibiles, ergò alii sensu indigent rerum intuitu & speciebus, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Infra autem adducam eum admittentem species intelligibiles, eadem est ratio de sensibilibus.

Probatur speciatim prima pars Authoritate Phylosophi lib. de mem. & remin: ubi ait, quòd præteritorum recordari non possemus, nec de illis aliquem habere actum, nisi esset aliquid supplens vicem objecti, cùm ad sensationem non sufficiat sola potentia, sed aliquid ultra requiritur, ergò cùm in casu recordationis præteritorum objectum non sit præsens, debebit aliquid admitti quod supplear ipsius vices.

Probatur tertiò: Tum ex eo, quia videmus bruta recordari præteritorum, tum quia in nobis ipsis dormientibus & somniantibus diversæ diversorum hominum olim notorum occurrunt species, quos tunc cognoscimus tanquam notos & præsentes, sed hoc salvari non potest, nisi dicatur quòd dentur in sensu interno species, ergò admittendæ sunt.

Proba-

Probatur etiam secunda pars, primò authoritate Aristotelis, nam 2. An. t. 52. & 59. ait: *Sensum pati ab objecto*, quod non potest intelligi de alio, quàm de receptione specierum, deinde t. 74. ait, objectum diffundere & multiplicare se in medio usq; ad sensum, imò t. 121. inquit: *Sensum esse perceptivum formarum sine materia*; ergò dantur species sensibiles.

Etiam in sensibus exercitatis.

III. Dices: Augustinum & Aristotelem debere intelligi de actu sensationis; ergò nihil probant hæ authoritates. Sed Contra: Nam frequenter contingit, quòd sensus patiatur ab objecto non tamen per receptionem ipsius actûs sensationis, ut patet de dormiente, qui à somno excitatur, per receptionem speciei sensibilis vehementis, & patitur ante sensationis actum; Item in oculo cœco sic manente permixto recipitur species objecti, & ab illo patitur, & tamen non videt, deinde ex ipso contextu contraria mens eorum clarè colligitur.

IV. Probatur eadem pars secundò, multis experientiis, nam sont, odores, fœtores, colores, &c percipiuntur in maxima distantia Sol & Luna existentes supra nos apparent in aquis, res etiam à tergo positæ cernuntur in speculo; ergò necessariò dantur hujusmodi species.

Alia probatio.

V. Dices: Imagines in speculo non esse visibiles realiter extra objectum, sed esse meram actionem præsentiæ rei visibilis potentis speculum attingere & suam figuram in eo efformare, quæ actio cùm non sit actio vera, non habebit terminum realem, qui esset species, ergò. Contra: oculus est potentia realis materialis; ergò necessariò debebit aliquid reale aspicere impressum in speculo à re post tergum existente, hoc autèm esse nequit mera & pura actio ipsius præsentiæ rei visibilis, nam cùm actio sit relatio sub sensum non cadit, sicut non videmus calefactionem vel combustionem, sed ipsum calorem & ignem productum, sic etiam non ipsam actionem videbimus in speculo, sed terminum per eam productam, cùm nihil aliud assignari possit, nam ipsa res utpote post tergum existens, adeoq; extra sphæram activitatis potentiæ visivæ.

VI. Probatur tertiò, & meo videri efficacissimè, tum ex varietate perspiciliorum, quorũ aliqua res majores, aliæ res minores, alia eminùs vel cominùs, repræsentant, sicut etiam frequenter sæpiùs ut fit in polygono; tum ex eo, quòd si quis oculum cum palpebra deprimeret vel attolleret, idem omninò objectum conspiceret geminatum, quod non potest provenire ab objecto, cùm ipsum tantùm sit unum, ergò ab alio, à nullo meliùs quàm à specie impressa, quæ non recta tunc ad oculum perveniret; ergò dantur hujusmodi species impressæ.

Probatur tertio.

VII. Opponitur authoritas Aristotelis lib. de sens. & sensib. c. 2. ubi improbat opinionem Democriti ponentis species ab objectis prodeuntes, imò 2. de Anima t. 141. ait, eundem actum esse rei sensibilis & sensûs, ergò. Verumtamẽ ad primam authoritatem respondeo, Aristotelem non reprehendere Democritum ponentem species ab objectis prodeuntes, sed quia per receptionem earum posuit fieri sensationẽ, quod etiam supra impugnavi; In secundo loco dicit eundem actum fieri ab objecto, & à potentia, ex quo nihil contra me deducitur, cùm hoc pariter concedã, quamvis species penes admittã.

Objectur Aristoteles.

VIII. Dico 3. *Species sensibiles non sunt corpuscula, vel substantiæ, sed qualitates de prima vel tertia specie, alterius omninò rationis ab objecto.* Ita D. Augustinus lib. 10. Civ. c. 13. dicens: *Sicut sonus quo auditur sententia in silentio intelligentiæ non est hoc quod ipsa, ita & species qua visus est Deus in natura invisibili non est quod ipse*: lib. 12. Gen. litt. 24. *Species non est hoc* (objectum) *sed similis.* Et lib. de decem chordis cap. 8. ait: *In Filio est imago tua secundùm æqualitatem substantiæ, in speculo autem quam longè est à substantia, & tamen est imago quædam tua, quamvis non talis, qualis in filio tuo secundùm substantiam.* Tandem lib. 83. qq. q. 74. dicit: *In speculo est imago hominis, quia de illo expressa, est etiam necessariò similitudo, non tamen æqualitas.* Quòd autèm qualitas sit lib. 5. contra Julian. 14. sic adstruit: *Rerum corporalium qualitates in res incorporales transire, quando formas corporũ quas videmus haurimus.* Est etiam Scoti 2. d. 3. q 1. B. Mastrii &c.

Species non sunt corpuscula sed sunt qualitates.

Probatur prima pars: Tum ex eo quòd producantur ab objectis, quæ sunt accidentia; tum quia aliàs daretur corporum penetratio, nam in qualibet parte medii inveniuntur plures species diversorum objectorum; tum aliàs omninò impediretur respiratio, ergò species non sunt corpuscula vel substantiæ, ergò accidentia, non possunt autèm esse de genere quantitatis ob easdem rationes, ergò erunt de genere vel specie qualitatum. Confirmatur ex supradictis, quia nulla substantia est de se sensibilis, sed species sensibiles sentiuntur, imò sunt rationes sentiendi, ergò non sunt substantia. Sed

IX. Dices: Lumen est vera species sensibilis lucis etiam secundùm nos, sed lumen est substãtia, ergò; probatur minor, quia radii solares incidentes in foramen camini impediunt exitum fumi, sed hoc non præstarent nisi essent substantiæ & corpuscula, ergò. Respondeo concessâ majore negando minorẽ, ad cujus probationẽ nego majorem, nam hoc nõ faciunt radii solares, sed si experientia vera est, ipse aër affectº aliis quibusdam qualitatibus, si verò spiret, sicut ordinariè est ad ignẽ, ventº, ipsi erit hic effectº adscribẽdº.

Lux non est substantia.

Probatur secunda pars, tum ex Aristotele 2 An. t. 121. & 138. ubi species vocat formas sine materia, id est sine natura realis qualitatis sensibilis, non verò quòd sit sine materia, quæ est pars compositi, cùm quodlibet accidens utpote forma simplex sit sine hac materia; tum ex Scoto 4. d. 44. q. 3. A, ubi dicit ignem duplicem posse habere actionem in corpore realem, unam intentionalem, alteram producendo speciem, quia species sensibilis non est omninò simpliciter ejusdem speciei cum ipso objecto: Tum denique, ex ratione, quia nulla duo contraria naturaliter possunt esse in eodem subjecto, sed species summi albi & summi nigri naturaliter sunt in eodem subjecto, scilicet organo, ergò nõ sunt ejusdem rationis cum ipsa albedine & nigredine, quę naturaliter sic simul esse nequeunt.

X. *Species sunt qualitates.*

XI. Dices: Hæc convenire objectis non ex propria natura, sed ut habeat essendi modum realem, non verò prout habent modum essendi inten-

Pulchrè ex responsione probatur non esse ejusdem rationis cum objectis.

intentionalem, ideoq; species intentionales contrariorum possunt esse simul in eodem objecto. Sed Contra, si objectis repugnat ut sint simul, in quantùm habent esse reale, repugnabit etiam in quantùm habent esse intentionale; ergò non sunt ejusdem rationis, probatur antecedens, quæ sunt ejusdem rationis & habent eandem essentiam, quidquid convenit vel repugnat uni, convenit vel repugnat alteri, cùm prædicata convenientia vel repugnantia sequantur naturam & quidditatem rei; ergò si sunt ejusdem rationis in esse reali & intentionali, si repugnat esse simul in esse reali, repugnabit etiam esse simul in esse intentionali, quod tamen falsum esse cernimus. Deinde illæ species per medium diffusæ corrumpuntur manente eadem re, sed implicat quòd eadem essentia numero maneat & non maneat, imò species sunt talis naturæ, ut tantùm maneant manentibus objectis desinantq; ad desinentiam eorum, sed objecta non sic desinunt, ergò. Nec valet recurrere ad diversum modum essendi, quia ut dictum est, sicut implicat quòd præexistens producatur vel reproducatur, ita implicat, quòd idem possit corrumpi & manere, quia sicut productio totum esse rei ponit nihil illius præsupponendo, ita corruptio totum esse tollit nihil illius relinquendo; ergò cùm in corruptione specierum admittatur esse quod habebant totaliter amittent, non tantùm secundùm esse intentionale, sed etiam secundùm esse reale, consequenter desineret Corpus Christi in Eucharistia secundùm substantiam desineret pariter etiam in Cœlo, cùm sit eadem omninò substantia licèt habeat diversum essendi modum.

XII. *Alia probatio ad idem.*

Probatur eadem pars Conclusionis secundæ, & meo videri efficacissimè, nam ideò ponunt Adversarii species esse ejusdem rationis cum objectis, quia debent repræsentare objecta, sed hæc ratio nullius est valoris, ergò: probatur minor, quia alioquin in intellectu angeli alicujus reperiretur quidditas hominis, asini, bovis, cùm eorum species in ipso sunt, sed hoc dici nequit, ergò. Deinde in sententia ipsorum, Angeli superiores intelligunt per pauciores species, quàm inferiores, ita quòd species superioris plura repræsentet, quàm species inferioris, sed si species essent ejusdem naturæ cum objecto, sequeretur, quòd eadem species esset ejusdem naturæ cum rebus diversorum generum, verbi gratiâ, eadem species esset ejusdem naturæ cum homine, Leone, bove, &c. sed hoc implicat, ergò.

XIII. *Explicatur Aristoteles.*

Opponitur: Secundùm Aristotelem, lib. de mem. & remin. cap. 2. species diffusæ habent se ut imagines & simulachra objecti, sed imago & similitudo est inter illa, quæ sunt ejusdem rationis, ergò. Sed respondeo explicando Aristotelem dicit esse imagines formales, & ut medium cognitum, nego; tales enim sunt ejusdem rationis cum imaginato & repræsentato, adeoque solùm dixit, quòd sint imagines virtutes & rationes repræsentandi, si autèm sufficeret ad imaginem & formalem similitudinem, ut aliquid sit ratio cognoscendi non quidem ipsum priùs cognitum, tunc etiam possent dici formales imagines.

Instatur: Quod est ratio cognoscendi est etiam ratio continendi illud, quia continens aliquid quoad cognosci continet etiam illud quoad esse, sed species ex dictis sunt rationes cognoscendi objecta; ergò debebunt etiam continere illa in essendo, adeoq; erunt formales imagines & similitudines, ac ejusdem rationis. Sed respondeo distinguendo antecedens, quod ducit in cognitionem ut repræsentativum alienum concedo, ut repræsentativum proprium nego antecedens & consequentiam, datur enim vel saltem dari potest species impressa Divinæ essentiæ, quæ est repræsentativa illius & tamen illam non continet in essendo, quia non ducit ut objectum cognitum, sed solum ut ratio cognoscendi.

Urgetur: Species unius objecti nec potest repræsentare aliud objectum non ob aliam rationem, quàm quòd species debeat continere perfectionem talis objecti, ita ut perfectioris objecti sit etiam perfectior species; ergò species propria debet continere entitatem & perfectionem objecti repræsentati, aut sequeretur quòd quælibet species possit repræsentare quodlibet objectum, quod falsum est, ergò. Sed respondeo distinguendo consequens, debet continere secundùm esse reale proprium, nego, quoad esse intentionale & quoad cognosci concedo consequentiam, unde hæc ratio est cur perfectioris objecti detur species perfectior & non sufficiat quæcunque ad repræsentandum quodcunque objectum, quia species ab intrinseco sui habet, quod sit virtualis similitudo objecti, unde perfectioris objecti est perfectior species, quia licèt non contineat illam perfectionem in essendo, continet tamen in repræsentando, & secundùm esse intentionale, quod sufficit ut perfectioris objecti detur perfectior species. Ut dictam replicam melius intelligas particulariter examinandum duxi an species sit formalis similitudo objecti nec ne? Unde sit

QUÆSTIO IX.

An species impressa sit formalis similitudo objecti?

Ante resolutionem Advertendum primò, similitudinem tripliciter sumi posse scilicet pro *Formali*, *Objectiva & Virtuali*; *similitudo Formalis* ea dicitur, quæ objectum repræsentat ad modum imaginis, sicut se habet actus cognitionis & intellectionis: *Objectiva*, quæ se habet ut medium cognitum, & est imago alicujus rei quæ priùs cognita ducit in cognitionem sui prothotypi, ut imago Cæsaris ducit me in cognitionem Cæsaris: *Virtualis* denique illa dicitur, quæ est quasi semen & virtus productiva illius, quod formaliter repræsentat objectum, volut Ars pictoria potest dici virtualis similitudo hominis, quia est productiva imaginis formaliter repræsentantis hominem, de his itaque quæritur an species, cùm sit similitudo objecti, debeat in se ipsa priùs cognosci? vel si non habet se ut medium cognitum, sed solùm ut ratio cognoscendi, an sit ratio formaliter repræsentans, vel tantùm virtualiter?

Advertendum secundò: Objectum diversimodè producere sui speciem diver-

ctè, reflexè & refractè; directè producit tunc, quando per lineam rectam transfundit suam speciem per omnes partes medii interjacentis usque ad potentiam, vel ad aliud corpus, ad quod terminatur ejus actio, ita tamen ut medium sit ejusdem diaphaneitatis, densitatis, vel raritatis: *Reflexè* producitur species, quando corpore opaco impediente ulteriorem productionem speciei reflectitur per eandem lineam, per quam est producta, ad ipsum objectum primò producens, unde autèm reflexio oriatur, dictum est supra: *Refractè*, seu *fractè*, quando impeditur ulterior ejus progressus directè, verùm tamen non revertuntur per lineam rectam ad causam primò producentem, sed franguntur & rejiciuntur hinc inde ad latera corporis impedientis, item quando transmittuntur species per media inæqualis diaphaneitatis, raritatis, vel densitatis, ut quando videntur per trigonum, polygonum &c. His prænotatis

Objectum aliquando directè aliquando reflexè producit suas species.

III. *Species non sunt similitudo objecti.*

Dico 1. *Species non sunt similitudo objectiva, & medium quod respectu objecti.* Est Mastrii contra Durandum, Gregorium.

Probatur primò ex authoritate S. Augustini supra lib. de decem chordis cap. 8. & lib. 83. qq. q. 74. *Medium quod* nec repræsentat objectum ut distans, nec in cognitionem ducit nisi sit priùs cognitum, sed species sensibiles repræsentant objectum ut distans, & ducunt in cognitionem non cognitæ; ergò non sunt *medium quod* seu similitudo objectiva; patet major, nam si quis aspicit imaginem Cæsaris, illa imago nec repræsentabit, an Cæsar procul vel propè distet, nec etiam eandem intuens cognoscet Cæsarem, nisi aliunde eam jam antea cognoverit: patet etiam minor, quoad primam partem, probatur quoad secundam, quia si illæ deberent priùs cognosci tanquam similitudo objectiva, deberet etiam objectum ipsarum priùs aliunde cognosci, sicut priùs Cæsarem aliunde debui cognovisse, antequam per ejus imaginem eum cognoscam, sed hoc est invertere rerum ordinem, ergò.

Probatur secundò, tum quia quando videmus albedinem in pariete, non videmus ipsam speciem albedinis, quæ in oculo aut aëre est; tum quia alioquin deberet dici, quòd species sit objectum sensûs, cùm tamen ponantur qualitates reales pro objectis sensuum, ergò. Ut hæc probatio evadat difficultatem quæ opponi posset, scilicet ipsas etiam species posse percipi ab objecto immediatè, verbi gratiâ, species coloris vel luminis, ideò

IV. *Si ipsa species videatur per modum objecti, dici poterit similitudo objectiva ejus.*

Dico 2. *Si ipsa species videatur per modum objecti, dici poterit similitudo objectiva ejus.* Hæc colligitur ex D. Augustino, nam cùm supra dixerit, non esse imagines similes rerum, & cùm lib. 11. Trinit. cap. 1. asserat, quòd *species sit imago simillima rei, quam cernimus*, intelligit utiq; vel quòd tunc sit simillima cùm videtur ipsa species, quas videri posse tam supra, quàm alibi docet, ut tract. 47. in Joan. dicens: *Lumen ergò & alia demonstrat & seipsum*, sed lumen est species lucis, ergò. Colligitur etiam Conclusio ex Mastrio Disp. 4. de an. ubi aliter judicat sentiendum, si ipsa species videatur, videtur etiam esse Pontii disp. 109. q. 7. Conclus. 3. ubi ait, quod si videatur species, quòd sit formalis similitudo objecti, unde cum eo primò conveniendum esset in explicatione terminorum. Itaq;

Probatur Conclusio ex explicatione supra datâ, quid sit formalis & objectiva similitudo, quia videntur species colorum taliter, ut appareant omninò similes ipsis coloribus; ergò habent similitudinem objectivam cum ipsis coloribus, non realem tamen, sed intentionalem; consequentia videtur evidens, quia illud quod est natum, repræsentare objectum prout est in se, & omninò quæ in eo sunt, ac si ipsum objectum perciperetur est similitudo objectiva; antecedens patet pluribus experientiis, quas ipse affert Doctor 2. d. 13. n. 24. videlicet quando lumen reflectitur ad cortinas, plantas virides, vitra colorata, unde parietes ad quos fuerint hæ reflexiones, apparent virides, rubri, &c.

Dices: Non videri species sed ipsos colores reflexè sicut in speculo videtur ipsum objectum reflexè, ergò: antecedens est Doctoris, nam in 4. d. 10. q. 9. ad finem dicit: *Et hæc est ratio, quare non videatur in speculo ipsa imago corporis multiplicata usq; ad speculum, sed ipsum corpus est imago.* Respondeo primò in gratiam Doctoris, negando consequentiam, disparitas est, quòd quando videntur species coloris, non videntur per species reflexas, sed directas, unde ipsamet videri debent, & non objectum, quod patet, quia videntur in corpore non nato reflectere nimirum in pariete, speculum autem est corpus natum reflectere. Respondeo secundò: Cum Pontio negando antecedens, quia eadem est ratio, & quòd videantur species in pariete & in speculo reflexè, & in pariete directè.

V.

VI. *Non est formalis similitudo.*

Dico 3. *Species non est formalis similitudo objecti in hoc videlicet sensu, quasi eadem entitas objecti sit sub modo essendi non naturali, sed repræsentativo.* Ita Mastrius contra Complutenses.

Probatur, tum ex quæst. præcedente Concl. 3. Tum quia si species esset eadem objecti quidditas in repræsentatione, ad quid posteà prodesset species expressa, ad nihilum, quod est inconveniens & probatur, quia potentia sufficienter intelligeretur constituta tanquam formaliter cognoscens objectum, eiq; esset assimilata intentionaliter per speciem formaliter repræsentantem objectum; ergò species expressa ad nihilum ampliùs deserviret, ergò species non est formalis similitudo in sensu Complutensium. Sed

VII. *Explicatur Aristoteles.*

Opponunt Complutenses authoritatem Aristotelis 2. de An. t. 63. ubi docet, Potentiam per receptionem specierum fieri talem, quale est ipsum objectum, ergò debent esse formalis similitudo objecti; probatur consequentia, quia si species non esset omninò eadem cum objecto, & similitudo formalis non fieret potentia per ipsam similis objecto, sed potiùs dissimilis, ergò. Verùm respondeo explicando Aristotelem, eum scilicet velle, quòd potentia fiat similis objecto in esse repræsentativo & actu primo, non verò quòd sit eadem natura cum objecto, sicut nec cognitio, quamvis repræsentet lapidem est quidditas lapidis, alioquin deberet etiam lapidis esse vitalis sicut est cognitio.

Quæ similitudo fundetur in natura.

Instatur: Similitudo fundatur in natura, sed species dicitur similitudo objecti; ergò debet esse eadem in natura, consequenter non valet distinctio de esse repræsentativo & reali. Respondeo distinguendo majorem, similitudo realis & mutua concedo majorem, similitudo intentionalis nego: distinguo etiam minorem, species dicitur similitudo objecti in natura & essentia nego, in repræsentando concedo minorem, & nego utramque consequentiam.

Species expressa est tantum similitudo intentionalis.

Urgetur: Species expressa est similitudo formalis objecti, ergò & impressa; probatur consequentia, quia species expressa producitur per impressionem totalitate effectûs, licèt non totalitate causæ tanquam filius & verbum, sed verbum est similitudo formalis; ergò & illud quod producit illud. Sed respondeo negando consequentiam, ad cujus probationis majorem, dico speciem expressam esse verbum & filium intentionalem, non verò realem, adeoq; licèt sit formalis similitudo in repræsentando, non est tamen in natura & essendo, quod autèm intentionaliter procedit non debet semper esse simile in natura in essendo suo principio, quia sensatio non est similis potentiæ, quæ tamen est ejus principium, unde species est quædam virtus seminalis objecti potentiæ impressa, & ideò non debet esse similis objecto formaliter, sicut semen quod est virtus productiva viventis non est simile formaliter ipsi viventi.

VIII. *Species potest dici formalis similitudo objecti.*

Dico 4. *Species prout differt à medio cognoscendi quod, & est medium cognoscendi quò, potest dici similitudo formalis objecti, si verò consideretur respectu & in comparatione ad actum, cognitionis non est nisi virtualis similitudo objecti.* Hæc colligitur ex D. Augustino lib. 11. Trinit. cap. 2. ubi ait: *Res visibilis gignit formam veluti similitudinem suam.* Mastrio disp. 4. de an. q. 6. n. 111.

Probatur prima pars: Quia *medium cognoscendi Quod* tantùm virtualiter continet illud quod facit cognoscere, quia non se habet ut ratio cognoscendi, nec concurrit cum potentia per exhibitionem propriæ entitatis, sed species concurrit per exhibitionem propriæ entitatis, habetque se ut ratio cognoscendi; ergò in quantum differt *à medio quod* potest dici similitudo formalis objecti, cùm tantùm ad eam enumerata requirantur.

Probatur secunda pars: Quia species pertinet ad actum primum, constituitq; objectum actu cognoscibile, cognitio verò spectat ad actum secundum, constituitq; objectum actu cognitum, & reddit potentiam formaliter cognoscentem, sed quod tantùm se habet habitualiter & est tale in actu primo congruentiùs dicitur tale tantùm virtualiter, sicut quod est tale in actu secundo dicitur tale formaliter, ergò species in comparatione ad actum non erit nisi similitudo virtualis objecti.

IX. *Sunt divisibiles.*

Dico 5. *Species sensibiles non solùm divisibiles sunt subjectivè, seu in essendo, sed etiam objectivè & in repræsentando.* Colligitur ex Scoto 3. d. 8. q. un. infra A.

Probatur primò Authoritate S. Augustini lib. 2. lib. arb. cap. 14. dicentis: *Species omnis visibilis tanquam intumescit per locos, nec ubique tota est*; ergò divisibilis est subjectivè, sed esse etiam objectivè, & in repræsentando docet Epist. 151. ad Nebrid. dum ait eas & augeri & minui, his verbis: *Mirum est, quod in Imaginibus videmus, quæ specula referunt: nam quamvis ingentia specula sunt non reddunt imagines majores, quam sint corpora etiam brevissima objecta. In parvis autem speculis sicut in pupillis oculorum, etsi magna facies ei opponat, brevissima imago pro modo speculi formatur. Ergò & imagines corporum minui licet, si specula minuantur, augeri si augeantur non licet.* Et tandem lib. 6. Mus. cap. 8. dicit: *Nonne ipsi existimandi sunt per certum spatium temporis tendi nos in ipsis corporum formis, quæ ad oculos pertinent, posse nos rotunda vel quadrata & omninò sentire nisi obliquo oculos verteremur. Cùm autem aliqua pars aspicitur, si excideris, quod est aspectum in alia frustratur omninò judicantis intentio.*

Probatur secundò ratione & in primis prima pars, tum quia omne accidens receptum in subjecto quanto est extensum subjecti extensione, sed species recipitur in subjecto quanto, puta, organo &c. ergò ipsa quoque est extensa; tum à qualitate extensa & corporea non potest produci qualitas incorporea & spiritualis, sicut nec à substantia gigni potest substantia, nisi talis qualis illa est scilicet materialis à materiali, quæ proinde non potest spiritualem producere, quia nihil agit nisi intra latitudinem sui objecti, sed species producitur à qualitate extensa & corporea; ergò ipsa quoque talis est. XI.

Probatur secunda pars: Si species non esset divisibilis in repræsentando, ita quod pars speciei solam partem objecti, & tota species totum objectum repræsentaret, sed pars etiam posset repræsentare totum, sequeretur partem objecti quantitatis duorum palmorum, verbi gratiâ, non posse videri, neque repræsentari secundum medietatem illius, sed hoc est falsum & contra omnem experientiam; ergò, probatur sequela, nam ut repræsentetur, illa medietas, requiritur species, sed si hæc est indivisibilis & indivisibiliter repræsentat objectum, debebit totum repræsentare; ergò sequetur, quòd nunquam posset videri medietas, sed semper deberet videri totum. Confirmatur primò, in casu posito de objecto duorum palmorum, & visâ medietate illius, detegatur postea secundus palmus, seu altera medietas, quæro vel species repræsentans primum palmum pendet in fieri & conservari à secundo palmo, vel solùm à primo, si à secundo; ergò detecto palmo non manet illa species in esse, nam non manet causa à qua pendet in esse; si non, ergò divisibiliter producitur prima pars speciei à parte objecti, & tota species à toto objecto. Confirmatur secundò, si esset eadem species indivisibiliter repræsentans objectum æqualiter videretur pars objecti remotior, ac propinquior quod est contra experientiam; ergò, probatur sequela, quia esset idem repræsentativum indivisibiliter repræsentans & eadē potentia, ergò. Sed in contra XII.

Arguitur: Quandocunque unum agens secundum multas partes concurrit ad productionem alicujus, effectus est à qualibet

parte agentis & totus à toto agente, ita quòd non posit asignari, quòd hæc pars sit ab hac parte agentis & illa ab altera, sed partes objecti in productione speciei se habent ut causæ partiales integrantes unam totalem causam, ergò ita producunt speciem ut nulla pars speciei posit asignari, à qua causa sit producta, adeoque producunt indivisibiliter, minor est certa; probatur major: Quia totus ignis *B.* est à toto igne *A.* & totus à qualibet parte ipsius, cùm omnes illæ partes ignis *A.* simul unitæ unicum genus, quod indivisibiliter se habet ad productionem ignis *B.* constituant; prout etiam se omnia agentia partialia habent in ordine ad suum effectum, ita quòd effectus ab omnibus partibus æqualiter dependeat totalitate effectûs, ut patet de duobus trahentibus currum vel navium, &c. ergò. Sed Respondeo distinguendo majorem, quando illa agentia partialia concurrentia concurrunt ut agentia partialia respectu unius effectûs totalis, & quando quodlibet eorum sejunctim acceptum non est sufficiens ullo modo ad productionem effectûs, concedo majorem: Quando plura agentia partialia concurrunt simul unita, ita tamen ut quodlibet illorum sua propria actione sit sufficiens ad effectum sibi correspondentem producendum nego majorem: In proposito autem partes visibiles in ordine ad productionem speciei se ita habet ut quælibet suâ virtute posset correspondentem sibi speciem producere, ita ut pars sit à parte, & tota à toto objecti.

XI. **Instatur:** Si dum plura agentia concurrentia ad effectum producendum & habentia virtutem producendi sejunctim partem, quodlibet illorum producit partem aliquam, sequeretur visibile magnæ quantitatis non posse in exigua pupilla oculi tot species ipsum objectum repræsentantes producere, quot partes visibiles continet, sed objectum magnæ quantitatis adhuc est per species in parva pupilla, ergò pars speciei non producitur per partem & tota per totum, sed indivisibiliter. Respondeo negando sequelam, nam in pupilla oculi sunt tot partes repræsentantes objectum, quot partes visibiles sunt in ipso visibili, nec hoc est inconveniens, quia possunt plures partes speciei plurium visibilium imò contrariorum in eadem parte oculi contineri, cùm non sint ejusdem rationis cum objectis.

XII. **Urgetur:** Non est asignabilis aliqua pars pupillæ oculi, cui non insit species repræsentans totum objectum, seu quæ non percipiat totum objectum, ergò objectum respicit pupillam in causando speciem sui, ut quoddam indivisibile, ergò indivisibiliter in causando se habet; probatur hæc consequentia, quia quâ ratione respicit potentiam ut à visibili motam, eâdem ratione respicit illam ut movens, ergò si potentia in recipiendo speciem objecti habet se ut indivisibile objectum, pariter in causando habebit se ut indivisibile, ergò tota species à qualibet parte objecti causabitur, & non pars à parte, & tota à toto. Respondeo distinguendo consequens, ergò objectum respicit potentiam in movendo & imprimendo in illa speciem sui ut quoddam indivisibile in ordine ad effectum in ipsa receptum nego; loquendo de illa parte determinatæ quantitatis ad movere potentiam recipientem concedo consequentiam; nam visibile determinat sibi certam molem, ultra quam minorem videre non potest, unde cum quælibet pars objecti moveat totam potentiam, in totaque potentia causat propriam speciem, quapropter quælibet pars potentiæ totum objectum videt, & non partem solam, & quamvis partes speciei totius objecti divisibilis recipiantur in potentia ut in quodam indivisibili, ipsæ tamen species receptæ non repræsentant indivisibiliter, sed quælibet pars speciei respicit partem objecti, ut experientia patet, quara si objectum secundùm unam partem esset alteri parti dissimile, perciperetur ut dissimile secundùm illam partem, quod non contingeret, si repræsentaretur per speciem ut indivisibilem.

QUÆSTIO X.

De causa, & causatione specierum.

I. In hac quæstione Examinabo tum quomodo species producantur, & à quo? Tum etiam quomodo ipsæ ad productionem actus, vel sensationis cum potentia concurrant, itaq; pro resolutione primæ partis tituli

II. *A quo causentur species sensuum externorum.* Dico 1. *Species sensuum externorum aliquando causantur ab objecto efficienter, aliquando ab alia specie impressa.* Est communis, &

Probatur prima pars primò authoritate S. Augustini lib. 11. Civit. cap. 2. ubi ait: *Res visibilis gignit formam veluti similitudinem suam.* Et cap. 8. dicit: *Sensus accipit speciem à corpore quod sentimus.* Similia habet cap. 9. pro conclusione quarta citandus. Secundò si non posset produci ab objectis, sed esset necessarius concursus potentiæ, hoc ideo esset, quia species in perfectione excederet objectum, sicut excedit species intelligibilis, sed hoc est falsum, ergò: probatur minor, quia species sensibilis educitur de potentia subjecti materialis, & est extensa, atque divisibilis, ergò est æquè materialis; nec obstat, quòd dicatur immaterialior objecto, nam sensus est, quòd sit minoris entitatis, & minùs sensibilis. Confirmatur, tum quia cùm objectum sit causa sufficiens earum, gratis recurreretur ad aliam concausam; tum quia objectum eas totaliter producit in medio, ergò etiam in potentia absq; concursu potentiæ

Probatur secunda pars: Quia illud producit speciem impressam, quòd mediante aliâ immediatè percipitur *ut quod*, sed una species impressa percipitur mediante aliâ ut quod, ut patet de specie rubedinis, vel alterius coloris in pariete, aut charta, ergò species impressa aliquando producit aliam, unde si in speculo videtur species, & non ipsum objectum species illa in speculo producit aliam speciem in oculo tanquam causa totalis, si verò non videatur species in oculo, causabitur reflexè ab ipso objecto, quia ex oppositione corporis politi impeditur agere directè.

III. *Sensibile per accidens non producit sui speciem.* Dices secundò: *Sensibile per accidens non producit sui speciem.* Ita Scotus in 1. d. 3. q. 3.

q. 3. R. & in 2. d. 13. q. un. Contra Thomistas & Conimbricenses asserentes potentiam cogitativam apprehendendo speciem accidentis sensibilem eruere speciem substantiæ latentem in hoc, ex quodam textu Aristotelis 3. an. t. 10. asserentis cognitionis hujus carnis singularis pertinere ad potentiam sensitivam, ubi tamen non docet cognitionem istam distinctè terminari ad individuum substantiæ, ut substantia est, sed solùm sensum internum singulare cognoscere, ut substat accidentibus quod est confusè, & implicitè cognoscere, nec à nobis negatur, nec Augustinus, qui etiam in contra citatur, aliud prætendit. Sed

Probatur Conclusio: Ideo potentia cogitativa posset hanc speciem eruere, quia ibi lateret, nam nisi ibi adesset, nunquam posset species illa elici, seu erui sicut quis non eruet thesaurum fossione, nisi in loco ubi fodit, lateat, sed ex hoc sequitur maximum inconveniens, scilicet mysterium Eucharistiæ naturaliter esse cognoscibile, ergò non poterit potentia imaginativa eruere speciem; major est adversariorum, probatur minor; quando adest substantia, potest potentia cogitativa eruere speciem ejus, & si non adest, non potest potentia cogitativa eruere speciem, sed in Eucharistia non est substantia, ergò potentia non posset eruere, consequenter naturaliter posset mysterium hoc cognoscere, quod tamen falsissimum est, ergò.

IV. *Deus non producit illas species.*

Dices: Occultari hoc mysterium per hoc, quòd Deus producat in cogitativa speciem substantiæ ac si adesset. Sed contra primò: Quia sic Deus concurreret immediatè ad actum erroris, quod implicat, unde infideles excusabiles essent, nam illi talem speciem experirentur in seipsis, quam tamen tunc non deberent experiri. Contra secundò: Quia sensus externi non percipiunt substantiam, nec habent speciem, illius ergò neque sensus internus, cùm illi se habent ut janua ad istum, ergò sub speciebus accidentium nequit latere substantiæ species; cùm hæc non possit transire per sensus externos.

V. *Nec sensibile commune propriam.*

Dico tertiò: *Probabiliùs est sensibile commune non producere propriam speciem, sed cognosci per speciem proprii sensibilis modificatam à sensibili communi.* In hac materia Scotus est problematicus, admittitque utramque partem tanquam probabilem, quamvis in nostram magis inclinet, nam in 4. d. 49. q. 13. ad. 1. negat Cœlum, quamvis magnitudine præditum posse inmutare manum illud tangentem. Itaque

Probatur Conclusio de numero, motu, quiete, & figura, quia hæc omnia secundùm id, quod formaliter dicunt, sunt aut non entia, aut relationes, sed non entia, & relationes non possunt causare speciem, ergò: probatur major ex dictis supra in hac Disp. q. 2. probatur etiam minor, quia non entia, & relationes sunt formalitates imperfectiores speciebus sensibilibus, utpote quæ sunt entia absoluta de genere qualitatis, ergò non poterunt has illa producere, Sed cum Arriaga

VI. **Dices:** Quies sensibile commune potest sumi pro consistentia in loco, quæ consistentia est ubicatio, sed ubicatio tam clarè à nobis videtur, sicut videtur albedo ipsa, nam cognoscimus albedinem esse in hoc loco, ac albedinem ipsam in se, ergò sensibile commune potest producere speciem. Sed nimis inconsequenter loquitur Arriaga, nam cognoscimus æquè albedinem esse circularem, vel quadratam, ac ipsam in se, ergò si ex hoc capite dantur species quietis, seu ubicationis, dabuntur etiam aliorum sensibilium communium, quod tamen est contra Arriagam, ergò nec ipsius ubicationis dabitur.

Probatur Conclusio de magnitudine; si magnitudo causat speciem, vel eandem producit pro omnibus sensibus, vel unam pro uno, & aliam pro alio? Non primum, quia nequit eadem species plures sensus immutare, sicut enim quilibet habet proprium operandi modum, ita petit proprium motivum ab aliis distinctum; nec etiam secundum, quia quodlibet sensibile sicut determinatam habet entitatem, ita determinatam immittit speciem, ergò magnitudo, & consequenter etiam nullum aliud sensibile commune causabit propriam speciem. Confirmatur conclusio, quia non sunt multiplicanda entia sinè necessitate, sed sufficienter salvatur cognitio sensibilis communis per speciem sensibilis propri, ergò. Sed in contra pro adversariis

Arguitur primò: Species nata est repræsentare objectum, à quo gignitur, ergò species coloris repræsentabit colorem solum à quo producitur, non verò quantitatem seu magnitudinem, ergò magnitudo debet repræsentari per aliam speciem. Respondeo tamen negando consequentiam, quia species non solùm debet repræsentare colorem, sed etiam omnes affectiones illius, quæ concomitantur illum, unde quia sensibile commune semper invenitur cum sensibili proprio, species sensibilis proprii nata est repræsentare utrumque.

Instatur: Quantitas est realiter distincta à colore, & magis distinguitur, quàm sonus ab eo, ergò si eadem species nequit repræsentare colorem & Sonum multò minùs colorem & quantitatem. Respondeo negando consequentiam, disparitas est, quia color & Sonus habent objecta disparata, disparatarum potentiarum, quantitas autem cum colore respectu oculi non habet se, ut disparatum objectum, sed solùm tanquam conditio & affectio coloris ut reddatur potentiæ sensibilis.

Urgetur: Si sensibile commune non perciperetur nisi per speciem sensibilis proprii sensibile commune non distingueretur à sensibili per accidens, veluti est substantia, sed hoc est falsum, ergò. Respondeo negando majorem, disparitas est, quia sensibile per accidens, nec movet potentiam, nec terminat actum sensationis, neque se solo, neque cum alio, sensibile autem commune per se movet potentiam & terminat actum non quidem se solo, sed unitum sensibili proprio.

Replicatur: Si sensibile commune per se movet potentiam, & per se terminat actum, vel causat aliquid distinctum à specie sensibilis proprii, vel nihil? Si primum, ergò speciem, si se-cun-

secundum, ergò non per se, sed per accidens percipitur. Respondeo quòd sensibile nihil causet, negatur tamen consequentia, quia sensibile proprium ex se producit illam speciem objecti repræsentantem objectum cum omnibus suis conditionibus & affectionibus, & hoc sufficit ut dicantur sensibilia per se, quatenus scilicet verè terminant actum sensationis.

IX. *Ex variatis affectionibus sensibilis variatur sensatio.*

Arguitur secundò: Dum corpus album variat solam figuram, ut dum ex quadrato fit rotundum, fit nova visio, ergò & nova species, sed non sensibilis proprii, ergò communis. Probatur subsumptum, quia sicut sensibile proprium idem permanet ita & eadem ejus species, ergò tota variatio erit ex parte speciei sensibilis communis. Respondeo negando subsumptum ad probationem dico quòd licèt maneat sensibile proprium, quia tamen variantur affectiones ejus, ideo etiam variari debet species cùm hæc repræsentare debeat objectum cum omnibus affectionibus, quia sicut istæ affectiones communes semper comitantur sensibile proprium, nec sinè ipsis reperitur, ita dici poterit speciem esse talis naturæ, ut repræsentet non solùm objectum, sed etiam omnes affectiones concomitantes, sicut enim idem actus visionis repræsentat objectum cum omnibus suis conditionibus individuantibus & affectionibus sensibilibus, & juxta variationem harum affectionum variatur actus, ita idem dicendum est de specie, & hæc est modificatio, quam in conclusione posuimus.

X. *Species sensûs interni producuntur à sensatione sensûs externi.*

Dico 4. *Species sensûs interni producuntur à sensatione sensûs externi.* Est communior contra Suarium & Cavellum.

Probatur primò: Authoritate S. Augustini lib. 11. Trinit. cap. 9. ubi dicit: *In hac distributione cùm incipimus à specie corporis, & pervenimus usq; ad speciem, quæ fit in contuitu cogitantis, quatuor species reperiuntur quasi gradatim natæ altera ex altera, secunda de prima, tertia de secunda, quarta de tertia. A specie quippe corporis exoritur ea quæ fit in sensu cernentis* (expressa nempe) *& ab hac ea quæ in memoria, & ab hac quæ fit in acie cogitantis.*

Probatur secundò ratione: Quia non potest alia causa melior assignari; ergò: probatur antecedens, quia si posset aliqua assignari maximè potentia interna vel externa, vel species impressæ potentiarum externarum, vel ipsum objectum, suppositâ sensatione tanquam conditione sinè qua non, sed nullum ex his convenienter assignari potest, ergò: probatur minor, non potentia interna, quia hoc est indifferens ad omnes alias species, ergò se sola non potest unam potiùs quàm aliam producere, & consequenter debet determinari ad illas producendas ab aliquo alio, sed illud quodcunque erit habebit ipsam sufficientem virtutem producendi illas, sicut objectum habet causalitatem respectu specierum externarum, ergò potentia interna non potest internas producere. Idem patet de potentia externa, est enim de utraque eadem ratio, nam potentia externa est æquè indifferens ac interna.

Probatur: Quòd nec species impressa sensûs externi, quia potest esse species externa in potentia externa, absque eo quod causetur species externa, ut patet in dormientibus oculis apertis, in quibus sunt species externæ, nullæ tamen producuntur internæ, ergò. Quòd nec denique objectum suppositâ sensatione, probatur tum quia non est intelligibile, quomodo sensatio esset conditio sinè qua non, cùm nullum positivum impedimentum sit, ut sit causa; tum quia eodem modo dici posset, quòd actus non sufficienter concurrant ad habitus & habitus ad actus, quia similiter dici posset, quòd essent conditiones in agendo. Denique, quia licèt non daretur objectum à parte rei, quando perciperetur à potentia externa uti videtur esse possibile divinitus, adhuc produceretur species ejus in potentia interna, sed tunc non esset aliud à quo produceretur quàm sensatio externa, ergò sensatio externa habet se solâ virtutem producendi speciem internam.

XI. *Instantiæ plures contra prædictam Doctrinam.*

Dices: Species interna repræsentat objectum, ergò ab ipso debet produci; probatur consequentia, quia nihil debet repræsentare nisi à quo producitur, ergò si repræsentat objectum ab ipso debebit produci. Respondeo negando consequentiam, cujus probationis antecedens distinguo, non debet repræsentare nisi à quo producitur immediatè, nego, mediatè concedo antecedens, & nego consequentiam, unde quia sensatio est imago expressa objecti, quæ ipsum repræsentat bene potest ab illa produci species in sensu interno.

Nec refert quòd à sensatione externa non conservetur.

Instabis: Si species sensûs interni produceretur à sensatione sensûs externi sive immediatè, sive mediatè, sive totaliter, sive partialiter, deberet etiam ab illa dependere in conservari, sed hoc est falsum, ergò ab illa non producetur, sed ab ipso objecto. Verùm Respondeo negando sequelam majoris, multæ enim qualitates producuntur efficienter ab aliqua causa, à qua tamen non conservantur, & licèt externa sic dependeat ab objecto, tamen quia non habetur talis experientia de specie interna, non debet dici quòd sic dependeat, maximè cùm valde species interna accedat ad similitudinem specierum intelligibilium, quæ licèt in fieri dependent à phantasmatibus, non tamen sic dependent in conservari.

Urgebis: Si species interna accedit magis ad species intelligibiles, ergò etiam in productione magis se habebunt sicut species intelligibiles; subsumo, sed species intelligibiles non producuntur à sensatione sensûs interni, ergò nec species interna à sensatione sensûs externi produci poterit. Sed Respondeo negando consequentiam, cujus subsumptum distinguo species intelligibiles non producuntur à sensatione sensûs interni totaliter concedo; partialiter nego, nam intellectus agens unâ cum phantasmate, seu sensatione sensûs interni producit speciem intelligibilem.

Magna disparitas est de intellectu agente.

Replicabis: Si species intelligibilis producitur partialiter à phantasmate & ab intellectu agente, ergò etiam species interna producetur partialiter à sensu interno & consequenter

quenter ad minus non erit causa totalis sensatio externa. Probatur consequentia, quia sensus internus eodem modo se habet ad suam speciem, sicut se habet intellectus agens ad suam, ergò. Sed Respondeo negando sequelam cum probatione, disparitas est, nam ideo requiritur concursus intellectûs agentis ad suam speciem, quia species intelligibilis spiritualis est, adeoque debet habere aliquam causam spiritualem, qualis non habetur præter intellectum, species autem sensûs interni non est spiritualis, nec habet ullam conditionem, ob quam requirat concursum sensûs interni magis quàm species sensûs externi requirit concursum sensûs externi.

Prosequeris arguere: Si non requireretur concursus sensûs interni, posset sensatio externa ubicunque esset, & quandocunque esset producere speciem internam sicut potest species externa, sed hoc est falsum, ergò: Probatur minor, quia sæpe habetur sensatio, quando non producitur species interna, ut patet in casu, in quo potentiæ internæ ita occupantur in consideratione alicujus objecti, ut non percipiant species aliorum objectorum per sensus externos perceptorum, ergò. Respondeo distinguendo, si nullum adsit impedimentum concedo; si adsit nego, potest enim contingere, quòd deficiant Spiritus vitales in parte vicina propè sensationem in qua deberet produci species interna. Respondeo secundò concedendo majorem, negando minorem, & probationem, quia in illo casu licèt non posit potentia interna sic occupata percipere objectum speciei, potest tamen recipere speciem, & uti illâ in aliis occasionibus.

XII. *In sensu interno non dantur species insensatæ.*

Dico 5. *In sensu interno non dantur species insensatæ.* Ita D. Augustinus lib. 11. Civit. cap. 8. dicens: *Nam neq; colorem quem nunquam vidit, neq; figuram corporis, nec sonum quem nunquam audivit, neq; saporem quem nunquam gustavit: nec odorem quem nunquam olfecit: nec ullam contrectationem corporis, quam nunquam sensit, potest quisquam omnino cogitare. At si propterea nemo aliquid corporale, cogitat, nisi quod sensit, quia nemo meminit corporale aliquid, nisi quod sensit, sicut in corporalibus sentiendi, sic in memoria est cogitandi modus: sensus enim accipit speciem à corpore, quod sentimus, & à sensu memoria, à memoria verò acies cogitantis.*

Probatur etiam ratione: Quia sensus internus, verbi gratiâ, ovis videndo lupum, vel perciperet inimicitiam mediâ sensibili specie ipsius lupi, vel mediâ alia specie, vel nulla alia mediante, hoc tertium dici nequit, ut ex D. Augustino patet, quia ad cognitionem quamlibet sensitivam requiritur concursus objecti mediâ aliqua specie; non etiam primum, quia hæc species est ejusdem rationis ut existit in ove, & in altero lupo, ergò si ex se est repræsentativa lupi, ut disconvenientis, non solùm ovi hoc repræsentabit, sed etiam alteri lupo; non secundum, tum quia illa species vel esset realiter, vel modaliter alia, quidquid dicatur contra eos est, quia in nobis tales alias species non experimur; tum quia deberent assignare causam quæ produceret talem aliam speciem distinctam realiter à specie sensibili, vel modum superadditum, quam nunquam assignabunt sufficienter, nam potentiæ de se sunt indeterminatæ species & objectum sensatum repræsentant tam bene lupo, ac ovi accidentia eadem externa, ergò.

Dices contra primum: Speciem lupi repræsentare lupum sub ratione inimici tantùm æstimativæ ovis, non verò æstimativæ alterius lupi, etiamsi hæ potentiæ sint ejusdem rationis, quia cognitio ista non dependet totaliter à specie, sed requiritur instinctus naturæ, qui, quia alius est lupi & alius ovis, hinc æstimativa lupi percipit alium lupum ut amicum, æstimativa verò ovis ut inimicum: Contra, species lupi etiam cum hoc naturali instinctu non sufficit, ut determinet potentiam ad concipiendum lupum sub ratione inimici vel disconvenientis, ergò nulla solutio, probatur antecedens; Iste instinctus non est aliud quàm sympathia, vel Antypathia naturalis objecti, cum natura, ut quia natura lupi est naturaliter opposita naturæ ovis, non verò naturæ alterius lupi, æstimativa ovis apprehendit illum ut disconvenientem, lupi verò ut convenientem, sed ex hac oppositione & Doctrina sequeretur, quòd quando aliquid habet naturalem convenientiam vel disconvenientiam cum aliis naturis, quòd æstimativa deberet percipere, quod est falsum, ergò: probatur minor, quia multæ sunt herbæ convenientes nobis, & naturæ nostræ, & tamen nec illas concipimus sub hac ratione, ex hoc capite tanquam convenientes vel disconvenientes, licèt earum herbarum speciem apprehendamus, ergò ex eo quòd apprehendantur species sensatæ lupi, & sint naturæ ovis disconvenientes, & oppositæ, non debet lupus concipi sub ratione inimici & disconvenientis, ergò non dantur tales species. Contra secundò species sensibiles non repræsentant nisi accidentia & non ipsam naturam, sed ipsa accidentia lupi, verbi gratiâ colores, figura, magnitudo, vox, non sunt disconvenientes ovi, sed ipsa natura, ergò nequeunt repræsentare disconvenientiam. Sed principaliter contra conclusionem

Opponitur: Ovis fugit lupum non aliâ ratione, nisi quia est inimicus sonus & naturæ ejus; hirundo colligit paleas & lutum, non quia delectant sensum, sed quia materiæ aptæ sunt ad nidificandum, ergò ovis percipit inimicitiam lupi, & hirundo utilitatem luti & palearum, sed non sensibus externis, ergò interno, ergò sensus internus percipit tales rationes insensatas, adeoque dabuntur species insensatæ. Sed Respondeo negando antecedens, ovis enim fugit lupum propter aliquam molestiam quam sentit in se viso lupo, quam causat naturalis Antypathia, nec novum aliquod est, quod in natura aliquid fiat ex naturali antypathia vel sympathia, nam magnes naturaliter attrahit ferrum, ad præsentiam verò alli, aut adamantis impeditur, item in nobis experimur quòd viso objecto antequam in eo rationem convenientiæ vel disconvenientiæ concipiamus, naturali quodam amore vel odio in illud feramur. Quòd autem in ove, & non in lupo causetur hac molestia,

molestia, provenit ex diversitate complexionum, sicut aliquibus hominibus odores displicent aliqui, qui è contra placent aliis, de avibus similiter dico illas etiam instinctu naturæ moveri ad colligendas paleas absque ulla cognitione utilitatis.

Instatur: Si animalia non haberent facultatem perceptivam specierum insensatarum, natura defecisset in necessariis, sed hoc non est dicendum, ergò: probatur major, quia sine illis nec ovis fugeret lupum, nec avis nidificaret, nec animalia cognoscerent herbas nocivas vel utiles. Respondeo negando majorem, sufficienter enim natura providit illis, tribuendo eis talem instinctum, ratione cujus exerceant has operationes, absque eo quòd percipiant rationes convenientiæ vel disconvenientiæ.

XV. **Notandum** tamen me negare non posse, quin post notitiam experimentalem bruta apprehendant convenientiam, vel disconvenientiam objecti, sic canis fugit hominem tenentem & levantem baculum contra eum, à quo aliquando percussus fuit, redeunt ad eundem locum, ubi beneficia experta fuerunt appetunt cibum, cujus suavitatem senserunt & similia, unde Conclusio intelligenda est non absolutè de omnibus actibus sensûs interni, sed de primis.

XVI. *Species activè concurrunt.* **Dico 6.** *Species tam internæ, quàm externæ concurrunt ad sensationem.* Est Mastrii

Probatur prima pars primò, authoritate D. Augustini lib. 11. Trinit. c. 5. ubi hæc habet: *Visionis igitur illius, id est formæ, quæ fit in sensu cernentis* (speciei expressæ) *quasi parens est forma corporis ex qua fit. Sed parens illa non vera, unde nec ista vera proles est: neq; enim omninò inde gignitur, quoniam aliud adhibetur corpori ut ex illo formetur, id est sensui videntis*, veluti causæ partialis & magis principalis. Et lib. 9. Trinit. cap. 2. universaliter sic docet: *Liquido tenendum est, quòd omnis res, quamcunq; cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui, ab utroq; enim notitia pariter à cognoscente & cognito*; ergò si in omnibus objectum debet concurrere, si ipsum non erit præsens, vel non actu intelligibile concurret tam externa, quàm interna species veluti vicaria objecti. Confirmatur ex Aristotele prima pars 2. An. t. 59. & 60. ubi docet, potentiam non esse causam totalem, sed objectum visibile & audibile activè ad actus concurrere; ergò idem dicendum de sensibus internis.

Probatur secundò ratione, Si non requireretur concursus objecti, sive immediatè, sive mediatè per species sequeretur, quòd posset potentia quodcunq; objectum sive præsens sive absens percipere & quocunque tempore, sed hoc est falsum, ergò.

Dices: Speciem quidem concurrere non activè tamen, sed solùm disponendo, determinando & veluti conditio sine qua non. Sed Contra: tunc à posteriori cognoscimus aliquid esse causam alicujus effectûs & non solùm conditionem, quando in ipso effectu peculiaris aliqua ratio, aut formalitas invenitur tali entitati, quæ causa dicitur correspondens, & quia talis formalitas non ponitur in effectu, nisi per talis causæ influxum, similitudo namq; semper arguit causalitatem; quia agens semper intendit sibi assimilare effectum, sed in actu sensationis invenitur peculiaris ratio correspondens non solùm potentiæ, qualis est vitalitas, sed etiam objecto, quæ est similitudo in repræsentando; ergò species & objectum cum potentia activè concurrunt. XVII. *Non possunt dici conditiones.*

Probatur secunda pars, ex Scoto nam 1. d. 3. q. 3. C. ait: *Oculum videre objectum per speciem*: & q. 4. G. docet: *Visionem fieri per speciem*: & q. 6. R. ait: *Species coloris repræsentare organo colorem*: & q. 9. N. inquit: *Speciem sensibilem in oculo esse rationem cognoscendi.* Unde si alicubi alibi videtur dicere, quòd species se tantùm habent, ut effectus prævius & non activè concurrens, intelligendus erit, quòd loquatur in sententia aliorum, maximè quia in 2. d. 9. q. 2. utitur hac doctrinâ, tanquam exemplo ad explicandam actionem in distans, quare Lichetus dicit eum fuisse in hac materia problematicum. XVIII.

Probatur secundò: Quia si species non concurrerent ad actum sensationis activè, sequeretur quòd etiam per spatium inane posset objectum videri, vel per medium densum, & obstaculo impeditum, sed hoc est falsum, ergò: probatur sequela; Quia potens agere in distans actione alterius rationis, quâ agit in medium, si hæc impeditur non per hoc cessat agere in distans, ut patet de Sole, qui in aërem agit illuminando, in visceribus terræ generando metalla, quamvis propter opacitatem non possit partes subterraneas illuminare; ergò licèt objectum non posset producere species propter vacui, vel obstaculi impedimentum, adhuc posset ad visionem concurrere cum potentia, quæ esset actio alterius rationis à productione specierum.

Confirmatur, quia aliàs istæ species superfluerent.

DISPUTATIO V.

DE SENSIBUS EXTERNIS IN PARTICULARI.

COgnitâ potentiarum sensitivarum naturâ generică ad explicationem cujuslibet in particulari moveo manum & operam: dari autèm potentias externas docuit hactenus experientia, quot autèm sint in numero, & quæ in perfectione sese excedant, explicabit

QUÆSTIO I.

De numero & perfectione sensuum externorum?

I. *Quinq; sunt sensus externi.*

Communis est pro prima parte tituli, tum Philosophorum, tum Theologorum sententia quinque esse potentias externas, quamvis ab ea recedat Scaliger, qui titillationem veneream distinctam potentiam posuit, verùmtamen quia ejus rationes non convincunt, ideò à communi non est recedendum, adeoque

II. *Enumerantur sensus externi, qui sunt quinq;.*

Dico I. *De factò nec plures nec pauciores sunt sensus externi quàm quinq;, videlicet, Visus, Auditus, Gustus, Odoratus & Tactus.*

Probatur primò, ex Authoritate Patrum Augustini lib. 11. Trinit. cap. 1. *Sensu corporis exterior homo præditus sentit corpora, & iste sensus quod facilè advertitur quinq; partitus est, videndo, audiendo, olfaciendo, gustando & tangendo.* Lib. de quant. an. cap. 23. *Sensus esse quinq; audire soleo videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi atq; tangendi. Partitio ista vetustissima est, & ferè in concionibus celebrata:* hinc Serm. 33. verb. Dom. comparat eos quinq; jugis boum. *Sensus hujus carnis numerantur: Sensus carnis hujus quod omnibus notum est, & qui fortè non advertunt commonitti sine dubio recognoscunt; In oculis visus est, auditus in auribus, odoratus in naribus, gustus in faucibus, tactus in omnibus membris:* & tract. 15. in Joann. comparat eos quinque viris mulieris Samaritanæ. D. Bernardi lib. 5. de Consid. cap. 5. ubi sic eos enumerat: *Itaq; anima videt in oculis, audit in auribus, odorat in naribus, in faucibus gustat, tangit in toto reliquo corpore.*

Probatur secundò: Quia unius objecti sensibilis adæquatè unus est sensus, sed objecta sensibilia propria adæquata sunt quinque, ergò etiam quinque sensus externi: probatur major, quia unus sensus est omnium sensibilium in suo genere, videlicet visus omnium colorum, auditus omnium sonorum, & sic de aliis, alioquin si visus non esset omnium colorum, & auditus omnium sonorum, non esset potentia adæquata in ordine ad tale objectum, cùm tamen unius objecti adæquati unica est potentia adæquata, ergò: probatur etiam minor, quia non sunt alia sensibilia per se & propria, quàm visibile, audibile, odorabile, gustabile & tangibile, ergò. Dixi de factò non esse plures vel pauciores, quàm quinque, quia non intendo requirere, minus negare, & potentiam Divinam restringere, quin ea plures potentias externas specie distinctas producere posset, sicut nec nego quin Deus alios colores omninò distinctos ab istis existentibus, & alios sonos ab existentibus, producere queat, adeoque illæ potentiæ distinctæ, in similiter distincta objecta possibilia tendere possent. Sed in contra

Arguitur primò: Probando esse pauciores quàm quinque. Ex authoritate Aristotelis 2. de An. t. 101. & 2. de part. anim. 3. Sensus gustûs est quidam tactus, & inferior ad tactum, sed inferius non distinguitur realiter à superiori, neque facit numerum à superiori distinctum; ergò non sunt nisi quatuor sensus, quia non est possibile fieri gustum sine tactu. Sed explicatur Aristoteles, qui nihil aliud vult, quàm quòd gustus sit quidam tactus ratione immutationis, non verò propter identitatem, in ratione itaque immutationis gustus dicitur quidam tactus, non quidem formaliter, sed materialiter, quatenus sapor quod est objectum formale gustus est quædam qualitas à primis qualitatibus proveniens, quæ sunt objectum formale tactûs.

Instatur: Objectum formale gustûs, est objectum sub ratione gustabilis, sed sub hac ratione est etiam objectum tactus; ergò tactus & gustus habent idem objectum pro formali & non solùm pro materiali. Respondeo distinguendo antecedens: Gustabile sub ratione gustabilis est etiam tangibile tangibilitate propria sensûs tactus, nego antecedens; tangibilitate communi ratione sensûs & convenienter cuicunq; sensui, & ratione quâ debet objectum immutari, quæ immutatio non fit tactu, vel actuali, vel intentionali, concedo antecedens, & nego conseq.

Urgetur: Principale objectum tactûs est mollities, vel durities, sed hujusmodi formalitates sunt etiam gustabiles & perceptibiles à gustu; ergò objectum gustûs est formaliter objectum tactûs, seu tangibile tangibilitate objectum tactûs; ergò cùm non habeant objecta formalia distincta, neque ipsi sensus sunt distincti. Respondeo distinguendo minorem, hujusmodi formalitates sunt perceptibiles à gustu concomitanter, seu quatenus conjunguntur in eodem subjecto cum sensibili proprio ipsius gustûs concedo minorem, formaliter inspectæ nego minorem: Ratio est, quia sensus, seu potentia est perceptiva primò sui proprii objecti, ideò à nullo alio potest recipere ullum alium actum, nisi priùs naturaliter sit in isto actu, inquit Scotus 4. d. 12. q. 3. CC. ubi loquitur de sensibili communi, quod non est perceptibile sine sensibili proprio, ut supra dixi in præcedente disputatione.

Arguitur: Pro Scaligero probando esse plures sensus: Delectatio seu titillatio venerea est diversa ab aliis sensibus externis, ergò probatur antecedens, ubi sunt diversa organa & ubi fiunt sensationes in diversis partibus corporis, diversæ sunt potentiæ, ut patet de gustu, & tactu,

& tactu, sed delectatio venerea fit in determinata corporis parte, habetque proprium organum; ergò erit ipsa quoque diversa potentia. Sed respondeo negando antecedens cum probatione, nam nulla est paritas de sensu gustûs & tactûs, ad tactum & titillationem veneream, quia hæc non provenit nisi à qualitatibus aliis tangibilibus, sensatio verò gustûs, ex qualitatibus distinctis à qualitatibus tangibilibus, & licèt fiat in determinata parte corporis, hoc provenit, quia ibi maximè viget sensus tactûs ob multitudinem venularum & nervorum, ac propter materiæ transeuntis temperiem.

V. *Visus nobilior est sensu secundum se.*

Dico 2. *Inter sensus nobilior est Visus, deinde Auditus, Odoratus, Gustus & tandem Tactus, si considerentur in essendo, si verò considerentur in ratione necessitatis, gustus & tactus sunt nobiliores aliis.* Tota Conclusio est S. Bernardi Serm. 10. de diversis, ubi sic habet: *Iam verò id manifestum est, quoniam in corporis sensibus Visus quidem cæteris omnibus, auditus reliquis tribus dignior, odoratusq; & gustum, & tactum, etsi non utilitate, dignitate tamen superare videtur, & gustus tactui superexcellere, quod manifestat etiam dispositio membrorum &c.*

Probatur etiam ex D. Augustino lib. 11. Trinit. cap. 1. dicente. *Sensu oculorum maxime excellit & est visioni mentis, pro sui generis diversitate vicinior:* & Serm. 33. de verb. Dom. cap. 5. *Ideò à parte totum per solos oculos commemorati sunt isti sensus, quia oculorum est in quinq; sensibus principatus, nam omnes sensus dicuntur videre.*

Probatur prima pars, ex Aristotele in proh. Met. ubi ait nos magis desiderare visum, quia valet ad scientiam directè, & ad cognoscendas multas rerum differentias; Tum ex ratione, videlicet ex latitudine subjecti, seu objecti sui & ex modo illud intelligendi, & mira de organizatione ad functiones suas eliciendas, sed hæc omnia præcipuè habet visus; ergò visus in essendo erit omnibus aliis nobilior.

Non verò ratione utilitatis.

Probatur secunda pars: Quia, ut ait Aristoteles, 2. An. t. 62. Cæteri sensus solùm valent ad benè vivere animalis, non ad simpliciter vivere, quia non potest dari aliquod animal quod non habeat sensum tactûs & gustûs, sed quò aliquid est communius, eò est præstantius, quod enim naturaliter magis desideratur, est nobilius, sed quodcunque animal magis naturaliter desiderat sensum gustûs & tactûs; ergò sensus gustûs & tactûs in hac ratione sunt præstantiores: probatur min. Quia quodlibet animal magis odit oppositum; nam magis odit quod destruit vivere, quàm quòd solùm destruit benè vivere, sed oppositum aliorum sensuum destruunt tantùm benè vivere, oppositum verò gustûs & tactûs destruunt totaliter vivere; ergò magis odio habent sua opposita, quàm opposita aliorum sensuum, consequenter illi magis à natura desiderantur.

VI. *Objicitur Aristoteles.*

Opponitur: Ideò secundùm nos Visus est perfectior cæteris sensibus, quia ut ex Aristotele diximus facit plura & magis scire, sed hoc est falsum, ergò Visus non est perfectior; probatur minor, tum ex Aristotele lib. de sens. & sensatione, dicente: Auditum id præstare; tum ab experientia quâ videmus cœcos à nativitate habere majorem scientiam, quàm surdos, qui nullo modo sunt prudentes & scientifici, ergò. Respondeo negando minorem, cujus probationem distinguo, Auditus magis juvat ad scientiam, arte & studio acquisitam per accidens concedo; per se nego antecedens, quatenus scilicet datum sit objecto auditûs, ut sit conceptus mentis expressioris ratione instituentis, accidit enim objecto auditûs hoc, nam si visibilia essent signa ad declarandos mentis conceptus, visus magis juvaret ad scientiam acquirendam, quàm auditus, quia est certior, quare licèt Leo Papæ in Sermone Paschæ præferat tactum D. Thomæ visui *Deus meus & Dominus meus*: non quantum ad objectum utriusque, sed quantum ad corpus Christi, jam per visum perceptum, & per tactum magis confirmatur, alia enim sensibilia immutant medium, vel organum aliquo modo immutatione reali, visibile autèm solùm intentionali, quare licèt etiam tactus percipiat plura contraria, & habeat nobiliora objecta, qualitates scilicet primas, Visus verò secundas, adhuc Visus est nobilior, propter nobiliorem immutationem, Visus enim recipiendo species proprii objecti magis assimilatur intellectui, & ejusdem intellectus operationi, qui inter potentias hominis est nobilissimus, potentia autèm, quæ magis approximatur in modo operandi enti perfectissimo, perfectior est.

QUÆSTIO II.

De Visu.

I. *Mens D. Ambrosii de situ oculorum*

In hac quæstione duo potissimùm examinanda veniunt, scilicet ipsa oculi tam externa, quàm interna deorganizatio, & in quo potissimùm potentia visiva subjectetur. Quantùm ad primum eleganter describit oculi situm D. Ambrosius lib. 6. Hexam. cap. 9. his verbis: *Adhærent veluti quibusdam montium supercilia oculi, & ut protegente montis cacumine tutiores sint, & tanquam in summo locati, de quadam scena superiore universa prospectent, neq; enim oportebat eos humiles esse sicut aures vel os, ipsosq; narium interiores sinus, specula enim semper in alto est, ut adventientium catervarum hostilium explorari possit adventus, ne improvisò occupet otiantem, vel urbis populum, vel Imperatoris exercitum, sic latronum quoq; caventur incursus, si exploratores in muris, aut turribus, aut montis excelsi supercilio sint locati, vel desuper plana spectent regionum, in quibus insidiæ latronum latere non possint. In mari si quis terræ appropinquare se conjicit in ipsa mali fastigia & celsa antennarum cornua voti explorator ascendit & adhuc invisibilem reliquis navigantibus eminùs terram salutat. At forte dicas, si specula editior necessaria fuit, cur non supra summum verticem capitis oculi constituti sunt sicut cancris, vel Scarabæis in summo sunt, quibus licet nullum caput appareat, colla ac dorsa, cætero corpore celsiora sunt? Sed illis testa valida, nec tam tenuis membrana, sicut nobis quæ facilè possit offendi, ruboq; ac cæteris interscindi sensibus. Itaq; nobis in summa propemodum corporis parte constitui oculos oppor-*

tuit tanquam in arce, & ab omni vel minima offensione defendi, quæ duo sibi compugnantia videbantur, nam si in humili essent, propter tutamen munus impediretur, si in vertice, paterent ad injuriam. Hucusque D. Ambrosius, per quæ autem defendantur, ut mentionem facit D. Ambrosius, sunt supercilia, genæ, foramina, pili, palpebræ, &c. quarum pili pulviſculos arcent, ipsæ verò sudores à fronte defluentes imbibunt, ne suâ acrimonia oculum lædant & offendant.

II. *Figura Sphærica oculorum optima.*

Oculorum Figura Sphærica est, eaque convenientissima, tum ob summam illorum volubilitatem & agilitatem, quâ nunc in hanc nunc in illam feruntur partem, nunc sursum, nuncque moventur deorsum, tùm (ut Mathematici demonstrant) nisi oculi Sphærici essent, nunquam possent res tam magnas, & grandes exhibere, sed solùm tales, quales illi forent si forent plani, quod evidentur probant; nam visio fit per lineas rectas perpendiculariter ad oculum incidentes, quarum concursus fit in oculi centro, ergò si oculus est superficiei planæ, non jungerent se perpendiculares lineæ à superficie æquali, sicque non nisi æquale cernerent, quod probatur, quia lineæ perpendiculariter cadentes in planum, fiunt paralellæ, adeoque non possunt à se magis esse separatæ quàm in oculo, & nunquam sic concurrerent in centro.

III. *Describitur interior structura oculorum.*

Oculorum Fabrica & structura interior ex Anatomia constat tribus humoribus, *Christallinô, Vitreô,* & *Aqueô* quinque tunicis, scilicet *speculari, Reticulari, Uvea, Cornea,* & *Adiacente,* seu *Adnata*; item musculis sex, vel septem, ut volunt plures, ex duobus nervis; ordo eorum inter se hic est, ut sequitur: Primò in centro oculi est humor Christallinus, seu glacialis, sic dictus, quia est pellucidus & transparens, veluti glacies, & Christallum, hunc humorem circumdat tunica tenuissima, dicta specularis, seu aranea; secundò sequitur *Humor vitreus*, sic dictus, eò quod vitro bis cocto similis sit, in quo pupilla, seu humor Christallinus innatat, ita tamen, ut ejus aliqua pars emineat ad modum globi lignei in aquam immersi, hunc humorem ambit tunica dicta reticularis, eò quod in ea sint multæ venulæ ad modum retis, ita tamen ambit hunc humorem, ut eam non tegat ex illa parte, quâ pupilla seu humor Christallinus supereminet; hanc tunicam sequitur tunica uvea, quæ uvæ folliculo similis, à quo pendulo detracto foramen relinquitur, sic tunica ista foramen habet, nam reticularem totam ambit, & partem pupillæ relinquit totam discoopertam, estque coloris ad nigram tendentis, ut suâ opacitate species in pupilla oculi reflectat receptas, ad modum quo contingit in speculo, non est tamen coloris ejusdem in omnibus, nam per hanc variantur oculi, nam secundùm diversam tinitionem oculos reddit nigros, cæsios, glaucos, aut alio infectos humore. Tertio ponitur humor aqueus, aliter albugineus ob similitudinem albo ovi, ut sua humiditate conservet pupillam, quem humorem sequitur tunica cornea, sic dicta, quia dura & perlucida est ad modum corneæ subtilissimæ bracteæ, hæc tunica totum oculum etiam pupillam munit duritie, non tamen illum impedit, quia transparens est. Ultimum & extremum locum occupat tunica adjacens, seu adnata, quæ oculum in propria figit, & locat sede, superius foramen habet, quod vocatur iris. Invenit natura præterea sex vel septem musculos, ut oculum facilè in omnes partes convertant, unus sursum, alter deorsum quoad sinistram, dextramque volumus, duo in gyrum movent, septimus denique eum sustentat. Sunt præterea duo nervi, qui etiam optici, seu visorii nuncupantur, quorum alter à dextra parte cerebri ad dextrum, alter à sinistra ad sinistrum tendit oculum, sed postquam aliquantulum à cerebro processerunt, coëunt inter se, & postmodum interum à se invicem separantur & utrumque intrant oculum, per hos nervos spiritus animales à cerebro ad oculos, & vicissim species rerum ab oculis ad sensum communem, & phantasiam transmittuntur, hinc fit ut afflicto cerebro, licet oculi nihil patiantur, visus quandoque tabescat, nonnumque, vel saltem frequentiùs contingit nero liberaliùs hausto, ut quidam ait:

Cùm bibitur concha tunc jam vertigine tectum
Ambulat, & geminis consurgit mensa Lucernis.

Unde Aphrodisius lib. 2. problemat. q. 52. dicit qui aquam bibere consueverunt, acutiùs vident, qui oculos prominentes habent non ita clarè, qui profundos & incaput demissos acutè, eò quòd Spiritus vitales meliùs colligantur, unde venatores & alii quicunque visum intendere volunt oculos aut ex parte, aut totaliter unum claudunt, totam fabricam oculi tibi exhibet figura prima; secunda quomodo nervi optici inter se conjungantur, & ad cerebrum tendant.



Oculorum Temperamentum juxta Galenum & plures alios siccum est, & igneum, rectiùs tamen ab Aristotele lib. de sens. & sensat cap. ponitur humidum & frigidum, quod patet ex variis humoribus quibus componitur, & in expurgatione multùm exit humiditatis, tum quia in fœtu oculi ultimo loco perficiuntur, quia humor & frigus difficiliùs concoquuntur, ut ad certum temperamentum redigantur, si enim calidum foret, metuendum esset ne nimium exarescerent, atque ita officio suo fungi non possent, oculus enim siccus non benè videt, imò si igneæ essent substantiæ, luminarent aërem; Et licet hoc præstent oculi felium,

felium, hoc non provenit, quia oculorum compositio in generali sit ex natura ignea, sed quia hoc illis particulariter convenit ex lumine ipsis naturaliter insito. Quodque oculi velociùs moveantur, quod alioquin igneam arguit naturam, hoc provenit ex lubricitate eorundem, ut ex virtute motiva, seu ex copia spirituum, qui per nervos opticos ad oculos transmittuntur, hinc quia omnes cholerici plures & vivaciores spiritus transmittunt ad oculos, videntur oculos habere quasi igneos, in quo etiam sensu intelligatur Aristoteles in problem. sect. 31. &c. Hæc de primo examinabili, quantùm ad secundum plures fuerunt Authorum sententiæ, nam aliqui in conjunctione nervorum opticorum ponunt sensorium visûs; aliqui in nervis & simul in pupilla, alii in tunica aliqua, & maximè in aranea, sed ego pro resolutione:

V. *Sensorium visûs est in humore Chrystallino.*

Dico: *Sensorium visûs non est constituendum in tunica aliqua, vel in nervis opticis, sed in humore Chrystallino.* Ita communior.

Probatur prima pars: Quia tunicæ sunt membra ordinata ad alia, ad ipsos humores scilicet continendos, ergò ipsæ non sunt sensorium Visûs, & licèt tunica aranea maximè inserviat pupillæ, ut pars ejus videatur integralis, hinc tamen adhuc sensorium Visûs poni non debet se solà, sed simul cum Chrystalloide.

Probatur secunda pars: Quia nervi sunt naturæ terrestris secundùm Medicos, dispositio autem sensorii Visûs est transparentia & diaphaneitas, quam nervi propter terrestreitatem non habent, ergò.

Probatur tertia pars ex authoritate D. Augustini Enarrat. in psal. 16. in illa verba: *Custodi me ut pupillam oculi*, quibus subdit, *quæ apparet perparva & exigua, per eam tamen dirigitur acies luminis, quo lux & tenebræ dijudicantur.* Et lib. de quant. an. cap. 14. *Cùm autem oculi medium, quæ pupilla dicitur, nihil aliud sit, quam quoddam punctum oculi, in quo tamen tanta vis est, ut & dimidium Cælum, cujus ineffabile spatium est, ex aliquo eminenti loco cerni, collustrariq; possit*: Ubi semper pupillæ attribuit vim & efficaciam videndi, sed pupilla est humor Chrystallinus, ergò. Confirmatur ex Aristotele lib. Gen. animal. c. 5. ubi ait: in ea parte effici visionem, quæ tota nitida est, & splendida, ut ab omni colore, & luce moveri possit, sed humor Chrystallinus maximè lucidus & conspicuus est, ergò.

Probatur etiam ratione, quia præcipuum obtinet locum, cui reliquæ partes omnes famulantur, & inserviunt, ut protegant; ut scriptura ipsa testatur, diligentes Deum debere petere muniri ut pupilla psal. 16. *Custodi me ut pupillam oculi.* Confirmatur, quia fortior ratio inveniri non potest pro opposito, nam quod Avicenna ait, si sensorium non esset in nervis opticis, objectum deberet semper apparere duplicatum, nihil concludit, testatur enim Vesalius, se Patavii hominem reperiisse, in quo nervi nunquam convenerunt, nec tamen ipsi unquam objectum duplicatum apparuit; nec valet ratio Toleti, quòd in pupilla esse non possit ex eo, quòd sit humor, cùm nos humores negaverimus animatos, nam quamvis hoc verum sit de cæteris humoribus per totum corpus dispersis, non est tamen eadem ratio de isto, qui semper in uno continetur loco, nec sinè læsione moveri potest; minùs denique convincit ratio Complutensium, cùm enim visio una sit, superfluè duplex assignabitur potentia visoria, alterius & alterius rationis, qualiter est nervus opticus, & pupilla. Sed

VI. *Non superfluunt duæ potentiæ visiva.*

Opponunt: Potentia visiva est una, & visio circa objectum elicita est una, ergò etiam unum subjectum, & non duo, sed tale unum subjectum non potest esse nisi nervus opticus conjunctus, ergò. Probatur antecedens, quia sufficit unus gustus pro omnibus saporibus, ergò etiam unus visus pro omnibus visibilibus. Respondeo negando antecedens; ad probationem dico, quòd licèt sit una potentia gustativa sufficiens, non tamen est sufficiens una potentia visiva, sicut enim non sufficienter providisset natura per unum oculum, ita nec per unam potentiam, unde sicut non superfluunt duæ potentiæ auditivæ, & duæ pupillæ ac duo oculi, ita nec superfluunt duæ potentiæ visivæ, conducunt enim ad prospicienda visibilia ex omni parte loci.

Nec tamen hinc duplex debet apparere objectum.

Instant: Si potentia est duplex & etiam visio, ergò etiam objectum duplex apparere debebit, Respondeo negando consequentiam, nam oculi sunt in æquali situ, & æqualiter immutantur ab objecto, adeoque non debet apparere objectum duplicatum, sicut nec propter potentiam duplicem auditivam, vox percepta, ut gemmata percipitur.

QUÆSTIO III.

De Visibili.

I. *Sensuum objecta proponit D. Augustinus.*

Non modo potentiæ visivæ sed etiam omnium aliorum sensuum externorum objecta pulchrè & breviter describit D. Augustinus lib. 83. q q. q. 64. *Unus sensus ad oculos pertinet, quo lucem istam visibilem, formasq; corporum cernimus. Alter auritum, quo vocum & omnium sonorum momenta sentimus. Tertius est narium quo varia odorum suavitate delectamur. Quartus in ore gustus, qui dulcia & amara sentit, & omnium saporum habet examen. Quintus per totum corpus tangendo dijudicat calida & frigida, mollia & dura, levia & aspera, & quidquid aliud est quod tangendo sentimus.* Similia habet serm. 33. de verbis Domini, unde quantum ad præsens est, mens D. Augustini, sicut & D. Bernardi serm. 2. de assumpt. B. V. n. 7. ac communis est visibile esse lucidum coloratum; quare ad potentiæ visivæ objectum tria spectant, nempe *Lux*, *Lumen* & *Color*, quæ hic examinanda assumpsi eorundum naturam explicando, & ante omnia

II. *Lux & lumen non sunt formæ substantiales.*

Suppono ex quæstione octavâ præcedentis Disputationis lucem nec lumen esse formas substantiales, licèt sic videatur sentire D. Augustinus lib. 4. de an. & ejus orig. 12. *Corpus est aër, corpus est lux ista visibilis.* Lib. 3. lib. arbit. 5. *In corporibus tenet lux primum locum*, quia per corpus intelligit qualitates & acci-

dentia materialia, ut se ipsum explicat lib. mag. cap. 3. dicens. *Ego cùm corpora dicerem, omnia corporalia intelligi volebam, id est ea, quæ corporibus sentiuntur.* Non esse autem subſtantias patet ulterius, nam lux & lumen sunt per se sensibiles, non autem subſtantia, suntque in aliquo accidens, & quod alicui est accidens, in se est accidens, sed lux in igne non potest esse forma subſtantialis, quia vel esset ultima differentia specifica ipsius ignis, & ita omnia habentia lucem, essent ignis; vel ejusdem rationis cum ipso; vel esset in potentia ad formam ultimam ignis, & ita esset imperfectior formâ subſtantiali ignis, nulla autem forma subſtantialis reperitur in corporibus Cœlestibus imperfectior essentialiter formâ subſtantiali elementari, sed reperitur lux in corporibus Cœlestibus, ergò non potest esse lux in se in potentia ad formam ignis, adeoque lux nulla erit forma subſtantialis. Idem patet de lumine, nam accedit, & recedit à medio nullâ factâ mutatione subſtantiali ipsius, ergò cùm medium, seu aër non mutetur, seu moveatur adveniente lumine, sequitur non esse corpus, neque formam subſtantialem. Quo supposito

III. *Definitur lumen ex Aristotele.*

Aristoteles 2. an. t. 69. definit Lumen, quòd sit *Actus secundùm quod perspicuum est*, perspicuum autem dixerat esse, quod est visibile non secundùm se, sed propter externum colorem, quam definitionem luminis etiam suscipit Maſtrius, adeoque dicit Aristotelem per perspicuum intellexisse illud, quod est secundùm totum tale, diciturque interminatum, eo quod nullo modo terminat visionem, ut sunt Cœlum, ignis elementaris, aër, aqua, & nonnulla mixta, qua videri non possunt nisi terminentur ab aliquo opaco, & ait non esse secundùm se visibile sed per externum colorem, ubi per externum colorem, lumen intelligit, sed quia illa definitio non sufficienter explicat per ordinem ad perspicuum, lucem vel lumen, nec glosmata Maſtrii eam faciliorem & clariorem reddunt, omninò ab eo erit recedendum, quare cum Pontio

IV. *Describitur lux.*

Dico 1. *Lux bene describitur quòd sit qualitas ex se visibilis independenter ab alia qualitate, quæ non est species intentionalis ejus, consequens naturam sui subjecti ita ut connaturaliter nequeat produci aut destrui, non producto aut destructo subjecto.* Probatur, quia omni & soli convenit, ut patet declaratione. Dicitur *qualitas* cum subſtantia non sit nec quantitas ob eandem rationem: Dicitur *Ex se visibilis independenter ab alia qualitate*, ut excludantur colores, qui sinè lumine videri non possunt; ponitur *quæ non est species intentionalis ejus*, quia ut lux videatur talis species requiritur, additur *consequens naturam sui subjecti*, ut distinguatur à lumine. De quo

V. *Lumen est qualitas intentionalis.*

Dico 2. *Lumen non est qualitas realis, sed intentionalis, primarium species visibilis lucis, secundarium species primarii.* Ita Maſtrius, &c. ante probationem

Nota primò: Dum dico lucem esse qualitatem realem, lumen verò non, me non capere hic qualitatem realem pro tali, quæ opponitur enti rationis, hoc est quod non sumatur pro qualitate realiter existente, aut existere potente existentiâ verâ & reali, quia non potest esse dubium quin lumen sit talis qualitas, quandoquidem evidens est, quòd non sit ens rationis, sed qualitas realis accipitur hic pro qualitate illa, quæ non est intentionalis, qualitatem autem intentionalem sumo eam, quæ præter hoc quòd sit realis, habet esse speciem determinantem potentiam ad sensationem.

Nota secundò: Per lumen primarium intelligere me illud quod immediatè à corpore lucido producitur, excludens à subjecto non tantùm tenebras, sed etiam umbram, & dicitur primarium, quia per illud videri potest corpus lucidum à quo egreditur, lumen secundarium verò non producitur immediatè à corpore lucido, sed à lumine primario excludens à subjecto tenebras tantùm, non verò umbram. His prænotatis probatur lumen esse speciem lucis: Si lumen non esset species lucis, sed res visibilis, & sensibilis realis, posset supra sensum impedire sensationem, sed lumen non impedit sensationem, sed potiùs juvat ad eam faciendam, ergò non est qualitas realis, sed intentionalis species lucis; probatur minor, quando corpus lucidum diffundendo radios per medium, imprimit lumen in oculo, non impedit visionem, sed potentiam in tantum juvat, ut sinè tali impressione nunquam videret objectum lucidum, ergò lumen erit species lucis. Quod confirmatur, quia habet omnes conditiones speciei impressæ, ergo: probatur antecedens, quia dependet à luce in fieri, & conservari, caret contrario, producitur in instanti, deservit, & est omnino necessarium ad videndam lucem, ergò. Probatur de lumine secundario, quia per lumen secundarium vere conspicimus primarium, ergò est ejus species: probatur antecedens, quia tunc non videmus lucem solis, verbi gratiâ, sed lumen à sole productum, dummodo sit ad aliquod opacum terminatum, hoc namque convenit omni speciei visibili, quòd scilicet non solùm sit intentio, seu ratio videndi aliud, sed etiam se ipsa possit per aliam speciem videri, quando est ad opacum terminata, ut patet cùm radius pertranlit vitrum coloratum, apparet color in pariete, quia color est species coloris vitri, nam si oculus supponeretur, videretur vitrum, ergò. Sed in contra

Arguitur: Species unius contrarii stat cum specie alterius contrarii, sed lumen non stat cum speciebus contrariis, ergò lumen non est species lucis; probatur minor: quia non stat cum tenebris quæ sunt ipsius contrarius. Respondeo negando minorem, nam unum lumen stat cum lumine alterius rationis, verbi gratiâ lumen solis, cum lumine Lunæ, vel cujuscunque alterius lucidi in eadem parte medii, unde ad probationem dico, tenebras primò nullas habere species, nec esse species, sed esse privationem, & negationem lucis, unde non possunt stare cum lumine, sicut nulla alia species cum sua negatione stare potest, ex quo tamen inferre non licet, lumen non esse veram speciem, maximè cùm alias conditiones omnes habeat.

Instatur

Instatur: Si lumen esset species deberet posse produci à corpore lucido, vel à luce intentionaliter, sed non potest sic produci, ergò: probatur minor; Lux est forma activa nobilissima consequens etiam corpora Cœlestia, ergò non potest producere qualitatem intentionalem, qualis est species, quia formæ nobilissimæ nobilissimus debetur effectus, realis scilicet, & non intentionalis. Respondeo negando minorem, cujus probationis antecedens concedo, & nego consequentiam, nam lux non producit lumen tanquam meram intentionem, sed intentionem, & rem simul, quod non convenit aliis formis.

Urgetur: Modus essendi naturalis, & intentionalis, sunt superioris, & inferioris ordinis, ergò nequeunt eidem lumini convenire, adeoque lux non producit lumen, quod esset res, & intentio simul. Sed Respondeo distinguendo consequens, non possunt eidem convenire secundùm eandem rationem & eundem respectum, concedo; secundùm diversam rationem diversumque respectum, nego: Unde lumen potest dici species intentionalis, quatenus est ratio tendendi in lucem & realis in quantum ipsum potest terminare sensationis actum.

Replicatur: Species non possunt terminare sensationis actum, ergò nulla solutio; probatur antecedens, species odoris non odorantur, species saporis non gustantur, ergò nec species visibilis terminare potest actum sensationis. Respondeo negando antecedens, nam species, quæ contiguatur opaco, vel est in opaco videri potest, ut patet in speciebus coloris, quando radii solares transeunt per vitrum coloratum, quæ videntur in pavimento, vel pariete oppositio, ad probationem negatur paritas, quia sicut visus cæteris sensibus est perfectior, ita species visibiles sunt aliis speciebus sensibilibus perfectiores, & consequenter videri possunt etiam; tum quia de his experientiam habemus non de aliis. Imò dici potest alias species, esse meras intentiones, non sic species visibiles.

Quando species possit terminare sensationem.

VII. *Lumen est qualitas realis intentionalis.*

Arguitur 2. Lumen est qualitas realis, ergò non est species lucis; probatur antecedens, quia causat calorem, denominat subjectum lucidum, &c. sed hæc competunt solis qualitatibus realibus, ergò. Respondeo distinguendo antecedens est qualitas realis tantùm nego; intentionalis etiam concedo antecedens: & nego consequentiam; ad primam antecedentis probationem dico illum calorem produci ab ipso illuminante; ad secundam Respondeo negando minorem omne enim & quæcunque forma denominat suum subjectum quando est aliquod nomen concretum ad hoc institutum, unde bene lumen potest aërem denominare, quamvis non aliæ species, tum quia hic invenimus aliquod nomen institutum, tum quia hæc species sunt aliis perfectiores.

Non semper debet videri objectum à quo producitur species.

Instatur: Si lumen esset species lucis à quo procedit, verbi gratiâ Solis, quotiescunque proponeretur sufficienter lumen sic ut visio ad ipsum terminari posit, deberet videri lux, in eadem illa forma & figura quam habet, sicut quando proponitur species hominis in speculo ipsemet homo in sua forma & figura apparet, sed hoc est falsum, ut patet experientia, ergò. Respondeo negando majorem, neque enim objectum à quo producuntur species, debet videri in loco ubi est species, nisi quando ipsummet producit speciem reflexam, Sol autem non habet virtutem speciem reflexam producendi ab omni loco in quo potest videri lumen.

VIII. *Lumen primarium producitur à lucido, secundarium à primario.*

Dico 3. *Totum lumen primariò in medio diffusum immediatè producitur à luce, secundarium verò à primario.* Ita Scotus 2. d. 13. q. 1. E. Probatur (supposito casuali exemplo scilicet sit candela intra ollam illuminans per orificium ollæ medium per quatuor vel plura pedalia) sic: Radius pedalis non causat alterum radium pedalem, ergò totus radius producitur à corpore lucido; probatur antecedens, si radius pedalis causaret radium tripedalem, candela illa non illuminaret medium per quatuor pedalia per lineam rectam, sed etiam per reflexam, sed hoc est contra experientiam, ergò: probatur sequela, quia si esset ille radius pedalis, quia causaret radium tripedalem, illum etiam causaret orbiculariter in quacunque parte medii usque ad opacum sicut per directum, quia utraque pars medii orbiculariter contenti sicut medii directi est æqualiter capax radii, & lux ac lumen se diffunderent orbiculariter, ergò. Confirmatur, si lumen pedale produceret lumen pedale, secundum produceret tertium, & tertium quartum & sic in infinitum, sed hoc, &c. ergò: probatur sequela, quia causa naturaliter agens & non inveniens resistentiam producit effectum quantumcunque magnum, sed lucidum est causa naturaliter agens non inveniens resistentiam, producit effectum quantumcunque magnum, sed lucidum est naturale agens, non inveniens resistentiam, ergò posset etiam minimum lucidum producere maximum lumen, quia posset producere primò lumen pedale, quod produceret tertium, & sic consequenter usque in infinitum. Probatur quòd lumen secundarium producatur à primario, tum quia per lumen secundarium non videtur ipsum lucidum, sed tantùm lumen primarium; tum quia sunt alterius rationis, ergò & aliam, & aliam efficientem exigunt causam; tum denique, quia hemisphæricè diffunditur à primo; ergò signum est quòd ab illo producatur. Idem dicendum de quacunque alia specie visibili.

IX. *Lumen producitur in instanti.*

Dico 4. *Productio luminis per totum medium fit in instanti.* Colligitur ex Scoto 2. d. 2. q. 12. G. ubi habet quod non est inconveniens formam & alterationem aliquam totam esse simul quando agens respicit totum passum ut indivisibile, & formam secundùm ultimum gradum secundùm quem ipsam totam inducit tanquam indivisibilem, prout contingit de lumine. Probatur si illuminatio fieret successivè, sequeretur quòd Sol multùm omnino temporis necesse haberet, ut totam hanc illuminaret machinam, & spatium inter Cœlum & terram distans, sed hoc non potest dici, ergò: probatur sequela, quia licèt secundùm aliquam partem sibi viciniorem posset fieri in tempore imperceptibili, non posset tamen per totum hemisphæ-

misphærium fieri in tempore inperceptibili, ergò requireretur multùm temporis; probatur antecedens, quia sicut non est excessus imperceptibilis, sed perceptibilissimus secundùm quem totum hemisphærium excedit partem illam vicinam, verbi gratiâ bipalmarem, sic non erit excessus durationis, seu successionis totius illuminationis hemisphærii, & successionis illius spatii bipalmaris imperceptibilis, ergò.

X. *Alius Sol non illuminaret citiùs, sed intensiùs, si perfectior esset.*

Arguitur contra: Quò major est virtus, eò minùs de tempore requirit ad agendum, quàm ubi minor est virtus, sed potest dari Sol perfectior & majoris virtutis, quàm sit Sol modò illuminans medium, ergò si ille illuminaret in minori tempore, quàm modò existens non posset illuminare nisi in instanti, quia non datur minor mensura, quàm instans, ergò modo existens Sol non illuminabit in instanti. Respondeo distinguendo majorem, quo major est virtus, &c. si agens agat in mensura divisibili concedo; si agat in indivisibili nego majorem. In proposito autem Sol agit in mensura in indivisibili, unde excessus Solis possibilis consisteret in majore & intensiore illuminatione non in minori mensura.

Instatur: Deberet etiam consistere in minori mensura, non tantùm in majori intensione, ergò nulla solutio; probatur antecedens, haberet adhuc requisita ad minorem mensuram, ergò: probatur antecedens, quia tunc haberet adhuc distantiam spatii, sed sola distantia spatii causat successionem, ut patet in motu locali, ergò haberet adhuc requisita ad minorem mensuram. Respondeo negando antecedens, cum antecedentis probatione, cujus probationem distinguo, distantia causat successionem quando agens respicit spatium ut divisibile, & non est omnibus partibus æqualiter præsens & applicatum, concedo antecedens; quando respicit ut indivisibile, & est æqualiter applicatum & præsens, nego antecedens: In proposito autem tam Sol existens, quàm possibilis respicit totum spatium ut indivisibile, illuminabile ideo in instanti, in totum operatur, cùm toti sit debitè applicatus & approximatus, si autem illuminativum non applicaretur nisi successivè, ut si quis paulatim & successivè aperiret fenestram ad illuminandum spatium palatii, tunc quidem illuminatio fieret successivè, quia lucidum successivè applicaretur, hoc tamen esset per accidens, attamen illuminaretur pars aulæ propinquior fenestræ simul & remotior si non esset impedimentum.

Distantia non semper causat successionem.

Urgetur: Pars propinquior est magis applicata ad illuminandum, quàm remotior, ergò adhuc eam citiùs illuminabit: probatur antecedens; nam secundùm Opticos radius priùs & citiùs pervenit ad aliquod perpendiculariter, quàm non perpendiculariter, ergò pars medii perpendiculariter citiùs illuminabitur, quàm alia. Sed Respondeo negando antecedens, cujus probationis antecedens distinguo priùs pervenit radius ad aliquod perpendiculariter prioritate activitatis fortioris concedo; prioritate activitatis velocioris nego antecedens & consequentiam, nam æquè velociter illuminat sive perpendiculariter, sive non.

Dico 5. *Lumen in diaphano solùm recipitur secundùm profunditatem illius, in opaco verò solùm secundùm superficiem eidem intrinsecè adhærentem & tangentem.* Prima pars difficultatem non habet, unde probatur secunda, & in primis quòd in opaco recipiatur. Quia reflexio fit ex eo quando adveniente corpore opaco impeditur virtus agentis, ita ut quò corpus magis est politum eò major fit reflexio, ergò lumen intrinsecè attingit corpus opacum; probatur consequentia, quia si solùm extrinsecè illuminaretur, seu si verè lumen non reciperetur in corpore opaco, sed solùm extrinsecè per quandam adhærentiam quatenus illuminat aërem, vel aliud diaphanum contiguum opaco, ex qua illuminatione videretur opacum, parum referret, quòd sit magis vel minus politum, sufficeret enim quæcunque opacitas, ergò reflexio debet intrinsecè attingere opacum, quia reflexio non fit nisi mediante tactu, si enim illud non tangeret ab eo non reflecteret, neque in illo produceret talem reflexionem, nam si pila non tangeret parietem, non posset reflecti ab illo, eò maximè, quia juxta majorem vel minorem duritiem reflectentis, major vel minor fit reflexio, quod certè non eveniret, si non tangeret reflectens nisi extrinsecè, tunc enim æqualiter ab omnibus recederet, ergò si lumen non verè afficeret corpus opacum secundùm superficiem, sed solùm conspiceretur ex illuminatione corporis diaphani opaco contigui, lumen æqualiter ab omni corpore reflecteret, quod tamen est contra experientiam, ergò. Probo etiam minor quod tantùm secundùm superficiem, omnes illæ partes corporis opaci sunt ejusdem rationis, ergò si reciperetur in aliqua parte etiam indeterminata secundùm profunditatem, deberet lumen penetrare omnes illas partes, cùm non sit ratio de una major quàm de alia. Hæc de lumine & luce sufficiant, nunc accedendum erit ad explicationem coloris, quod est ultimum visibile. Unde

Notandum: Colorem tripliciter posse sumi, primò communiter pro omni qualitate visibili, & à nullo alio sensu perceptibili, & hoc modo color coincidit cum luce & lumine; secundò valde impropriè pro aggregato ex colore & luce existentibus in eodem subjecto & diffundentes suas species per medium usque ad organum Visus. Tertiò propriè, & prout nobis de eo hic sermo est, pro qualitate visibili, ab alio sensu non perceptibili, quàm à visu distincta à lumine & luce, in quo sensu dicitur Aristoteles duas coloris definitiones tradidisse lib. 1. de sens. & sensib. c. 3. primam, & est hæc: *Color utiq; erit perspicui in corpore determinato extremitas.* Secundam lib. 2. de an. t. 67. *Omnis color motivus est ejus quod est secundùm actum perspicui & hoc est ipsius natura:* Quæ definitiones bonæ sunt si color consideretur in ordine ad visionem, unde primæ sensus iste est: Quod color sit in corpore terminato conjuncto corpori perspicuo secundùm ejus extremitatem, si color debeat videri; tria enim requiruntur, ut color videatur, primò ut sit subjectivè in corpore denso terminatus; secundò quòd corpus perspicuum, seu transparens illi corpori termi-

terminato sit conjunctum, per quod diffunduntur species coloris usque ad visum; tertiò, lumen in corpore perspicuo, cùm color non diffundat species nisi per medium illuminatum. Sensus secundæ definitionis est, quod scilicet color non possit emittere suas species usque ad potentiam visivam nisi priùs intentionaliter moveat perspicuum, nempe medium illud intentionaliter movendo per species sui diffusas? Meliùs tamen mihi colorem videtur descripsisse Tartaretus lib. de sens. & sensat. quæst. ultima. Quòd color *sit passio corporis opaci alterativa Visûs de potentia ad actum.* Aut si tibi nec ista placet describe colorem cum Pontio: *Qualitatem esse non intentionalem, visibilem, sed non sine dependentia ab alia qualitate, quæ non sit species intentionalis ejus.*

XIII. *Colores alii veri, alii apparentes*

Colores in duplici sunt differentia *Veri* scilicet & *Apparentes*; *Veri* sunt, qui ex certa primarum qualitatum commixtione, vel aliunde resultant; *Apparentes*, qui ex diversitate luminis, vel multiplici irradiatione oriuntur, conveniuntque inter se in aliquibus, in aliquibus discrepant; conveniunt, quia sunt veræ res, nam non dicuntur apparentes quasi non haberent propriam & veram entitatem, sed tantùm quia in genere colorum non sunt veri; item quia utrique ad visionem faciendam inserviunt; tertiò, quia non movent nisi sint in corpore sufficienter denso & opaco: discrepant verò, quia apparentes sunt formaliter lumen, non sic veri, ut dicam paulò infra; apparentes non diu hærent ut veri; tum denique ex parte objectorum.

XIV. *Colorum septem capita.*

Colores veri in septem principaliter dividuntur capita, quorum duo dicuntur extremi scilicet *Albedo* & *Nigredo*, reliqui verò medii, *Purpureus* videlicet, *Ruber*, *Flavus*, *Viridis* & *Cæruleus*; qui iterum in diversas sortiuntur classes maximè secundùm res in quibus priùs reperti & cogniti fuêre: *Purpureus* itaque dividitur in *Roseum*, *Croceum*, *Violinum*, *Amethistinum* & illum, qui est proprius conchilii. *Ruber* sub se cotinet *Rubidum*, *Rubicundum*, *Rutilum*, *Sanguineum*, *Gilvum*, *Spadium*, *Igneum*, *Flammeum*, *Puniceum*, *Vinosum*, & alios. Sub Flavo numerantur, *Mellinus*, *Pallidus*, *Buteus*, *Galbaneus*, *Braxeus*, *Citreus*, *Croceus*, *Cereus*, *Aureus*, *Rufus*, *Fulvus*, *Æneus*, *Mustellinus*, *Ferrugineus*, *Pullus*, *Roanus*, *Tanatus*, *Regius*, *Leonatus*, *Cerinus*, & alii. Sub Viridi *Ærugineus*, *Herbaceus Prasinus*, *Lucidus*, &c. Ad Cæruleum spectant *Cæsius*, *Plumbeus*, *Glaucus Venetus*, & alii.

XV. *Causa colorum materialis est opacum.*

De Coloribus potissimùm examinantur causæ eorum, quod Authores plures fusè præstant, ego tamen brevibus conabor rem expedire. Materialis ergò causa est subjectum quod informat, & quia solùm informat subjectum, seu corpus opacum & densum causa ipsius materialis erit opacitas, non causa materialis ex qua, sed in qua immediatè subjectatur, cùm ultimatè in substantia, cujus est, subjectetur, quæ opacitas sit per majorem constipationem, ut dum perspicuum, seu pervium propter partium tenuitatem non potest terminare Visum, si postea partes magis constipentur terminabit Visum, & in superficie loco perspicuitatis habebit colorem quo terminabit Visum, ut fit in cœlestibus, nam astra à cœlis differunt in densitate secundùm probabilem, ubi quidem densitas non fit per admixtionem alterius corporis opaci, ut fit in sublunaribus, sed solùm rarum vertitur in densum, unde in sublunaribus, quia elementa tria sunt perspicua, scilicet aër, aqua & ignis, & terra, sola opaca varietas colorum non solùm pendet ab opacitate, verùm etiam ex diversa mixtione primarum qualitatum, unde mixta in quibus est prædominium aëreum, vel aqueum cum humido ac perspicuo sunt alba, cùm habeant majorem convenientiam cum lucido, quod est album; si prædominetur ignis extenuans suo opacitatem colore, fiunt lucida; si verò excedat terræ opacitas & siccitas fiunt nigra; hinc fit quod non tantùm mixtio lucis & opacitatis, sed etiam mixtio primarum qualitatum sint causæ immediatæ effectrices coloris, vel ipsa substantia ex elementis sic mixtis genita.

Causa formalis est Coloris quidditas.

Ex quo etiam patet causam formalem esse ipsam coloris quidditatem & essentiam, distinguique, tum ab essentia superficiei, seu à superficie contra Platonicos, quia superficies est de prædicamento quantitatis, cui contrarium nihil est, color verò unus contrariatur alteri colori, una quantitas non potest aliam quantitatem compenetrare, color tamen compenetrat se cum alio corpore, albedo enim non tantùm reperitur in superficie lactis, sed etiam in profundo.

Lumen & Color distinguuntur.

Tum à lumine, quia lumen est qualitas intentionalis, non sic color, qui supra sensum positus sensationem impedit, non tamen impedit lumen, habentque subjecta diversa, quæ autem diversa subjecta habent debent essentialiter inter se distingui, quia si eandem naturam haberent, deberent recipi posse in subjectis iisdem, lumen etiam accedit & recedit manente eodem subjecto, per quod erat diffusum, manente pariter eodem colore: Color habet esse permanens, lumen esse intentionale, & in continua dependentia à sua causa, vel saltem parum remanere potest sine tali dependentia, per quod clarè colligitur lumen & colorem esse qualitates realiter distinctas, quamvis non negem lumen tam ex parte medii, quàm ex parte colorum requiri ut ipsi videantur, cùm lumen sit principale objectum potentiæ visivæ, unde dici possunt colores dependere quoad operationes à lumine in quo sensu intelligendus erit D. Augustinus Serm. 84. de divers. dicens: *Lux facit formas, colores q; discernit, in quantum res, suo nitore aspergit*, ut ipse loquitur Serm. 40. Temp. cap. 6. sic quoque intelligendum tum illud Poëtæ:

Rebus nox abstulit atra colores.

Virgil. Æneid. 6. tum illud Ecclesiæ in hymno feriæ 4. ad laudes:

Rebus jam color redit vultu nitentis sideris.

Pro complemento hujus quæstionis & materiæ de visibili, restant explicanda nonnulla dubia, quæ & scitu jucunda & utilia sunt, & materiam præsentem faciliorem reddent. Unde

XVI. *Resolvitur quæsitum de polygono.*

Quæres primò: Cur aspicienti per polygonum unum objectum repræsentetur per modum plurium. Respondeo, quia polygonum multa habet plana, in quorum singulis objectum producit sui speciem, quæ proinde in totidem refringuntur dissimiles pupillæ oculi partes; dixi dissimiles pupillæ oculi partes, quia non videtur sufficiens illa nonnullorum ratio, ideò id esse, quia discontinuantur species objecti, nam discontinuantur etiam species ejusdem subjecti, quando videtur idem objectum utroq; oculo sine polygono, & tamen objectum non apparet multiplex, unde præter discontinuationem specierum requiritur ulteriùs, quod refringantur in dissimiles partes pupillæ oculi, quod fit per polygonum.

XVII. *Quare specula repræsentent objecta modo inverso.*

Quæres secundò: Quare speculum & alia corpora diaphana repræsentent objectum nobis ante se posita modo inverso taliter, ut cuspides turrium appareant in fundo aquæ, & fundamenta in suprema parte, & homini inspicienti speculum apparet facies sua quasi versa ad se? Respondeo rationem esse, quia species non solùm est repræsentativa objecti, sed & distantiæ, ita ut in viciniori parte repræsentet illud quod minùs distat, unde est quod in suprema parte aquæ appareat fundamentum turris, pedes hominis penes ripam ambulantis, & cuspis turris ac caput hominis in profundo, quia fundamentum turris minùs distat ab aqua, magis cuspis.

XVIII. *Cur ebriis appareant omnia rotari.*

Quæres tertiò: Cur Ebriis & pueris petulcis sese rotantibus omnia appareant circumagi? Respondeo in ebriis provenire ex larga & magna copia spirituum, qui tunc valde calidi & mobiles nascuntur, & suo motu inquietant organum Visûs; In pueris verò hoc provenit ex magna spirituum commotione, qui commoti in magna copia ad oculos tendunt eosque perturbant.

XIX. *Cur aliqui clarè de nocte videant.*

Quæres quartò: Quomodo aliqui expergefacti ex somno æquè clarè videant etiam de nocte ac interdiu, ut legitur de Tiberio, imò hoc quotidie contingere cernimus in felibus, & aliis animantibus de nocte prædam venantibus? Respondeo hoc fieri ex abundantia luminosorum spirituum, qui in corporibus certi temperamenti generantur, & ab oculis diffusi certam medii partem illustrant, imò satis probabile est in quovis oculo aliquid lúminis reperiri, unde in vehementi oculorum commotione frequenter apparet splendor quidam & in furiosis, ac iratis scintillæ quædam promicare apparent. Unde etiam D. Augustinus lib. 12. Gen. litt. cap. 16. ait: *Lux per oculos sola diffunditur: Visus enim se foras porrigit, emicatq; in radius ad visibilia contuenda*: Et alibi sæpè, non voluit tam visionem per solam emissionem istam fieri, ut patet ex dictis.

XX. *Cur aliqui non possint oculos diu in rem defigere.*

Quæres quintò: Cur aliqui non possint diu oculos in aliquam rem defixos tenere? Respondeo hoc provenire ex inopia & debilitate spirituum vitalium, ob quam causam oritur etiam, quòd senes debiliorem habent visum, quàm juvenes.

Quæres sextò: Cur senes ut objectum distinctiùs videant illud à se removeant, lusci verò ut idem benè percipiant, ad viciniam applicent? Respondeo, quia senes jam parum luminis interni habent objectum magis illustrare adlaborant lumini externo: Lusci verò lumine interno abundant, quare admotione vicinori externum lumen impediunt, ne sensibile vehemens impediat sensationem.

XXI. *Resp. ad*

Quæres septimò: Quare collimantes in scopum claudant unum oculum? Respondeo, quia radius visualis pararellus esse debet cum instrumento, verbi gratiâ Bombarda, ita ut non declinet neque ad dexteram, neque ad sinistram, si verò aperiuntur ambo oculi, radius visualis non erit paralellus cùm bombarda scopiatur scopus per extremitatem bombardæ, seu instrumenti.

XXII. *Resp. ad*

Quæres octavò: Unde oritur quòd per angustum foramen maxima moles videri possit, si oculus foramini applicetur, contra verò si lapis minimus potentiæ visivæ approximetur nimiùm, vix aliquid aut nihilum de maxima mole cerni potest? Respondeo rationem esse, quia visio fit per emissionem specierum & receptionem ad modum piramidis, cujus cuspis est in centro oculi, in quo lineæ visuales concurrunt, si oculus est propè foramen radii visuales causant majorem angulum, & consequenter magis se dilatant versus basim pyramidis & consequenter magnam comprehendunt machinam, & si potentia visiva ab oculo elongetur, radii visuales inter se etiam constringuntur, adeoq; minus objectum repræsentant, per quod pariter colligitur quid sit dicendum de oppositione lapidis ad potentiam visivam.

QUÆSTIO IV.

De Auditu & Audibili.

Quanta sit auditûs dignitas fusè & energeticè describit S. Bernardus Serm. 28. in Cant. ubi primatum ei in rebus fidei attribuit. *Bru scias*, dicit mellifluus Doctor *etiam Spiritum S. hunc in animæ spirituali profectu ordinem observare, ut videlicet priùs formet auditum, quam lucifcativum. Audi inquit Filia & vide, quid intendis oculum? aurem para. Videre desideras Christum? oportet priùs audire de eo, ut dicas cum videris sicut audivimus sic vidimus. Immensa claritas, visus angustus & non potes ad eam potes auditu, sed non aspectu.* Et certè in hoc primatum obtinet, oculus tamen ex aliis prærogativam jam dudum obtinuit, ex aliis attèm sensibus Auditus nulli est secundus, tum ob summam utilitatem, & necessitatem ad vitam civitatem & politicam agendam, supervacaneæ etenim forent voces, litteræ & orationes, si potentia non esset, quæ eas percipieret; tum quia potentia auditiva magistra est scientiarum, magistra est & fidei, nam & Aristoteles lib. de sens. & sensib. inquit, Auditum esse disciplinæ sensum. Auditus prroinde definiri solet, *quòd sit sensus perceptivus soni*, quæ definitio de se patet, nam omni auditui convenit sicut & soli.

Aurium situs communiter & ordinariè in capite est circa temporum extremitates & dico *ordinariè*, quia nonnulla inveniuntur animalia

animalia quæ auditu prædita sunt, organum tamen non apparet. In aurium structura & fabrica non minùs, ac in oculo plura reperiuntur, nam imprimis, oculis sese offert pars illa exterior carnea & cartilaginosa, nam sicut natura in oculis providit palpebras, pilos & supercilia ad arcendos sudores & pulveres, ita potentiæ auditivæ partem illam, ut incidere potentia prohibeat estque convenientissimè carnea, ne frangatur & cartilaginosa ne citò dilabatur, vel contundatur, & ut amplius sonum refundat. Ad intra magis plures inveniuntur anfractus, ne sonus rectâ lineâ incidens potentiam lædere possit, & ut aëris frigiditas sensim mitescat, ad quorum anfractuum extremitatem naturam humorem posuit viscosum coagulatum ex excrementis illarum partium, ut si quæ bestiola se ultroneè ingesserit, inhærens facilè capiatur; Tandem est membrana quædam, quæ *tympanum*, seu *Miringa* appellatur, intra cavitatem hujus tympani includitur quædam tenuis substantia, quæ Aër innatus dicitur, per quandam analogiam, quia est aëri elementari similis, licèt aër elementaris non sit, sed quædam pars vera substantialis & animata, quam licèt ars Anatomica non reperiat, ratio eam tamen demonstrat, quia non apparet aliquod corpus crassum eam cavitatem replens, nec potest dici quòd repleatur aëre elementari, quia facillimè corrumperetur ob vicinitatem cum cerebro humido & frigido, à quo ingrossari deberet, unde facillimè quoque læderetur sensus Auditûs. Sustentatur hæc membranula miringa, tribus ossiculis, primum dicitur *Malleus*, secundum *Incus*, tertium *Stapes*, ex eo, quia illarum rerum figuram, & similitudinem præ se ferunt. Ultimò sicut in oculis reperiuntur nervi quidam, qui optici dicuntur, in quos oculi desinunt, ita hæc membrana nervo cuidam affixa est è cerebro descendenti, per quem tam spiritus animales ad aurem deferuntur, quàm species sonorum ad sensum communem, unde congruenter nervi auditorii appellari possunt. Hæc destructura Auditûs, unde modò quæritur in qua parte hujus Fabricæ rudi minerva depictæ consistat sensorium Auditûs? In qua materia non minùs, quàm in constituendo organo potentiæ visivæ plures reperiuntur sententiæ, quas prolixitatis, utpote quæ est obscuritatis genetrix, osor referre omitto, sed cum communiori

Miringa describitur.

Describuntur tribus Ossiculis.

III. *Organum est substantia aërea.*

Dico 1. *Organum Auditûs est Aër ille, seu substantia illa aërea aëri simili elementari, intra tympanum inclusa.* Hæc deducitur ex D. Augustino lib. 6. Musices cap. 3. dicente: *Agit ut opinor luminosum* (pupilla) *aliquid in oculo, aëreum serenissimum & nobilissimum in auribus quid easdem aures animatum membrum esse nonne concedis? cùm ergò elementum id*, substantia *quod in eo membro simile est aëri, moveatur aëre percusso, animam illam quæ ante istum sonum vitali motu in silentio corpus aurium vegetabat, num putamus cessare posse ab opere movendi quod animat.* In quibus satis insinuat & substantiam aëri similem ibi esse, & hanc esse instrumentum audiendi, sicut est luminosa pupilla videndi. Addo D. Augustino tum Aristotelem lib. 2. de partibus animalium cap. 10. sic sentientis, tum Galenum lib. 8. de usu partium cap. 6. ubi hæc habet: *Alteratur non a quovis sensibili omne sensorium, sed splendidum quidem ac lucidum à coloribus, aëreum a sonis, vaporosum ab odoribus, & ut in summa dicam simile simili notum est ac familiare*; Ex quo clarè arguitur sic: sensorium debet esse simile, familiare, ac proportionatum receptaculum specierum, sed aër est simile subjectum subjecto soni, ac proportionatum receptaculum specierum audibilium; ergò ille debet esse sensorium potentiæ auditivæ; Minor patet, & major probari potest à pari de oculo, unde claret consequentia. Sed

Probatur Conclusio secundò: Quia nihil melius & congruentius assignari potest, ergò probatur antecedens impugnando aliorum sententias & imprimis, Auditus non potest consistere in spiritibus animalibus, quia illi non sunt animati; nec in ossiculis illis tribus, quia illa non vivunt vita sensitiva, seu non sentiunt ob terrestreitatem; nec membrana, quia hæc se habet ad modum tunicæ corneæ in oculo; nec denique in nervis auditoriis, ob eandem rationem quam dedimus assignando organum Visûs, & insuper quia illi nervi auditorii non continuantur inter se; ergò nihil aliud melius assignari potest, quàm Aër ingenitus, adeoq; sic erit dicendum. Sed

Dices: Vel ille Aër est ejusdem rationis cum elementari, vel diversæ: si ejusdem, ergò non erit animatus, adeoque non poterit organum Auditûs in eo constitui; si diversæ, ergò non erit aptus ad recipiendas soni species, consequenter non debet poni pro organo Auditûs. Sed respondeo Aërem illum esse omninò diversæ rationis ab elementari, & non nisi analogicè dici aërem, ob similitudinem quam habet cum elementari in tenuitate, transmeabilitate, in se etenim vera est substantia licèt valde subtilis & tenuis.

IV. *Aër ille analogicè dicitur aër*

Dico 2. *Objectum adæquatum Auditûs esse sonum, qui bene describitur quòd sit qualitas sensibilis per aurem ex collisione aliquorum corporum ad hoc idoneorum.* Est D. Augustini sæpissimè lib. 10. Confess. 10. *Aures dicunt, si sonuerunt a nobis indicatæ sunt*: lib. 2. lib. arb. 3. *Quid ad aures pertinet proprie? sonus* & alibi.

V. *Objectum est sonus, qui describitur.*

Probatur prima pars, quia potentia auditiva omnem sonum potest percipere, & nihil aliud potest percipere, tanquam objectum proprium, quod non sit sonus, ergò.

Probatur secunda pars declarando: Dicitur *Qualitas*, quia id quod sensus percipit debet esse aliquid, sed sonus non est substantia, nec quantitas, neque relatio; ergò erit qualitas; probatur antecedens, quoad tertiam partem, quia si esset relatio aliqua, maximè motus, sed sonus non est motus, ergò; probatur minor, quia primò potest esse motus velocissimus, & nihil audiri; secundò, quia motus est sensibile commune, non proprium; tertiò, quia motus formaliter est relatio quæ directè à nulla potentia percipi potest; quartò deniq;, quia secundùm Aristotelem hîc lib. 2. t. 78. docentem sonum non esse motionem solam &

per eam causari, in quo sensu intelligedus est t. 85. lib. de sensu & sensibili.

VI. *Sonus est terminus secundarius motûs.*

Dices: Quod causatur per motum est terminus ad quem, sed sonus non est terminus ad quem; ergò non potest causari per motum. Respondeo, distinguo minorem, non est terminus ad quem primarius concedo minorem, secundarius nego minorem, & hoc non impedit, quo minùs per accidens causari possit per motum. Et licèt sit vera qualitas non habet tamen necesse denominare subjectum, quia hoc tantùm verum est de qualitatibus permanentibus, non vero de transeuntibus, pro quibus ut plurimùm nec sunt instituta nomina ad sic subjectum denominandum. Reliquæ particulæ definitionis soni differentiæ locum habent, naturamq; soni declarant, quia qui ignoraret quid sit sonus eo ipso quod diceretur, quòd sit talis qualitas possit eam distinguere ab omnibus aliis qualitatibus. Et quia dixi sonum causari ex collisione aliquorum corporum ad hoc idoneorum, ideò paulò fusiùs ejus causa efficiens hîc erit explicanda. Itaq;

VII. *Tria requiruntur ad causandum sonum.*

Aristoteles 2. Anima t. 78. docet ad causandum sonum tria corpora requiri, scilicet *Percutiens, Percussum & Intermedium*, quod agitatur, atteritur, frangitur & interciditur, verbi gratiâ, dum excitatur sonus in campana, *Percutiens* est malleus, *Percussum* æs & corpus intermedium aër, quod quamvis Conimbricenses asserant, necessarium non esse, sed sufficere duo corpora, probabilius tamen Ruvius tenet, & ego cum eo, in quolibet sono tria intervenire corpora, ut ait Aristoteles, attamen necessarium non est, ut illa corpora sint discontinua, fieri namque potest, ut percutiens solùm & percussum sint discontinua, intermedium verò discontinuum non sit, idque vel à percutiente, vel à percusso, ut in tonitru ex nube & exhalatione accessa, in boatu terræ motus, in vocibus animalium, in virga agitata & flagello aurigarum, nam cum virga percutitur aër tunc est simul aër corpus percussum & intermedium, imò etiam fieri potest, ut omnia sint continua, nam ex collisione unius partis cum altera potest excitari sonus, ut in agitatione ventorum in aëre, quare solùm duo corpora percutientia per se sonum causant, corpus verò intermedium se solùm habet per modum conditionis, nam Aristoteles lib. 2. Anim. t. 79. ait: *Non est autem soni Dominus aër, neq; aqua, sed oportet solidorum percussionem fieri ad invicem*, ubi per ly *Dominus* circumscribitur causa effectiva soni, ita Ruvius & Mastrius.

VIII. *Conditiones pro corporibus sonativis. Percutientia debent esse resistentia.*

Idem Aristoteles particulares conditiones supra requirit pro corporibus sonativis, & pro corpore intermedio, pro hoc quod sit molle, divisu facilè & velociter potens resilire, quod maximè corporibus humidis competit, & quia aër maximè humidus est, ideò maximè idoneus ad producendum sonum, & quia aqua non est in summo humida, ideò quidem sonum producere potest, non tamen tam perfectè, quare Aristoteles docet lib. de hist. animal. pisces & maximè ranas sub aquis sonos edere. Ad corpora percutientia tres requirit conditiones. Prima est, ut sint dura & resistentia, ut medium interjectum frangant & comminuant, ex qua fractione & comminutione proximè sonus oritur, unde mollia ut spongia, lana &c. eò quòd facilè cedunt, sonum non edunt, hoc tamen intelligas de eo, quod ut plurimùm fieri natum sit & de sonativo perfecto, non verò de sonativo imperfecto, nam supra dixi etiam à fluidis corporibus sonus produci potest. Secunda conditio, est quòd corpora sonativa sint lenia & tersa præsertim si sint plana, ratio est, quia aër per superficiem æqualem impulsus totus & facilè extruditur, si verò corpora fuerint aspera & inæqualia, pars hærebit in cavitatibus, adeoq; non totus comminuetur. Tertia denique est, ut si sonus intensus effici debet, ut corpora sonativa sint concava, qualia sunt tympanum, organum, tuba, campana, &c. quia aër inclusus sæpiùs ad latera percutitur, & sæpiùs comminutus egreditur.

Hucusque de causa efficiente soni: major tamen est difficultas de causa materiali, seu subjectiva, in quo scilicet productus sonus recipiatur, nam aliqui in corporibus sonantibus eum recipi dicunt, alii in medio tantummodò, & hoc esse solum aërem, alii alia, ego tamen

Dico 3. *Sonus ut audibilis solùm recipitur in medio, quamvis etiam possit recipi, ab sistente, sonando, in corporibus sonatoriis.*

Probatur prima pars, si sonus ut audibilis reciperetur in corporibus sese percutientibus, sequeretur quòd sonus non posset audiri, sed sequela est absurda, ergò: Probatur sequela, quia corpora sese percutientia non sunt in aure præsentia, sed quod auditur debet deferri ad potentiam auditivam; ergò cùm non deferantur corpora sonantia, sequeretur quòd sonus audiri non posset.

Probatur secundò, si sonus receptus in corporibus percussis esset audibilis, sequeretur, quòd semper audirentur tres soni, sed hoc est contra experientiam, ergò: probatur major, quia tunc producerentur tres soni, nam idem audibile non potest esse in pluribus subjectis, ergò tunc essent audibiles tres soni cùm sint subjecta, duo scilicet sonativa, & unum intermedium, imò illi soni deberent esse specie distincti, quia corpora sese collidentia sunt specie distincta, adeoq; specie distinctum sonum causare deberent, quod tamen est contra omnem experientiam.

Dices cum Mastrio: Causari quidem sonum diversum juxta diversitatem corporum sonantium, percipi tamen omnes ut unum sonum modo confuso. Sed contra, illi soni recepti in diversis corporibus sonativis, & specie distincti ita à nobis percipiuntur sicut quilibet sonus ab alio specie distinctus, cùm omnes contineantur sub objecto adæquato potentiæ auditivæ, & potentia quælibet sensitiva non impedita potest perfectè percipere & distinguere unam speciem proprii objecti ab alia specie, cùm non sit major ratio de una quàm de alia sicut; ergò potentia sensus auditûs potest discernere inter unum & alium sonum specie distinctum, poterit pariter illos sonos ut tres specie distinctos percipere, quod nemo dixerit, cùm omnis experientia contrarium clamet.

Probatur

XII. *Inest etiam vento in corporibus sonoris.*

Probatur secunda pars: Quia si in vacuo poneretur campana, eaque malleo percuteretur, verè causaretur ab ipsa sonus, ergò sonus etiam absolutè loquendo in corporibus sonantibus recipi potest; Probatur antecedens, quia in campana, eo casu, verè adhuc dantur qualitates causativæ soni, nam sonus non causatur solùm ex resilientia aëris, alioquin quælibet campana, vel quodlibet corpus eundem causaret sonum, quia possent habere eandem aëris resilientiam, sed hoc est contra experientiam, ergò in eo casu campana verè adhuc sonum produceret: probatur minor, quia videmus quòd ex uno temperamento corporis percussi alius & alius specie sonus causatur juxta diversitatem temperamentorum.

XIII.

Dices: Illas qualitates esse quidem causativas soni, non tamen esse receptivas ejusdem. Contra si sonus diceretur esse idem, quia causatur ab iisdem qualitatibus solùm, & non quia in corpore sonativo recipitur, sequeretur quòd si illæ duæ qualitates, quæ sunt in campana, quæ sunt durities & lenitas essent in quolibet alio corpore, adhuc produceretur idem sonus, quod tamen est falsum, ergò requiritur, ut recipiatur in corpore sonativo.

Nec solus aer est subjectum capax soni.

Instabis: Illæ qualitates causant sonum, quando adest subjectum capax, in tali casu autem non esset subjectum capax, nempe aër, utpote qui solus est soni receptivus, ergò non causarent tunc sonum. Sed contra experientia constat, & ut plurimùm tanquam probabile admittitur, quòd non solum aër sit soni receptivus, sed etiam alia corpora, ergò si alia corpora sunt capacia, etiam poterunt recipere corpora sonativa; probatur antecedens pisces etenim & urinatores sub aquis sonos audiunt, nam Plinius lib. 10. hist. nat. cap. 70. refert, pisces plausu congregari solitos venisse ad capescendum cibum in hortis quibusdam, & variis ac piscinis Cæsaris, imò constat Delphinos non solùm sonos percipere, sed & cantu ac symphonia demulceri: In cubiculo omnino clauso audiuntur soni externi, in aqua congelata vix pori dantur & tamen audiuntur soni causati à lapidibus, quos aqua secum defert: Et si in aliquo vase æneo nulloque modo poroso, percusso, undequaque clauso, poneretur corpus sonativum, si illud vas moveretur, extra sentiretur sonus & tamen non posset aër inclusus egredi, ut suppono, ergò corpus illud est receptivum soni, adeoque quodcunque corpus licèt non quodcunque sit productivum ipsius, ergò quod est productivum soni est pariter receptivum ejus, licèt non è contra.

XIV. *Sonus multiplicitèr dividitur.*

Sonus dividitur in multas species, tanquam per varias differentias, præcipuæ tamen sunt *Acutum*, & *Grave*, quæ quasi essentiales videntur, dicuntur autem acutum, & grave de sono propter similitudinem ad tangibilia, sicut etenim tangibile acutum movet & pungit velociter, sic etiam sonus acutus movet velociter auditum, & sicut tangibile grave non velociter movet, ita sonus gravis non velociter movet auditum; sonus acutus causatur, cum parum aeris agitatur, nam propter exiguitatem celeriter movetur, gravis verò fit, cùm copiosus aer colliditur, qui consequenter tardiùs movetur.

XV. *Item in alias species nempe sonum, vocem, & sermonem.*

Secundò Specialiter dividitur sonus in *Sonum*, *Vocem*, & *Sermonem*, quæ tria inter se differunt, sicut superius & inferius, nam omnis sermo est vox, & quælibet vox est sonus, non verò è contra, nam sonus provenit à qualibet corporum collisione, ita ut etiam inanimatis conveniat, vox verò *est sonus procedens ab ore animalis cum imaginatione alicujus significationis*; sermo verò *est vox articulata manifestativa conceptum mentis* quâ ratione soli homini est propria. Vocem Aristoteles 2. de anima t. 90. definit dicens: *Vox est percussio respirati aëris ab anima, quæ est in his partibus advocatam arteriam cum imaginatione aliqua.* Quæ definitio sic explicatur. Dicitur *Percussio* non formaliter, sed causaliter, quò etiam sonus dicitur collisio non formaliter, sed causaliter, id est ictus causatus à percussione respirati aeris: Dicitur *ab anima quæ est in his partibus*, per quod intelliguntur pulmones & alia instrumenta, ut etiam alios sonos ab animali producibiles à voce distinguat Aristoteles, ut stridor dentium, motus labiorum, &c. Dicitur *cum imaginatione aliquâ*, nam vox in brutis debet repræsentare internos affectus, hinc tussis non ex vera vox, quia non est cum imaginatione aliqua; ex his patet, vocem solis animalibus convenire, inanimatis verò solùm per metaphoram, non convenit tamen omnibus animalibus vox, sed tantùm illis quæ respirant & habent pulmones, unde exanguia & pisces nullo modo vocem edunt, possunt tamen causare sonum aliquem exanguia præsertim apes, cicadæ, vespæ, quæ murmur efficiunt per attractionem aeris membranulâ aliquâ subtili causatam, ut docet Aristoteles 4. hist. nat. cap. 9. Vox in hac acceptione comprehendit sub se *locutionem*, & *sermonem* seu loquelam, vox habet rationem generis, vel materiæ; articulatio rationem differentiæ seu formæ, locutio etenim seu loquela non est nisi vox articulata, quia articulus non est nisi quædam interruptio adveniens voci, vox enim ex natura sua est uniformis, fusa, & continuata, articulus autem si intercedat videtur esse interrupta seu intercepta, & distracta id est, non uno tractu fusa sed interpolatione quadam, verbi gratiâ, OOO. ita fusè indistinctè & continuatè clamorem emittendo habet rationem vocis, si autem aliqua consonans præ, vel opponatur, jam habet rationem articuli, quia articuli in hominis loquela sunt Litteræ statimque causabitur vox articulata; dicitur autem vox articulata à metaphora, desumptâ denominatione ab ossium articulis, nam sicut articuli sunt nodi quidam, qui ossium continuationem quodammodò intercipiunt, ita & loquela, quæ est quædam articulata vox videtur quodammodo disrupta & non continuata, hæc vox articulata divisa per litteras & syllabas, ac dictiones dicitur sermo & homini propriè convenit quo animi & mentis conceptus exprimit, in quo civilis hominum societas principaliter consistit, unde etiam controvertitur an loquela ita hominibus conveniat ut brutis convenire non possit & asserere loquelam brutis convenire posse, monstrum quasi

Vox comprehendit locutionem & sermonem.

Quare dicatur vox articulata.

videtur in bona Phylosophia, attamen re bene perspectâ non videtur brutis suo modo loquela neganda, quare etiam

XVI. *Brutis potest competere loquela.*

Dico 4. *Sermonem & loquelam brutis competere posse.* Ita Hieronymus de aqua pendente in opusculo adhoc, & super hoc edito. Et quidem boves locutos fuisse narrat D. Augustinus lib. 3. Civit. cap. 31. sed quia id dicit de locutione humanæ id procul dubio super, vel præter naturaliter factum esse credendum est.

Probatur primò: Authoritate Aristotelis 4. de Hist. animal. cap. 9. ubi dicit, illis præsertim animalibus quibus lingua mediocriter lata, vel tenuis est, cum ea modulos, suos pullos docere, quare earundem concentus & versus imitantur: Accipe verba ejus: *Et avicularum nonnullæ vocem eandem mittunt, quam sui parentes, si præreptæ caruerint paterna educatione, moribusq; & cantibus cæteratum avium assueverint, tam vero luscinia pullos suos, versusq; quos imitarentur tradere visa est, utpote cum non perinde locutio, ut vox per naturam perveniret sed acquiri posse per disciplinam & studium, unde homines quoq; locutione utuntur varia, cùm vocem omnes reddant eandem.*

Probatur secundò: Ratione quia aves veræ vocis instrumenta habent edenda, ergo: patet antecedens, probatur consequentia, quia negari non posse omnino videtur picis & psitacis, in quibus sicut & in aliis animalibus voces dantur, quibus sui animi conceptum explicant & juxta affectuum varietatem, varias efformant voces, alio enim modo efformant cùm timent, alio modo cùm vocant, cùm ad edendum invitant, vel ad pugnandum provocant, se ad libidinem excitant, hinc venator ex latratûs diversitate advertit canem modò quærere prædam, modò invenisse, modò cepisse, modò timere, vagari; Bubulcus ex vario bovis mugitu nunc vitulum quærere, nunc esurire, nunc sitire, nunc in venerem excitari cognoscit, quæ voces veræ sunt & articulatæ, quia experimur bruta suas voces propriis natis ab invicem discernere, & suis natis imprimere & articulare, canis enim latratum suum, qui de se uniformis est, diversis ejulatibus quasi articulat, distinguit & separat, Belluæ tamen suos articulos non efformant lingua & labiis, sed in faucibus media larynge, & lingvula, sed homines vocales voce, & gutture consonantes lingua & labiis proferunt, ut ait Aristoteles 4. Hist. animal. supra. Est item differentia, quia loquela brutorum in unaquaque specie est naturalis, quod omnes ejus partes, tam scilicet quoad eorum compositionem, quàm quoad articulos, hinc est quod bruta ejusdem speciei se invicem percipiunt, at locutio hominum, tam quoad articulos, quàm quoad compositionem est ad placitum & artificiosa, quia nec literæ apud omnes sunt eædem & eodem modo proferuntur, nec earum compositio, natura itaque dedit brutis unius speciei eundem loquendi modum tum ut se invicem perciperent, tuerentur, & mutuò se juvarent, ac ad propagationem invitarent, qui modus est distinctus à modo loquendi brutorum alterius speciei, tum ne unum miscerentur cum bruto alterius speciei & acciderent monstra, tum ne agnus deceptus ad lupum, lepus ad canem curreret, quod etiam natura observavit in hominibus, quorum loquela erat in initio unius idiomatis, sed post Gigantum superbiam & temeritatem orta est linguarum confusio, ut notat scriptura.

Opponitur Conclusioni authoritas Aristotelis 4. Hist. animal. cap. 9. & 5. de gen. animal. 7. ubi docet inter omnia animalia solius esse hominis loqui, quia ipse solus litteris voces articulat, ergò cùm bruta in suis vocibus litteras non exprimant, non loquuntur. Verùmtamen Respondeo Aristotelem quidem docendo loquelæ hominis articulos, & elementa esse litteras, negare tales litteras in vocibus brutorum inveniri, non negare tamen in vocibus brutorum peculiares articulos distinctos ab articulis humanæ vocis.

Instatur: Si vox animalium articulata foret, deberet posse ab aliquo homine intelligi sed non intelligitur, ergò. Respondeo concessâ majore, negando minorem ut patet de Thiresia & Apollonio Thianæo ex Porphirio & Plutarcho de quo refertur, quod dum cùm pluribus commilitonibus fabularetur in horto ubi multi passeres erant advolavit unus passer, qui suo garritu monuit alios in porta loci cum villici cujusdam plenum frumento perforatum esse multumque frumenti excidisse in terram, quare ut ad eam pergerent excitavit, audito illo garritu Thianæus illis adstantibus totum mysterium revelavit, qui omnes ad innuatam à passere urbis januam pergentes invenerunt prout passer & Thianæus edixerat.

Urgetur: Hoc fabulosum esse, *nam difficile est assignare modum voces illas intelligendi*, nam in avium vel quorumcunque animalium vocibus articuli non discernuntur, etgò. Respondeo, quòd licet fortè historia illa fabulosa esset, exinde tamen non debet animalibus denegari loquela, nam licèt difficile sit assignare modum, non est tamen impossibile, nam ex industria & observatione eorum motuum corporis, affectuum, &c. acquiri potest facilitas loquelas dignoscendi, nec verum est perinde quòd non discernantur eorum articuli; quod confirmatur magis experientiâ, qui videmus homines unius rationis, alterius loquelam non intelligere statim, imò frequenter sine omnibus videtur prolata litteris, prout Lusitanis videbantur ad initium Indi tantummodo sibillare, & temporibus Attilæ, Hunni videbantur Italis non loqui, sed latrare.

Restat hìc explicanda ordinaria & communis difficultas quomodo nam potentia auditiva sonum percipiat, an scilicet secundùm esse reale, an verò secundùm esse intentionale, seu per species? In qua materia plures, eæque diversæ sunt sententiæ, hinc & inde probabiles. Mihi tamen omnino difficile videtur de majori probabilitate discernere, cùm sententia tenens per species fieri, vel multitudine Doctorum probabilior apparere posset, verum tamen

Dico 5. *Sonus non tantùm secundùm esse intentionale, sed etiam secundùm esse reale si multiplicando usq; ad potentiam auditivam pervenit.* Et

ex recentioribus, eidem tamen favet Scotus contra Mastrium. Probatur si sonus intentionaliter tantùmmodo ad aurem deferretur, sequeretur quòd species ejus in instanti produci deberent, sed hoc est contra experientiam, ergò non tantùm intentionaliter se multiplicat, sed & realiter, patet minor, quia citiùs videmus ictum in fissione & scissione lignorum, quàm audiamus sonum, in explosione tormenti citiùs videmus flammam quàm percipiamus sonitum, in tonitru priùs videtur fulgur, quàm sonus inde proveniens, & quasi universaliter viciniores citiùs & priùs percipiunt vocem sonitumque quàm remotiores: Probatur major, quia species luminis & lucis in instanti producuntur, ergò; probatur consequentia, quia sonus eodem modo non habet contraria sicut species lucis, seu lumen non habet.

XX. *Species lucis non sunt immateriales, quàm soni.*

Dices: Species soni esse magis materiales quàm sint species lucis, atque ideo non posse in instanti produci. Sed contra falsum omnino est species soni magis materiales esse quàm lucis, nam videmus quò purior est aër eò faciliùs species soni secundùm ipsos, secundùm me sonus auditur, & longiùs protrahitur, ut patet de loquente in loco eminenti & elevato in tempore serenitatis, cùm tamen tunc eodem modo istæ & illæ recipiantur, ergò non sunt magis crassæ & immateriales species lucis quàm soni.

XXI. *Probatur conclusio secundò.*

Probatur Conclusio secundò: Si sonus solùm secundùm esse intentionale perveniret ad aures & non etiam secundùm esse reale, sequeretur quòd productivum ultimæ speciei non esset sonus primò à corpore percusso productus, sed esset species, quæ produceret aliam speciem, sed hoc est impossibile, ergò; probatur major, quia tunc talis sonus non est, sed quod non est, non potest esse principium productivum actionis realis, qualis illa esset, ergò: probatur etiam minor, illud quod producit repræsentativum alicujus objecti debet continere virtualiter entitatem & perfectionem ipsius objecti, sed species soni non continet ipsum sonum, ergò impossibile est, quòd producat speciem soni ultimò productivam; probatur major, quia sicut repræsentativum plurium distinctorum esse non potest, ita idem repræsentabile non potest producere duo repræsentativa specie distincta, quia tunc duabus mensuris adæquatis mensuraretur, quod est contra Aristotelem 5. Metaph. t. 20. quia species sub illa ratione repræsentat objectum, quâ mensuratur ab objecto, ergò si repræsentabile & species se habent ut mensura & mensuratum, sicut repræsentativum seu species eadem non potest esse plurium objectorum, mensurataque à pluribus objectis specie distinctis, nec idem repræsentabile seu objectum poterit adæquatè mensurare, seu repræsentari à duabus mensuris specie distinctis illas causando & producendo, ergò ultimum productivum specici non erit sonus, sed species, adeoque non perciperetur sonus, sed species, cùm tunc temporis ampliùs non sit sonus.

XXII. *Objectio prima.*

Arguitur in contra: Si sonus etiam realiter multiplicaretur, & non solùm intentionaliter usque ad potentiam auditivam, sequeretur loquentem pluribus, verbi gratiâ concionantem, non æquè primò ab omnibus audiri, sed priùs à vicinioribus, posterius à remotioribus, sed hoc videtur falsum, cùm appareat eos æqualiter percipere sonum, ergò probatur sequela, quia sonus receptus in prima parte aëris causatus à corpore sonativo deberet primò causare sonum in secunda parte aëris, secundus in tertia, & sic ultra usque ad ultimam partem, quæ mutationes cùm fiant in tempore & successivè essent à sensu perceptibiles, consequenter priùs audirent viciniores, quàm remotiores. Sed Respondeo negando sequelam majoris, quia omne agens Sphæricum quale est sonus in certa ac determinata parte, agit primò in passa ibi existentia, quia quando per illam distantiam agit, agit ut in quoddam indivisibile, & debitè approximatum cuicunque in illa distantia existenti, unde in productione illorum sonorum est solùm successio & ordo prioritatis & posterioritatis naturæ non temporis, in passa verò extra illam Sphæram existentia successivè & cum prioritate & posterioritate temporis, licèt quasi imperceptibili agit, multoties enim contingit sonum aliquantulum post ictum audiri in remotioribus partibus, & flante vento clariùs & remotiùs auditur sonus versus partem illam ad quam flat ventus, quàm in parte opposita, quia aer in quo continuò causatur sonus, magis ac magis ad illam partem impellitur.

Instantia ad eidem.

Instatur: Soni recepti in audientibus in parte remotiori existentibus non sunt causati ab eadem causa nempe ab eodem sono, sed à diversis, ergò omnes illæ causationes non possunt esse in tempore imperceptibili, sed debebunt esse in tempore perceptibili, adeoque non æquè primò audietur à remotioribus, quàm à vicinioribus, probatur consequentia, ideo illuminatio fit in instanti, quia Sol respicit totum hemisphærium ut quoddam indivisibile, formamque similiter, quam inducit ut indivisibilem, sed causæ causantes sonum non respiciunt distantiam, in quam agunt, hoc modo, ergò; probatur minor, quia quælibet pars soni causat alium sonum in partes sibi appoximatas, & illa in aliam, & deinceps sic ultra, sed ita operari in aliquod medium non est illud respicere ut quoddam indivisibile, & ut in totum sibi debitè approximatum, ergò causæ causantes non respiciunt distantiam hoc modo, & consequenter in illa passa in illa debita distantia, existentia non æquè primò ageret, neque æquè primò sentiretur ab omnibus, sed à proximioribus primò, à remotioribus secundò. Respondeo negando primam consequentiam, & distinguendo secundam, ac totius discursûs ultimam, ergò non æquè primò ab omnibus, &c. ut ly *primò*, vel ly *secundò* dicit prioritatem, vel posterioritatem existentem in eodem tempore indeterminato cum prioritate tamen, & posterioritate instantium temporis inter se concedo consequentiam, nam sic non æqualiter ab omnibus percipitur, in tempore enim immediatè sequenti ad ultimum instans productionis primæ partis soni omnes in illo tempore indeterminato audient, licèt cum aliqua prioritate

Remotiores posterius audient indeterminatè ad instantia, non determinatè ad aliquod tempus.

ritate & posterioritate instantiam temporis in quolibet enim tempore sunt infinita instantia: Non æqualiter ab omnibus, &c. ut ly *primò*, & ly *secundò* dicit prioritatem temporis determinati nego consequentiam; nam sic omnes æqualiter audient loquendo de illis existentibus in quadam certa & debita distantia, in quam sonus sic æqualiter potest agere, de existentibus tamen in majori distantia ab ista, non æqualiter auditur loquendo de prioritate temporis determinati, sæpe enim percipitur ictus & causa soni, quàm percipiatur ipse sonus, ut in tonitru, explosione tormenti bellici, incidentibus ligna, priùs videtur fulgur, flamma, elevatio securis, quàm audiatur sonus inde proveniens.

Urgetur: Sit ista distantia in quam sic determinatè agit corpus sonativum quantitatis sexpedalis & ad instans ultimum terminativum soni primæ partis causationis, incipiat operari in primum pedale, tunc valebit dicere In tempore immediatè ad illud instans produxit sonum in spatio illius pedalis, & productiones istius soni introducti in spatio pedali sunt omnes in illo toto tempore indeterminato immediato, post verò productionem illarum partium soni in spatio pedali ad ultimum instans illarum, immediatè sequentur productiones in secundo pedali, &c. & sic deinceps, sed inter productiones introductas in primo, secundo, & tertio pedali datur prioritas & posterioritas determinati temporis ergò agit in proximiores primò, & in remotiores secundò, ut ly *primò* & *secundò* dicit prioritatem & posterioritatem temporis determinati & perceptibilis. Respondeo ad ultimum instans inceptionis primæ partis soni in prima parte aëris non posse solùm incipere agere, & operari in primò pedali cum præcisione, id est solùm agendo in illud, sed in toto tempore in spatium illud sexpedale operaretur, licèt instantia supra explicata interverirent, unde in forma negatur major.

XXIII. *Quomodo sonus secundùm esse reale perveniat ad aures.*

Dico 6. *Sonus secundùm esse reale pervenit ad aures non quòd sonus factus in parte aëris commoti commoveat aliquam partem aëris, commovendo & alium sonum realem producendo, sed quia sonus in tali vel tali intensione productus est univocè alterius soni productivus juxta propriam intensionem, & perfectionem.*

Prima pars est contra Complutenses existimantes sonum productum in commotione aëris, aerem commotum movere iterum alium in certa distantia, ad modum lapidis in aquam injecti multas circulationes causantis: Quæ proinde probatur, quia ex commotione exiguæ campanæ non potest aër in tanta distantia commoveri, ad quam ejusdem campanæ sonus auditur; sonus factus in vase æneo auditur neque tamen aër externus commovetur ab aëre interno illius vasis, similiter auditur sonus sub aquis, & tamen ibi nulla apparet commotio nec aëris, nec aquæ, imò si duo, vel tres ex oppositio canerent ut evenit in choreis & concentibus musicalibus jam commotio, & motus aëris factus ab uno impediret motum alterius, ut videmus in aqua, in quam si duo lapides injiciantur aliquantulum distantes circuli illi occurrentes se mutuò impediunt, & ultra non progrediuntur, consequenter non sentiremus omnium voces & sonos contra experientiam, ergò.

Probatur secunda pars: Quia sonus est talis naturæ, ut aliquantulum deficiat à perfectione causæ quantùm ad aliquam intensionem, unde contingit quòd in partibus vicinioribus perfectiùs audiatur sonus, quàm in remotioribus, quia sonus primò productus multum intensus in prima parte in secunda producit alium, in tertia iterum alium secundus, & sic ultra, quare fit, ut si sonus fiat cum magna violentia, fiat quòd longiùs audiatur sive sit sonus vocis, sive alterius corporis sonativi. Et si tibi hæc probatio minùs videtur idonea, soto tamen eam ex aliorum dicendi modorum inconvenientia & refutatione manere sufficienter probatam.

Dices: Ex secunda parte conclusionis XII. sequeretur, quòd sonus in infinitum se posset protrahere, quemadmodum se diffundere potest lumen primarium, sed hoc est inconveniens, & inauditum, ergò. Sed Respondeo negando sequelam majoris, disparitas est, quia species lucis solùm æquivocè producitur, non verò univocè, quia species est intentio, & non solùm res, sonus verò est sola res, ideo producendo & se realiter multiplicando sonus secundò productus est imperfectior sono primo producto, & tertius imperfectior secundo, & sic de aliis, quousque pervenitur ad sonum non amplius alterius soni productivum, nam sonus non est alterius soni productivus secundùm suam naturam præcisè inspectus, sed solùm ut in tali, vel tali gradu intensionis, ut pater deloquente leviter alteri in fistula, vel aure. Ex quo deducitur quòd non sit idem sonus qui auditur ab omnibus, sed solùm initiativè, & primò productus, unde sunt tot soni quot audientes quare etiam sonus audiri potest, quando non est, nec auditur sonus à longè nisi in quantum est causa soni recepti in aëre, qui conjungitur in aëre connaturali existente in aure.

QUÆSTIO V.

De olfactu & odore.

Eadem ferè quæ in quæstione præterita de auditu examinavi, de odoratu sunt examinanda, unde organum investiganti sese primum offert Nasus, qui præter pulchritudinem, quam faciei affert, & utilitatem ad excrementa è capite defluentia ejicienda ad sensationem olfactûs, aptissimus est, deservit enim attrahendo aërem, quâ attractione panduntur duæ portulæ immediatæ organo olfactûs, per quas odor ingreditur, quare fit, ut non respiratione sentiamus, sed aspiratione, quâ aër attrahitur, inter has portulas reperiuntur duo tubercula mamillis simillima, ita ut etiam ob eam similitudinem carunculæ mamillares, seu pupillares vocentur, sub his invenitur os quoddam biparticum multis foramellis repletum, inter quæ duo aliis sunt majora correspondentia nasi foraminibus, quod os propter similitudinem quam habet

habet cum spongia & cribro, cribrum vel os spongiosum appellatur, est à natura provisum ne aër aspiratione attractus cumulatim ingrediatur & cerebrum lædat. Hisce duabus partibus ossis spongiosi correspondent etiam duo meatus alii, qui ad fauces flexuoso ductu protenduntur. De his omnibus quæritur, in quonam resideat organum odoratûs, ad quod

II. *Organum est in tuberculis.*

Dico 1. *Organum odoratûs residet in tuberculis mamillaribus.* Ita Avicenna &c.

Probatur Conclusio, tum quia altiorem obtinet locum inter omnes alias partes, ad quas conservandas & tuendas videntur aliæ à natura subordinatæ; tum quia illæ partes, seu caruncvlæ mamillares peculiarem habent naturam, figuram & compositionem singularem ad odores percipiendos, tum denique quia nihil congruentius assignari potest, ergò; probatur antecedens, non cerebrum, nam præterquam quòd hoc sit organum sensûs interni, videtur esse improportionati temperamenti ad percipiendos odores, cùm sit frigidum & humidum, materia verò odoris calida & sicca cum humiditate admixta: Non nervis, quia est eadem ratio de aliis nervis sensoriis inservientibus; non tunica & membrana cooperiens caruncvlas mamillares, si quæ ibi etiam invenitur: quia hæc per totum nasum est expansa, cùm tamen odores non in omnibus, sed in determinata parte sentiamus: Non denique cribrum, seu os spongiosum, quia ossa ob terrestreitatem non sentiunt; ergò nihil melius & congruentius assignari potest.

III. *Cerebrum per accidens recreatur odoribus.*

Dices: Cerebrum recreatur odoribus, & etiam ab iisdem læditur; ergò est sensorium odoratûs. Respondeo negando consequentiam, quia cerebrum læditur vel recreatur odoribus in quantû habent qualitates beneficas, vel maleficas añexas, quæ odorē quasi semper comitantur.

Instabis: Si non esset cerebrum organum odoratûs, non esset necessaria aspiratio ad percipiendos odores, sed hæc est necessaria; ergò. Respondeo negando sequelam majoris, quia caruncvlæ illæ sunt tectæ tunicâ exangui, quæ dilatari debet, ut odores percipiantur, sicut palpebræ contegentes oculos elevari debent, ut fiat visio, dilatantur autem illæ portulæ aspiratione, quâ etiam ratione non percipimus odores ciborum in ore existentium, quia in aspiratione aër per os ingrediens non ascendit ad nasum, sed directè tendit ad laryngen.

IV. *Objectum est odor.*

Objectum potentiæ odorativæ ab omnibus statuitur esse odor, nam odorat⁹ describitur, quòd sit *sensûs odoris tantùm perceptivus*, cõtrovertitur tamẽ an odor sit substantialis evaporatio, an verò aliqua qualitas accidẽtalis? Heraclius, Plato & plures antiquiores Philosophi eum esse exhalationẽ corporis odorati dixerunt. Sed contra

V. *Odor non est exhalatio sed qualitas.*

Dico 2. *Odor non est exhalatio fumea corporis odorati, sed qualitas accidentalis de tertia specie qualitatis.* Ita Aristoteles lib. de sens. & sens. c. 5. ubi antiquiores Philosophos refutat.

Probatur prima pars: Nulla substantia est per sensum perceptibilis, sed odor percipitur per olfactum; ergò odor non est exhalatio substantialis.

Probatur secunda pars: Quia odor abest & adest præter subjecti corruptionem; remanet idem odor in vino consecrato, qui fuit in non consecrato, sed non remanet substantia ut fides locum habeat, ergò: Deniq; verisimile non est aromata tamdiu cõservare odorẽ, si continuò vaporosam emitterent exhalationem substantialẽ, ergò. Unde licèt odores aliquando vocentur ab Aristotele substantiales loquitur tantùm in sensu aliorũ vel causativè, pro quanto scilicet causa prima adæquata odoris nulla potior assignari potest, quàm ipsa substãtia cujuscunq; corporis odorosi, ad cuj⁹ compositionẽ concurrunt elementa & qualitates primæ juxta diversam & diversam permixtionem & temperamentũ juxta cujusvis diversitatem diversi & diversi oriuntur odores, sunt enim multi odores ita proprii uni substantiæ, quòd ex odore valeat inferri esse talem substantiam, unde loquendo de causis odorum, idem ferè ferendum judicium quod de coloribus. Odor autem benè describitur quod sit: *Qualitas orta ex temperamento primarum qualitatũ siccitate & calore alijs qualitatibus prædominante*, quod satis experientia constat, tum quia calefactione substantiæ odoriferæ facilius emittunt odorem & frigore existente hyemis tempore minus percipiuntur; tum quia regiones calidæ optimos proferunt & producunt odores, & si odoriferæ substantiæ humectentur odore omni spoliantur, quare dicitur quòd flores Ægypti minùs sint odorosi propter Nili exundantiam & frequentem aërem nebulosum; Et ob hanc causam organum olfactûs à natura siccum factum est, quare si humores per catharros è cerebro nimium defluant olfactum vitiant, & ideò etiam dicit Aristoteles ingeniosiores minùs pollere odoratu ob magnitudinem & humiditatem cerebri, quæ defluens olfactum destruit.

Describitur odor.

VI. *Odores non præstant effectus substantiales.*

Dices: Odores habent operationes substantiales, ergò sunt substantiæ; probatur antecedens, quia odores nutriunt & sustentant, narratur enim de quibusdam Indiæ populis eos ex solis odoribus florum & pomorum vivere, cerebrum recreant, à deliquio liberant, imò deliriũ & stultitiam nonnulli causant, aërem corrumpunt &c. ergò. Respondeo negando antecedens, ad probationes & allegata dico, illos effectus præstare in quantum semper, aut frequenter saltem odores conjunctam habent fumeam exhalationem substantialem; Et quòd non possint nutrire odores clarè patet, quia id solùm nutrit, quod in substantiam nutriti & aliti convertitur, qualiter nullum odorem converti manifestum est, unde fabulosum & fictitium est illud, quod de Indiæ populis narratur.

VII. *Subjectum odoris aër & aqua.*

Dico 3. *Subjectum odoris est tam aër quàm aqua.* Ita Aristoteles 2. Anim. tex. 97. & 4. hist. animal. cap. 8.

Probatur prima pars: Quia qui respirant non nisi per attractionem & inspirationem aëris olfaciunt.

Probatur secunda pars: Quia pisces in aqua olfaciunt, ubi tamen non est aër & ut piscatores narrant ad expositos odoriferos cibos accurrunt; Imò etiam corpora alia fluida recipere odores possunt, vel per foramina & poros penetrare; imò etiamsi essent omniò solida,

adhuc aliqui fœtores vel odores illa corpora penetrarent ad eum ferè modum quo sonus.

VIII. *Odores aliquando realiter aliquando intentionaliter perveniunt.*

Dico 4. *Odores aliquando realiter, aliquando intentionaliter ad odoratûs organum deferuntur.* Hæc non habet difficultatem &

Probatur prima pars: Quia ipsa qualitas odorifera ad organum olfactûs pertingit, ut dum applicantur flores, aromata &c. naso, quare etiam quædam nocent, quædam verò prosunt & conducunt cerebro, quod signum est odores non modo intentionaliter, sed realiter pertigisse.

Probatur secunda pars: Quia videtur imperceptibile, quòd ad tam magnam distantiam odores ipsi perciperentur & transirent sicut percipiuntur à nonnullis bestiis & avibus, nam ut narrat Albertus 2. de an. c. 25. Vultures & Tygrides factâ strage in Græcia cadaverum odorem sensisse ad quingentas leucas. Confirmatur: Quia aliæ qualitates emittant suas species intentionales sine sui multiplicatione; ergò etiam odores sic emittere & diffundere possunt.

IX. Dices 1. Si odores deferrentur per species deberent sentiri ut distantes, sed odores nõ sic percipiuntur. Respondeo negando minorẽ, quia revera toties quoties sentiũtur per species, sentiuntur ut distantes, licèt fortè non ita perfectè sicut percipitur sonus, vel color ut distans.

X. Dices 2. Quando odores species transmittunt, illæ non deberent impediri à vento, sed odores semper impediuntur à ventis, nam experientia constat, quòd quotiescunq; fœtores aliqui excitantur, quòd in eam propellantur partem, quò ventus vergit, ergo. Respondeo distinguendo minorem, si ventus auferat & pellat etiam qualitates odoriferas productivas specierum concedo minorem; si ventus non auferat, nec extra sphæram activitatis propellat nego minorem. Itaq; quando odores exhalant à corpore odorifero, illi exhalati tendunt secundùm suam entitatem, quo possunt, si autem contrarium experiantur facilè in aliam partem propelli possunt, & sic tunc nequeunt etiam tam procul producere species.

QUÆSTIO VI.

De Gustu & Gustabili.

I. *Gustus est potentia distincta à tactu.*

Suppono tanquam certum Gustum esse potentiam distinctam à tactu, nam si verum est, quod Aristoteles ait & docet potentias specificari per actus, actus per objecta, cùm hi sensus habeant distincta objecta, habebunt distinctos actus, & consequenter inter se realiter distinctæ; quòd autem distincta objecta habeant inde patet, quia gustus habet qualitates secundas, tactus primas; tum quia habent organa distincta, & tandem quàm maximè, quia ablato gustu non tollitur, sed illæsus manet adhuc sensus tactûs, quare si Aristoteles gustum quandoq; quendam tactum vocat, intelligendus est in sensu materiali, quasi diceret, ubi gustus est, ibi etiam est tactus, ex eo, quod ille istum præsupponat, quod quidem verum est, nam dum aqua, vel alia res quæcunq; omni sapore carens super organum gustûs applicatur illa gustu percipi non poterit, sed solùm per tactum, quia tunc non erit aliquod gustabile. Hoc supposito

Circa Organum Gustûs primò controvertitur, in quonam consistat, utpote cùm in hoc non pauciora, quàm in aliis interveniant, nam imprimis in ore, ubi Gustus necessariò residet numerantur communiter dentes triginta duo, viginti molares ad cibum conterendum, octo incisores & quatuor canini. Deinde est lingua instrumentum vitiorum & virtutum per quod & Deum benedicimus & maledicimus, quam moraliter simul & Physicè sic describit mellifluus Doctor Bernardus Serm. 17. de diversis de Triplici Cust. *Teneram membrum Linguæ & tamen vix teneri potest: Substantia quidem infirmum atq; exiguum, sed usu magnum & validum reperitur. Modicum membrum est, sed nisi caveas magnum malum. Tenuis est & lata aptissimum facundiæ instrumentum, sicut multorum mihi inter vos conscientias arbitror attestari &c.* Supra autem de lingua detractoris sic loquitur: *Nec vero quamdiu linguam ipso etiam mucrone, quo dominum lacus confossum est crudeliorem dicere vereatur, fuit enim hæc quoq; Christi Corpus & membrum de membro, nec jam examine fodit, sed facit examine fodienda.* Dictis S. Bernardi addendum est linguam etiam esse spongiosam & raram, ut eò facilius humores imbibere possit, estq; contecta tunica perquam tenui, quæ etiam se per totum os extendit. Deinde habet novem musculos, quorum par una ad dextram, altera ad sinistram dividunt per lineam rectam mediam; in parte inferiori adhæret in faucibus ossi validò tanquam basi & fundamento, ubi etiã sunt duę carnosę glandulę quę tonsillę vocantur, & inserviunt ad generandam salivam, Palatum verò est pars superior ad modum fornicis modicè concava. Ex his

II. Dico 1. *Organum gustus principaliter consistere in cuspide linguæ, minùs verò principaliter in palato & faucibus.* Hæc est D. Augustini Serm. 33. de verbis Domini, ubi ait: *Nihil enim gustandum sapit, nisi linguâ & palato tangatur:* & D. Bernardi Serm. 28. in Cantic. Cantic. ubi sic ait. *Sapor in palato, in corde sapientia est.* Et

Probatur primò Experientiâ, quia quotiescunq; aliquid perfectè gustare volumus, tunc illud ad cuspidem linguæ applicamus, ut patet in locis lambentibus ciborum condimenta, & vinariis vina probantibus, sicut è contrario quando aliquid gustare nolumus propter acrimoniam, aciditatem, vel aliam contrarietatem, tunc quàm citissimè ad offephagũ deferre & trajicere laboramus, ut faciunt ii, qui in medicinis sumendis, vel pertæsi sunt, vel infecti.

Probatur secundò Ratione, Quia in cuspide Linguæ est caro mollior, subtilior & ad percipiendos sapores aptior; ergò dicendum est quod organum Gustûs principalius ibi resideat.

Probatur altera pars; tum quia videtur esse lingua ubiq; ejusdem rationis & naturæ, & palatum saporum recipiendorum & gustandorum aptum; tum experientiâ, quia cibi grati nõ sapiunt nobis solùm in cuspide linguæ, sed etiam per totam, sicut etiam in palato, unde gulosus non nemo collum gruis sibi exoptavit, ut ciborum dulcedinem diutiùs sentire posset.

Objectum

IV. *Objectum est sapor.*

Objectum Gustus, seu Gustabile est sapor, qui est: *Qualitas realis orta ex temperie primarum qualitatum prædominante humido*, in qua potissimùm invenitur siccitas terræ, seu terrestris, calor & humiditas, quòd autem veniat siccitas terrestris, patet experientiâ in rebus sapidis reperta, quæ siccæ sunt sæpè, debet autem illa siccitas esse terræ & non ignis, quia hæc nimium tenuis est & subtilis, adeoq; citò evanescit, & sic parum apta est ad efficiendum gustum; Calorem verò necessarium esse inde liquet, quòd frigore sapores destruantur & desinant, & quòd in partibus Aquilonaribus fructus & alia saporifera sint minùs amabilia & dulcia, quia deficit multùm calor naturalis Solis concoquens humidum & siccum, quæ se habent veluti materia. Quod tandem necessarium etiam sit humidum probat ratio, quòd tunc maximè res sapiant, quando Gustus tonsillis & salivâ ab iis producta humectatur, quas ob hanc proinde causam natura potissimùm ordinasse videtur: Humidum autem sicco prædominari debere à pari vel potiùs à contrario sic probo, in odore prædominatur siccum; ergò in sapore prædominatur humidum, cùm objecta horum sensuum à contrario sint distincta.

V. *Varie species saporis.*

Species saporis Aristoteles enumerat octo, nempe *Dulcem, Amarum, Pinguem, Salsum, Acrem, Acerbum, Acutum & Acidum*; *Dulcis* reperitur in ficubus, melle, &c. *Amarus* in bili, oppio, absynthio, &c. *Pinguis* in butyro, lacte, oleo; *Salsus* in sale & aqua marina: *Acer* in pipere & allio &c. *Acerbus* in fructibus immaturis, hic sapor alio nomine appellatur *Ponticus*, seu *Constringens* &c. Acidus in aceto & acescentibus; *Acutus* in nasturtio, raphano, limonibus &c. Verùm hoc notandum est, quod hac enumeratione non obstante adhuc plures saporum subdivisiones fieri possint, nam ipse Plinius his addit quinq; alias species, verùm etiam magis restringi potest si fiat divisio per generaliora & principaliora membra, quæ sunt dulce & amarum. Sapores autem ut probabilius deferûtur sine medio realiter & nõ per aliquas species intentionales. Sed

VI. *Cur dulcia noceant dentibus.*

Quæres primò: Cur dulcia ut ficus, saccharum, &c. magnopere noceant dentibus? Dulcia dentibus obesse quæq; curiosiores mulieres, quæ vel talibus abstinent, ut albedinem dentium conservent testantur & probant. Respondeo ergò hoc fieri ex eo, quòd dulcedo sat pinguis sit, quæ pinguedo facilè dentibus adhæret & sic putrescit, causatque illud nocumentum; Et fortè ratio moralis esse potest, ne homines dulcibus abusi, & ad amara & dura ob id ejecti tam facilè dulcibus inhient. Unde mellifluus Bernardus ait Serm. 16. de diu: Quamlibet voluptatem sanitati nocere, verba ejus sunt: *Insidiatur enim voluptas sanitati, & tam subtili malignitate prosequitur, ut vix eam quis possit cavere, vel noverit. Quòd si voluptati servitur & non sanitati, hoc jam de natura non est, sed sub natura, quæ morti manu dat, cùm magistram constituit voluptatem.*

VII. *Vina meliùs sapiunt post acerbiora.*

Quæres secundò: Cur vina meliùs sapiant post manducationem casei, aut aliorum esculentorum acerbiorum? Respondeo id provenire, quia oppositа juxta se posita magis elucescunt, sic apparet suavius vinum post durio-

rem & acerbiorem cibum, & requies gratior est post fatigationem & motum, quàm fuerit antè, cùm tamen in se melior non sit.

VIII. *Homines aliqui insueta appetunt.*

Quæres tertiò: Cur aliqui homines quandoq; appetant res minùs consuetas esui & de se horridas, ut Cretam, Carbones? Respondeo hoc provenire ex vitio phantasiæ, quæ vehementer commovet & immutat humores & hoc patet inde, quòd audientibꝰ nonnullis sermocinationes fieri de dulcibus saliva defluat in ore & intra dentes, hinc quia illi laborãt tali phantasia, apprehendunt illa esse bona & suavia esse.

IX. *Omnia animalia habent gustum.*

Quæres quartò: An omnia animalia sint sensu Gustûs prædita? Aristoteles negat, verùm respondeo omnia animantia habere Gustatum, & probo, nullum est animal, quod non haberet tactum; ergò nullum animal est, quod non haberet Gustum: antecedens patet; probatur consequentia, quia Gustus est prior in animali, quàm sit tactus, ergò: probatur antecedens, ille sensus inest prior, qui est ordinatus ad conservandum subjectum, cui inest, sed Gustus est ordinatus ad conservandum animal, ergò: probatur minor, quia tactus à natura non est provisus animali nisi propter solam defensionem & contrariorum repulsionem, sed contrariorum repulsio est posterior ad propriam conservationem, ergò.

QUÆSTIO VII.

De Tactu & Tangibili.

I. *Difficultas de Tactu.*

Sensus hic in entitate sua quidem imperfectissimus est in examinatione tamen ejus, & declaratione vix non difficillimus, nam à tot annorum myriadibus, nec Grammatici, nec Philosophi reperti fuerunt, qui ejus objectum particulare nomine & prædicato baptizare voluerint, quotquot enim de tactu agunt, objectum dicunt esse tangibile, si tamen quæratur quid sit esse tangibile, respondent esse, quod à tactu percipi potest, quod est rotundissimum committere circulum, ego hanc materiam brevitate solitâ enucleare & resolvere conabor. Pro quo

II. *Tactus multipliciter accipi potest.*

Notandum est primò, tactum multipliciter accipi posse, nam primò accipitur pro continuatione duorum corporum sic lapides duo sibi invicem superpositi dicuntur se tangere; secundò accipitur pro qualibet sensatione cujuslibet sensûs ex eo, quod per tendentiam in objectum suum illud attingat: tertiò ad propositum nostrũ accipitur pro sensu externo aliquo ex quinque, qui sit perceptivus primarum qualitatum, nempe frigoris, caloris, humiditatis & siccitatis &c. De quo imprimis quæritur in quonam organo resideat? secundò quasnam qualitates percipere possit? & tertiò an unus sit sensus tactûs, vel plures? quę omnia sequentibꝰ expediã Conclusionibus. Pro prima autem parte multiplex est sententia, nam Aristoteles videtur solùm cor posuisse sensorium & organum tactûs, quem sequitur Themistius: Galenus autem D. Thomas, Scotus &c. sentiunt sensorium tactûs esse nervum intra carnem latitantem; Averroës denique ait esse carnem; sed quamvis Scotus dicat sensorium tactûs esse nervum, nondum tamen demonstratum est, quod asseruerit esse solum nervum sicque explicari commodè potest,

ut intelligatur de partiali organo, non verò de totali. Ideoq;

III. *Sensorium tactûs est nervus & caro.*

Dico 1. *Sensorium tactûs consistere, nec in solo nervo, nec in sola carne, sed in utroq;.* Ita Conimbricenses & Recentiores communiter, &

Probatur primò generaliter, quia illud est organum alicujus sensûs in quo fiunt sensationes & operationes illius sensûs, sed nec in carne sola, nec in solo nervo, sed in utroque fiunt sensationes tactûs; ergò utrumq; erit organum & sensorium; major est certa, probatur minor, quia experientiâ constat, quòd non solùm nervus sentiat primas qualitates, sed etiam ipsa caro, ergò. Per carnem autem intelligo hîc tam membranam, quàm cutim & alia omnia quæcunque carni insunt & adhærent.

Probatur secundò, specialiter de nervo, quia nervus per se primò & immediatè continuatur cum sensorio sensûs communis, sed organa potentiarum sic continuari debent, ergò nervus erit verè sensorium tactûs; sed quòd non solùm

Probatur, quia in hepate, corde, pulmonibus fiunt sensationes tactûs, sed in illis nullus est nervûs; ergò convenit etiam sensorium tactûs, unde licèt caro non continuetur immediatè cum organo & sensorio sensûs communis continuatur tamen mediatè, quod sufficit. Confirmatur ex eo, quòd in carne potissimæ fiant delectationes & percipiantur voluptates, ergò.

IV. Dices: Si pellicula ovina, vel quæcunq; alia ponatur supra carnem eâ mediante sentitur dolor & voluptas; ergò etiam licèt sentiatur dolor & voluptas mediante carne non dicendum est, quòd caro sit organum, sicut nec est pellicula interposita. Sed contra: Quando pellicula interponitur inter nervum & tangibile non sentitur dolor vel voluptas in pellicula, sed in aliquo alio, in carne verò ipsa sentitur tam dolor quàm voluptas, adeoq; nulla paritas.

V. Probatur Conclusio tertiò Authoritate Sanctorum Patrum, nam D. Augustinus lib. 3. Gen. litt. cap. 4. ait: *Tactus est quibus in sensibus, terreno elemento magis congruit, proinde per totum corpus animantis diffusus est*: & Serm. 33. verb. Dom. ait: *Tactus est in omnibus membris.* D Bernardi Serm. 10. de diversis, ubi comparat amorem erga parentes tactui per ejus naturam hoc modo: *Denique, si consideres curiosiùs delectat, non in meritò fortasse videbitur primus, id est amor parentum, tactui convenire, quod hic sensus sola proxima & corpori juncta percipiat, quemadmodum amor ille nullis exhibetur, nisi proximis carnis nostræ, sed nec illud discrepat à ratione similitudinis hic solus è sensibus per corpus diffunditur universum.* Sed si esset in aliqua determinata parte aut uno solo nervo non sic diffunderetur per totum corpus, ut probatum est, ergò. Imò authoritas mellifluî non solùm tactum in omnibus corporis partibus esse probat, verùm etiam insinuat tactum fieri sine speciebus dum dicit: *Hunc sensum sola proxima & corpori juncta percipere.*

VI. *Objectum tactûs.* Tangibile, seu objectum tactûs Divus Augustinus lib. 10. Confess. cap. 8. dicit esse *Durum, molle, calidum, frigidum, lene, asperum, grave & leve; sive extrinsecùs sive intrinsecùs corpori.* Quod scholastici omnes quoque docent, in eo tamen difficultates movent, quomodo percipiantur, an videlicet illæ solùm, quæ sunt in objectis illis tactu perceptibilibus, an verò etiam quæ sunt in ipso subjecto & organo tactûs, ad quas difficultates resolvendas

Dico 2. *Tactus percipit omnes qualitates illas in ipsis objectis existentes quantum est de se.* Hæc est Scoti in tertio & quarto d. 44. q. 3.

Probatur primò, de qualitatibus secundis, nam certum est, quòd dum palpamus ferrum & lanam sentiamus in illo esse duritiem, in hac mollitiem & sic de aliis, imò mollitiem & duritiem ipsius organi & subjecti non sentimus; ergò si illæ qualitates sunt objecta tangibilia erunt, quando non insunt ipsi subjecto & organo.

Probatur etiam de qualitatibus primis, percipiuntur per tactum qualitates secundæ in objecto existentes, ut dicebat & probabat pars prima; ergò percipientur etiam qualitates primæ ab omnimoda paritate; Et confirmari potest, quia si aliquis esset ad focum & ignem vehementiorem, manusq; extenderet versùs eum majorem experiretur calorem, quàm sit vel fuerit in manu; ergò percipit calorem in objecto existentem. Confirmatur secundò ex Doctore, qui dicit posse saltem de potentia Dei absoluta separari actionem intentionalem à reali, ita ut objectum per tactum sentiatur, nihil reale ipsi imprimendo, prout putat futurum in damnatis post diem judicii, ubi eorum corpora patientur ab igne inferni, nec tamen aliquem calorem ab ipso impressum habebunt, alioquin reciperent dispositiones corruptivas corporum.

Dices: In corporibus damnatorum calor quidem producetur, non tamen permittetur agere, ut corpora eorum destruat; ergò calor non sentietur objecti, sed ipsius organi. Sed respondeo cum Barone negando antecedens, videtur enim melius dici ignem non producere in ipsis alium ignem, aut calorem vehementem, quàm productum negare quin possit agere in illa corpora corrumpendo, quin faciliùs impeditur effectus causæ efficientis, quàm formalis.

Dico 3. *Qualitates aliquæ ipsi animali ejusq; organo insistentes sentiuntur etiam ab ipso.*

Probatur, quia si aliquis immitteret manum in nivem frigidissimam aut in aquam, postquam eam exinde traheret & benè tergeret sentiret frigus in manu, sed non nivis vel aquæ; ergò frigus in ipso organo existens.

Probatur secundò, qualitas tangibilis ipsi organo inexistens est sensibilis per tactum; ergò ab ipso tactu percipi poterit; probatur consequentia, tum quia quidquid ab una potentia percipi potest, potest etiam ab alia ejusdem speciei, nisi obstet aliqua particularis ratio, sed omnes potentiæ tactivæ sunt ejusdem rationis nullumq; obstat impedimentum; ergò non modo ab alio tactu, sed etiam ab ipso cui inest percipi poterit.

Probatur

Probatur tertiò: Quia si unâ manu tangam aliam vel uno digito alium, verbi gratiâ pollice indicem, nunc ego sentio mollitiem indicis non modo per pollicem, sed etiam per indicem ipsum, ergo sentiuntur qualitates ipsi objecto & organo inexistentes, idem est de duritie. Dixi in conclusione notanter aliquæ, quia si omnes sentirentur, continua esset in organo sensatio. Ex quo ipso sic contra conclusionem

X. *Non semper adsunt requisita ad sensationem.*

Arguitur: Si aliquæ qualitates ipsi organo existentes sentirentur, continua fieret sensatio, sed certum est, quòd non fiat continua sensatio in tactu, ergò qualitates aliquæ non sentiuntur. Respondeo distinguendo majorem, continua fieret sensatio, si omnia ad sensationem producendam requisita adessent concedo majorem; si non semper adsint nego majorem cum consequentia concessa minore, itaque ut qualitates in organo existentes sentiantur requiritur primò, quòd excedant debitam & connaturalem organi temperiem quod contingit in qualitatibus primis: Secundò debet fieri adhuc aliquis contactus inter ipsa organa, ut dixi de duobus digitis etiam ut sentiatur mollities vel durities in eo in quo est.

Gravitas non sentitur in ipso corpore quæ partes sunt in loco naturali.

Instatur: In homine, verbi gratiâ, omnes partes tangunt se invicem continuò, sed isto contactu existente, etiam, non sentitur uniusvel alterius partis gravitas vel levitas, ergò ad sensationem producendam non sufficit iste contactus, aut si sufficit, sequitur unam partem gravitare continuò aliam, quod est contra manifestam experientiam. Sed Respondeo negando utramque consequentiam, Ratio est, quia partes in corpore humano, & quocunque alio licèt in se habeant gravitatem vel levitatem, una pars tamen non sentit gravitatem alterius, licèt continuò se invicem tangant, quia sunt in loco suo connaturali, ideoque non gravitant prout etiam dixi de elementis. Imò Respondeo secundò negando minorem, quia verè constat quòd gravitent, quod patet in continuò stantibus quorum pedes vehementer fatigantur, in multum sedentibus, qui posterioribus dolent, & in longis infirmitatibus decumbentibus quorum cutis ex nimio & continuo corporis pondere totaliter deteritur, &c. Sed contra primam Responsionem

Os simpliciter est pars carnis.

Urgetur: Os non est in loco suo naturali respectu carnis, nec caro respectu ossis, sed os, & caro se invicem tangunt, & tamen caro non sentit duritiem ossis, ergò contactus iste non sufficit ad faciendam sensationem, vel si sufficit caro semper debebit sentire duritiem ossis, &c. Respondeo distinguendo minorem se invicem tangunt per simplicem assistentiam ad se invicem concedo minorem; per aliqualem compressionem nego minorem & consequentiam. Itaque ut sese aliqua duo secundum mollitiem vel duritiem sentiant, debent se aliqualiter comprimere, ut patet si duorum hominum maxillæ, vel genæ ad se invicem leniter applicarentur non sentirent mollitiem suam statim, sed post modicam compressionem hæc enim percipitur quàm maximè cedendo.

XI. *Ut sentiantur debent excedere existentes in tactu.*

Dico 4. *Ut qualitates primæ percipiantur à tactu, debent excedere eas quæ sunt in tactu secundùm intensionem.* Hæc meliùs probari non potest quàm experientiâ, quâ videmus, quòd manu calida non sentiamus calorem remissiorem in alieno subjecto, & sic de pluribus aliis, ergò. Jam venio ad multiplicitatem tactûs explicandam. Pro qua

XII. *Pro qualitatibus externis sufficit unus tactus.*

Dico 5. *Pro omnibus qualitatibus externis tangibilibus sufficit unus sensus tactûs.* Hæc est conformis ad mentem Doctoris q. 1. de an. n. 4.

Probatur: Quia nec ratio, nec authoritas contrarium suadet, ergò: Non authoritas, nam licèt Doctor subtilis citatus dicat tactum esse formaliter duos, intelligendus tamen est, respectu aliorum sensibilium per tactum prout dicam conclusione sequenti. Et Aristoteles licèt dicat in actu non esse objectum unum commune, non vult tamen negare quòd non sit unum objectum commune, sed quòd objectum illud commune non sit manifestum. Nec denique ratio contrarium suadet, quia si esset aliqua, maximè, quia unus sensus est unius contrarietatis, sed hæc ratio non est, ergò: Probatur minor, quia in aliis sensibus reperiuntur etiam hujusmodi contraria, nec tamen propterea multiplicantur sensus, ergò nec in tactu multiplicari debent: Probatur antecedens, quia visus percipit non modò nigredinem, sed etiam albedinem, imò color, & lux, & lumen sunt tam disparata objecta, quàm sit humidum & calidum. Item auditus percipit non tantùm sonum gravem, sed etiam acutum, lenem, durum, &c. item gustus quàm plurimos eosque diversos sapores, ergò.

Probatur secundò: Ubicunq; non sunt diversa organa, non possunt esse diversi sensus externi, nam sensus externus constituitur per determinatum organum, sed sensus tactus non habet diversa organa, ergò ipse non est multiplex: probatur minor, quia quidquid dicatur, quòd sit organum tactûs, sive caro aut nervus est unum, ergò. Sed quia hæc ratio non convincit absolutè intentum, nam lingua est unicum instrumentum & organum & tamen simul gustare potest & tangere, ideo pro magis confirmanda conclusione ex rationibus statim adducendis

XIII. *Pro dolore, &c. debet peniatus.*

Dico 6. *Pro percipiendo dolore, voluptate, titillationibus, &c. & similibus si non sunt passiones appetituum particularium, vel unius sensitivi, bene pro illis assignatur alius tactus, qui hæc percipiat & non percipiat illa.* Hæc similiter ex Scoto elicitur. Et

Probatur: Plus distant dolor, voluptas, fames, sitis, &c. à caliditate, mollitie, & duritie, &c. quàm distent inter se sapor & tangibile seu dulcedo, amaritudo, &c. & caliditas, mollities, durities, &c. sed propter objecta hæc tam diversa admittuntur plures sensus, licèt operationes fierent & fiant frrquenter in eodem sensorio, ergò similiter alius sensus tactûs admitti debet pro dolore, voluptate, fame, siti, ab illo, qui percipit humidum, siccum, calidum, frigidum, licèt in eodem sensorio fiant.

Probatur secundò: Actio transiens & principium sic agendi distinctum est ab actione immanente & principio sic agendi, sed fames, sitis, dolor, &c. sunt actiones immanentes, & alteræ sunt actiones transeuntes, ergò etiam principia distinguentur.

DISPUTATIO VI.
DE SENSIBUS INTERNIS.

A imperfectioribus ad perfectiora & à magis notis ad minùs nota facio motum, à sensibus scilicet externis ad internos, qui illos longè excellunt & superant, maximè, quia ad operationes intellectuales, & rationales accedunt, de quibus proinde est

QUÆSTIO I.

An detur sensus communis cognoscitivus, & in quo consistat ejus organum?

I. *Quid intelligatur per sensum internum.*

Per Sensum internum intelligo hic quandam facultatem internam ad quam tanquam ad centrum ab omnibus sensibus externis confluunt species objectorum sensibilium, & à quo vicissim communicantur sensibus externis spiritus vitales, & animales ad suas operationes exercendas, ad quod cum omnibus

II. *Datur sensus internus cognoscitivus.*

Dico I. *Datur aliquis internus cognoscitivus distinctus à quinq; sensibus externis dictis & explicatis.* Hæc est universalissima &

Probatur primò: Authoritate SS. Patrum D. Augustini lib. 2. lib. orb. cap. 3. ait: *Quid igitur ad quemcunq; sensum pertineat, & quid inter se, vel quidam eorum communiter habeant, num possumus ullo externorum sensuum dijudicare? Nullo modo: sed quodam interiore ista dijudicantur. Ipsa ratio est, quâ bestiæ carent? Nam ut opinor ratione ista comprehendimus, & ita sese habere cognoscimus.* Evod. *Respondeo, magis nos arbitror ratione comprehendere esse interiorem quendam sensum, ad quem ab istis quinq; notissimis sensibus cuncta referuntur. Nam; aliud est, quo videt bestia, aliud quo ea quæ videndo sentit, vel vitat vel appetit: Ille enim sensus in oculis est: ille autem intus in ipsa anima, quo non solùm ea quæ videntur, sed etiam quæ auduntur, quæq; cæteris capiuntur sensibus corporis, vel appetunt animalia delectata, & assumunt, vel offensa devitant & respiciunt. Hic autem nec visus nec auditus, nec olfactus, nec gustus, nec tactus dici potest, sed nescio quid aliud, quod omnibus communiter præsidet. Quod cum ratione comprehendamus, ut dixi, hoc ipsum tamen rationem vocare non possumus, quoniam & bestiis inesse manifestum est.* Ex qua authoritate pro conclusione hæc ratio optimè formari potest; quod percipit operationes sensuum externorum sensus est, sed non externus, quia hic suas operationes non percipit, nam oculus non sentit se videre, non auris sentit se audire, ergò est aliquis alius internus, ergò datur sensus communis internus: minor autem jam probata est supra eo quod objecta sensuum externorum externa accidentia sint non interna, ergò.

III. *Authoritas D. Bernardi.*

Probatur secundò: Ex D. Bernardo serm. 51. in Cant. ubi ait: *Carentia ratione animalia nihil merentur, quia sicut deliberatione, ita & libertate carent, sensu aguntur NB. feruntur impetu, rapiuntur appetitu, neq; enim judicium habent quo se dijudicent, sive regant, sed nec instrumentum quidem judicii, id est rationem, inde est quod non judicantur, quia non judicant, quânam quipperamus ab his exigatur ratio quam non acceperunt?* Sed animalium sensus quo aguntur, non est aliquis exterior, ergò erit aliquis interior. probatur subsumptum, tum quia animalia aguntur in eo quorum non habent sensum externum, ut dum currunt ad loca ubi aliquando bona receperunt; tum quia ex contextu ipsius methodus Doctoris sensus, quo bruta aguntur est ille, qui correspondet appetitui de quo dicit, *rapiuntur appetitu*, sed ille sensus qui appetitui correspondet est internus & communis aliquis, ergo talis datur.

Probatur Conclusio ratione II. primò: Quia bruta recordantur objectorum præteritorum, sed hoc non faciunt per sensus externos, quia hi solùm percipere possunt objecta præsentia, ut certum est, ergò habent aliquem sensum internum per quem ista percipiant: probatur major, quia canes recordantur locorum, ubi commoda perceperunt, item ubi pullos suos reliquerunt & catulos, aves nidorum, apes alvearium, equi viarum, per quas transierunt, imò asini ita tabernarum, & hospitiorum ubi ordinariè refici soliti fuerunt tam fortes impressas species habent, ut sic eo perveniant, nec fustibus abigi velint vel possint ut experiuntur ii qui in Italia peregrinantur per summaros. Et communes circumvolant historiæ de fidelitate canum, quòd nonnulli dominorum suorum ita meminerint, ut frequenter supra defunctorum tumulos se conjecerint ac ullulatu & ejulatu dolorem testati fuerint, & planè sese inedià confecerint, sed tales & similes operationes non proveniunt à sensibus externis, ergò interno aliquo & consequenter dari talem ex hoc ipso convincitur.

Probatur ratione secundò: Canes & alia animalia possunt ad se invicem plura comparare, sed hoc non præstant per sensum externum, ergò per internum: probatur major, quia canes quando ipsis porriguntur carnes vehementer calidæ, licèt eæ sint sapidæ ab iis tamen abstinent tanquam à nocivis, & fœnitatis læsivis, quæ tamen comparatio non potest fieri à sensu aliquo externo, ergò ab interno: quòd autem non possit fieri à sensu interno patet, quia non gustu, qui hic non percipit nisi saporem, non etiam à tactu, quia hic solùm percipit calorem applicatum, ergò. Confirmatur primò:

primò : Quia sensum communem demonstrat Anatomia, quæ reperit ab omnibus sensibus externis nervos protensos ad cerebrum, sed non ob aliam rationem, quàm ut illuc sensationes externorum sensuum transmittantur, & spiritus vitales reciprocè communicentur, ergò. Confirmatur secundò : Datur in animalibus & hominibus appetitus sensitivus materialis, ergò etiam debet dari sensus communis materialis cognoscitivus, antecedens patebit ex dicendis infra. Hæc pro prima parte sufficiant, pro secunda

VI. *Organum sensus communis est cerebrum.*

Dico 2. *Organum sensus communis cognoscitivi in animalibus perfectis est cerebrum.* Ita Galenus, Scotus contra Peripateticos. Deducitur etiam ex D. Augustino lib. 7. Gen. litt. cap 17. ubi dicit : *Quoniam pars cerebri anterior unde sensus omnes distribuuntur ad frontem collocata est, atq; in facie sunt ipsa veluti organa sentiendi, excepto tangendi sensu, qui per totum corpus diffunditur, qui tamen etiam ipse ab eadem anteriori parte cerebri offenditur habere viam suam, quæ retrorsum per verticem atq; cervicem ad medullam spinæ deducitur, unde habet utiq; sensum tangendi, & facies & totum corpus.* Ex qua autoritate desumitur probatio communis ex ratione, ibi debet esse organum sensus communis, quo omnes sensationes deduci possunt sed omnes sensationes sensuum externorum ad cerebrum deducuntur, ergò cerebrum est organum sensûs communis cognoscitivi : major patet, quia ad sensum communem pertinet percipere omnes illas operationes: minorem verò probat Anatomia, quæ deprehendit ab omnibus organis sensuum externorum ad cerebrum protendi nervos quos proinde vocant etiam sensorios, ergò.

VII. Probatur secundò ratione : Illud debet poni organum sensûs communis, quod est maximè temperatum & proportionatum ad percipiendas species operationum sensuum externorum, sed cerebrum est sic maximè temperatum & proportionatum ; ergò ; probatur minor, quia species sunt immateriales multùm, unde ab Aristotele dicuntur *formæ sine materia*, sed quod multùm immateriale est non potest habere subjectum, nisi etiam sit aliqualiter immateriale & subtile, cerebrum autem est magis subtile, quàm cor, ergò cerebrum erit magis proportionatum. Confirmatur quia species meliùs recipiuntur in subjectis subtilibus, quàm in subjectis crassis & valde materialibus, ut patet de speciebus visûs & auditus, quæ meliùs recipiuntur in aqua & aëre, quàm in terra. Confirmatur secundò, tum quia propter nimium studium sentimus dolorem in cerebro, & non in corde, ex eo quòd nunc & de facto phantasia multùm laborare debet cum intellectu ad pooducendas intellectiones : tum quia læsâ phantasiâ non applicantur remedia in corde, sed cerebro, ergò. Sed

VIII. *Objectio ex D. Bernardo.*

Opponitur: Authoritas melliflui Bernardi serm. 5. de ascens. Domini ubi dicit : *Ecce enim ut principalia cordis ipsius membra distinguam est intellectus in nobis est & affectus, & hi quoq; sibi invicem sæpe adversantes, ut alter summa petere, alter infima appetere videatur*, sed ille affectus non est nisi appetitus sensitivus, ergò ille residet in corde, cùm dicatur cordis membrum, sed subsumo, ibi debet residere sensus communis cognoscitivus, ubi residet appetitus sensitivus, sed hic residet in corde, ergò & sensus communis. Respondeo S. Bernardum per affectum ibi non intelligere appetitum sensitivum sed rationalem, qui secundùm partem inferiorem nititur, & trahitur ad hæc temporalia & inferiora, aliquando etiam trahitur secundùm partem superiorem ad sublimiora & spiritualia : Audi ipsum tract. de vita solitaria cap. 15. ubi sic loquitur : *Voluntas, naturalis quædam animi appetitus, alius in Deum, & circa interiora sua, alius circa corpus, & circa exteriora & corporalia, hæc cùm sursum tendit, sicut ignis ad locum suum, hoc est cum sociatur veritati & moveatur ad altiora amor est, cùm verò promovetur & lætatur à gratia dilectio est, cùm apprehendit, cùm tenet, cùm fruitur, charitas est, unitas spiritûs, Deus est, Deus enim charitas est. Cùm verò declinat in ea, quæ carnis sunt, concupiscentia carnis est, cùm in curiositatem sæculi, concupiscentia oculorum est, cùm verò in ambitionem gloriæ & honoris superbia vitæ est, quamdiu tamen hujusmodi utilitati seu necessitati naturæ servit, natura est vel appetitus ejus, cùm verò in superflua se exponit, vel noxia vitium naturæ est, vel sui ipsius. Quorum primo vel appetitu vel accessu de temetipso tibi hoc capere licet hoc argumentum. Cùm in eis, quæ ad corpus spectant in rebus necessariis voluntas primò appetitui finem facit, naturalis animi appetitus est, cùm verò in appetendo semper ad ulteriora progreditur, ipsum se prodit, quia jam non tam voluntas quàm vitium voluntatis est, avaritia, vel cupiditas, vel aliud hujusmodi, voluntati enim in hujusmodi citò satis est, vitiis verò ejus nunquam satis est.*

Instatur: Si voluntas est in corde secundùm Sanctum Doctorem, ergò & appetitus sensitivus, quia in eodem organo residere debet. Respondeo nec Sanctum Patrem ibi per cor intelligere illud membrum corporeum, quod vocatur primum vivens, & ultimum moriens, sed animam, sicut etiam ipse Christus dixit Matth. 7. *Ex corde exeunt cogitationes malæ.* Unde se ipsum explicat subdendo, *quantus verò is dolor, quam gravis animæ cruciatus, dum sic distrahitur, dilaceratur, sic disrumpitur à seipsa, vel ex ea saltem, quam omnibus experiri in promptu est, scissione corporis conjiciat, si quis in suo spiritu animadvertere pernitiosa & periculosa insensibilitate non neglexerit*, ergò quòd cordis intellectus feratur in summa, affectus in ima non est cor aliud quàm anima.

IX. *Cerebrum est continuum cum nervo.*

Arguitur Ex ratione: Cerebrum non est principium sentiendi, ergò in illo non erit sensus internus : probatur antecedens, quia cerebrum est discontinuum. Respondeo negando antecedens, cum sua probatione, quia est continuum cum ipso nervo qui est ejusdem rationis cum ipso.

Urgetur : Si cerebrum tangatur non elicit ullum signum sensûs, ergò. Respondeo negando antecedens, quia videtur esse contra rationem animæ sensitivæ, quòd sit in membro tam nobili, & non possit exercere operationes suas, quæ etiam ignobilioribus partibus concessæ sunt, cùm æquè debeat se tueri tactu contra

contra nociva & alia membra, nec refert quòd cranio præmunitum sit, quia jecur, cor, &c. etiam sufficienter sunt præmunita & tamen propterea sensu tactûs non carent. Deinde maximè signum sentiendi est, quòd sit communis sensus omnium aliarum sensationum externarum perceptivus.

Instatur: Cerebrum caret sanguine, sed quod caret sanguine non potest sentire, ergò neque cerebrum. Respondeo negando minorem, quia plura & solemniora membra in corpore humano, verbi gratiâ sanguine carent, quæ tamen propterea non dicuntur non sentire, ut patet de nervis, de sensoriis visûs, & auditûs, &c. ergò.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit sensus communis?

I. *Varii actus sensus interni.*

Hanc difficultatem & quæstionem excitant multiplices actus, quos ab intra procedere manifestum est, nam videmus & scimus quòd objecta ad extra percepta, ad intra etiam sentiuntur, quæ quia diversa sunt, & plura, sensum qui ea percipit vocant Phylosophi *communem*, non eâ communitate quòd de pluribus sit prædicabilis, nec quòd objectorum communium ut motûs, numeri, figuræ, magnitudinis & quietis sit perceptivus, sed quia ad plura se extendit. Deinde ad intra formantur quandoque diversæ rerum imagines, idola & simulachra, hinc dicitur, quòd potentia earum factiva sit *imaginativa*. Iterum non nunquam objecta experiuntur ad intra aliter percipi, quàm percepta sint ad extra, ut dum ovis cognoscit lupum tanquam inimicum, & sexcenta alia, & hæc potentia vocatur *Æstimativa*. Denique non nunquam evenit ut objectum amplius in rerum natura non sit, aut non sit præsens, & tamen tunc adhuc sentitur ab actu præterito, & potentia hujus actûs productiva dicitur *memoria*; tandem ab interno sensu constat multas fabricari chymæras & figmenta, monstra & impossibilia, & hæc potentia divitur *Phantasia*, coincidítque fat multùm cum imaginativa. Propter istos igitur diversos actus hic quæritur, an sint plures potentiæ, quæ eos producunt? An verò una eademque potentia omnium actuum enumeratorum productiva, quæ nunc *Imaginatio*, nunc *Memoria*, deinde *Æstimativa* & *Phantasia* appelletur? Divus Thomas & sequaces quatuor sensus communes cognoscitivos statuunt nempe sensum communem, Phantasiam, Æstimativam, & Memoriam: Toletus tres: Fonseca duos: communis unum, quibus cum ad quæstionem

II. *Unus est tantum sensus communis.*

Dico: *Unica est potentia cognoscitiva interna sensitiva, quæ omnes actus dictos elicere potest.* Deducitur ex D. Augustino lib. 2. lib. arb. cap. 3. dicente: *Sensum interiorem esse ad quem ab ipsis quinq; notissimis sensibus cuncta referuntur.* Sed si plures essent ad eum omnia referri non deberent, vel saltem in eo non omnia sensa inveniri. Docet hoc idem Scotus q. 10. de anima n. 2. ubi ait: *Respondeo quòd sensus communis non est unus unitate prædicationis, sed unitate singularitatis, vel causalitatis, est enim causa & radix omnium sensuum externorum particularium.* Probatio propositi, *quia quod est unum prædicatione tantùm, non habet operationem distinctam ab operationibus particularium contentorum sub ipso*, sed sensus communis habet, &c. ergò. Et præter datam rationem à Doctore

Probatur Conclusio aliter communi argumento: Non sunt multiplicanda entia & potentiæ sine necessitate, sed nulla est necessitas multiplicandi sensum communem, ergò: probatur minor, tum quia intellectus est una potentia, & tamen omnes tales & tam distinctos actus elicit; tum (ne difficultatem moveas ratione spiritualitatis) potentia visiva, tactiva, & gustativa materiales sunt & tamen diversos actus elicere possunt.

Opponitur Authoritas Doctoris I. d. 3. q. 2. & in 4. d. 45. q. 3. qui plures sensus communes admittit. Quod etiam Aristoteles ante docuerat lib. 2. de anima, qui expressè sensum communem ab Imaginatione distinguit. Respondeo Doctorem nihil certi de hac materia tradidisse cùm ea potius problematicè docuerit, quàm assertivè. Ad Aristotelem dico, quòd ipse loquatur de actibus, & operationibus sensûs communis, & has functiones distingui libenter concedo, per hoc tamen non potest, vel debet inferri quòd ipsa potentia distinguatur. Sed

Instatur: Secundùm Phylosophum actus specificantur per objecta, ergò ubi diversa sunt objecta diversi sunt actus, & ubi diversi actus diversæ potentiæ. Sed subsumo, Imaginatio & sensus communis habent diversa objecta, ergò etiam potentiæ sunt diversæ. *Respondeo* & distinguo, atque explico axioma Phylosophi: Actus specificantur per objecta & potentiæ per actus ab intrinseco nego antecedens; ab extrinseco concedo, & nego consequentiam: subsumptum etiam distinguo sed sensus communis & Imaginatio habent diversa objecta adæquata formalia nego subsumptum, diversa objecta formalia inadæquata concedo subsumptum. Itaque si præsentia & absentia objecti distingueret potentiam, distingueret etiam intellectum, qui aliquando cognoscat absens & aliquando præsens. Sed

Arguitur Ex ratione: Illa distinguuntur realiter quæ ab invicem separantur, vel separari possunt, sed sensus communis est separabilis à memoria, ergò distinguuntur realiter: probatur minor, quia dantur aliqua animalia in quibus reperitur sensus communis, & tamen non reperitur memoria, ut probat Aristoteles lib. de parv. nat. de ostreis, conchis, & aliis quæ marinis scopulis adhærent, ergò. Sed Respondeo negando minorem, cujus probationis consequens distinguo, ergò datur sensus communis sine memoria in aliquibus animantibus sine memoria secundùm rationes formales ut sic, nego consequentiam; secundùm rationes particulares alicujus sensûs communis, & alicujus memoriæ, concedo consequentiam: Hæc autem non urgent, quia controversia est de eodem animali, unde licèt inveniatur ani-

mal,

mal, quòd habeat sensum communem & non habeat memoriam, non statim licèt inferre quòd in omnibus sensus communis sit distinctus à memoria, alioquin possem etiam dicere, quòd animalitas distinguatur realiter à rationalitate, quia alicubi reperitur animalitas sine rationalitate.

V. *In eodem animali verò datur communis sine memoria in actu secundo.*

Instatur: Experientiâ constat, quòd etiam in eodem animali detur sensus communis sine memoria; ergò sensus communis distinguitur à memoria non ex ratione talis animalis, sed ex ratione formali sensus communis & memoriæ ut sic; probatur antecedens: quia senes nullam habent quasi memoriam & tamen sensum communem, ergò. Respondeo distinguendo antecedens: Experientia constat, quòd etiam in eodem animali detur sensus communis sine memoria in actu secundo concedo; in actu primo nego. Itaq; in eodem animali semper manet memoria & sensus communis secundùm esse potentiæ, quia tamen hæc ad eliciendas operationes requirit diversas dispositiones, ideò dum aliquæ deficiunt, etiam potentia impeditur ad producendos tales actus. Et sic ad aliquid faciliter promptèq; discendum requiritur humiditas, ideò hæc quia in senibus deficit, deficit etiam actus memorandi, in pueris verò, qui maximè humoribus abundant, patet quòd rem facilè discant, sed æquè facilè obliviscantur, quia non habent siccitatem competentem ad retinendum.

VI. **Urgetur:** Nullæ duæ diversæ dispositiones, sibiq; oppositæ possunt competere eidem potentiæ, sed memoria requirit humiditatem, ut dicit responsio, & ad phantasiandum & imaginandum requiritur siccitas; ergò etiam in eodem animali istæ duæ potentiæ non tantùm quoad actum secundum, sed etiam quoad actum primum distinguentur. Respondeo distinguendo majorem, secundùm gradus incompassibiles in summo concedo majorem; secundùm gradus in remisso nego majorem; & distinctâ similiter minori, nego consequentiam, quia ex hoc nullo modo potest inferri potentiarum multiplicitas, nam illud ipsum, quod species sensuum externorum conservat, eas utiq; etiam recipit, quia nihil potest aliquid in se conservare nisi priùs illud recipiat, & sic licèt aliæ & aliæ dispositiones requirantur ad recipiendum & ad conservandum, non requiruntur tamen in gradibus talibus, in quibus sibi opponuntur summè.

QUÆSTIO III.

De Objecto sensûs communis.

I. *Sensus quæstionis.*

Cùm omnis actus specificetur per objecta secundùm Aristotelem quærere quodnam sit objectum sensûs communis est idem quærere qualesnam actus elicere possit: & potissima difficultas est num discurrere possit, dividere & componere, deinde an possit percipere negationes, & tandem quisnam sit ejus proprius actus. Ad primum respondeo &

II. *Sensus communis nec componit, nec dividit, nec discurrit propriè loquendo.*

Dico 1. *Sensus communis nec componit, nec dividit, nec discurrit propriè loquendo.* Ita SS. Patres nostri & communior. *componit, nec dividit, nec discurrit.*

Probatur primò Ex authoritate D. Augustini lib. 11. Trinit. cap. 7. ubi postquam dixisset etiam pecora posse sentire corporalia, & ea memoriæ fixa reminisci subdit: *Verùm ea notare, ac non solùm naturaliter rapta, sed etiam de industria memoriæ commendata retinere, & in oblivionem jam jamq; labentia recordando atq; cogitando rursùs imprimere, ut quemadmodum quod gerit memoriæ cogitatio formatur, sic & hoc ipsum quod in memoria est cogitatione firmetur. Fictas etiam visiones hinc atq; inde recordata quælibet sumendo & quasi assuendo componere, inspicere, quemadmodum in hoc rerum genere, quæ verisimilia sunt discernantur à veris non sunt tamen rationis expertia, nec hominibus pecoribusq; communia, sed sublimioribus rationis.* D. Bernardi Serm. 81. in Cant, n. 6. dicentis: *Neq; enim bruta judicium habent, quo se dijudicent, sive regant, sed ne instrumentum quidem judicii, id est rationem: inde est quòd non judicantur, quia non judicant. Quanam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt?* Ex qua posteriori authoritate desumo hanc rationem primò, Bruta non judicantur, quia non judicant, sed si componerent, dividerent & discurrerent, judicarent, ergò: probatur minor, quia componere strictè loquendo nihil est aliud, quàm directè tendere in connexionem prædicati & subjecti, & hoc judicando affirmativè; dividere verò judicando negativè, sed hoc nequit competere sensui interno, aut alicui alteri potentiæ materiali, ergò: probatur minor, quia connexio est quædam relatio, quæ difficulter est objectum per se intellectûs nostri; ergò multò minùs sensûs communis. Desumo rationem secundò, si bruta componerent &c. posset ab eis exigi ratio, quia eam accepissent ad benè & malè operandum, sed &c. ergò: probatur sequela, quia sicut participarent Rationem, ita deberent participare libertatem, cùm non sit major ratio de uno ac altero, ergò.

Probatur tertiò ratione: Quia rationale ac discursivum ac irrationale sunt differentiæ essentialiter oppositæ, sed nulli possunt competere simul tales differentiæ, ergo. Unde dico, quòd nec in homine sensus communis possit discurrere, quia non potest assignari, per quid elevaretur; non per intellectum, quia sicut nullum accidens potest agere in virtute substantiæ assistentis, ita nulla potentia materialis virtute substantiæ spiritualis; Et licèt dicatur noster appetitus participare aliquid de libertate ac consequens videatur, ut etiam sensus communis participet aliquid de ratione, Attamen nec ille aliquid intrinsecè participat elevans eum ad statum perfectiorem indifferentiæ, ita nec sensus communis, unde sicut appetitus dicitur participare libertatem extrinsecè, ex eo, quòd voluntatis imperio sit subjectus, ita etiam sensus communis potest dici participare aliquid de ratione extrinsecè, eò quòd conjunctus intellectui perfectiùs operetur. Sed contra Conclusionem

Opponitur authoritas S. Augustini lib. de vera Religione cap. 32. & 33. & lib.

& lib. 6. Music. cap. 4. dicentis in sensibus esse quædam judicia quibus sensibilia ista dijudicant; ergò multò magis id concedendum sensui communi. Respondeo, S. Augustinum loqui de judicio prout sumitur pro simplici notitia aliquorum distinctorum, quemadmodum lib. 10. Confess. cap. 35. dicit, Videre competere etiam aliis sensibus: *Utimur verbo videre etiam in Cæteris sensibus, cùm eos ad cognoscendum intendimus*, ex hoc tamen nemo dicit aurem videre verè, & sic quoque dicendum de sensu communi. Judicium itaque tripliciter sumitur, primò pro quacunque certa cognitione etiam rei simplicis: Secundò pro cognitione duorum, vel ad invicem unitorum, vel distinctorum non attingendo tamen formaliter identitatem vel distinctionem ipsorum, quod fit per quandam collationem & conferentiam, sed tantùm materialiter attingendo extrema. Tertiò prout cognoscit talia extrema cum conferentia & collatione formali ad invicem, in primo & secundo sensu potest sensus communis componere & dividere non verò in tertio.

IV. *Ex instinctu Naturæ multa faciunt bruta non ex judicio.*

Arguitur etiam ex Ratione: Canis in trivio constitutus postquam duas vias odoratu indagavit, tertiam sine indagatione intrat; ergò discurrit hoc modo, eò meus herus non ivit, nec illò, nec restat alia via, ergò huc: quod etiam confirmatur ex variis experientiis primò elephantis cacabum refectum aquâ probantis, num stillet; secundò canum, vel corvorum in vasa injicientium lapides, ut aquam ascendere faciant & bibere queant. Respondeo, omnes illas experientias & rationes esse meritò suspectas de veritate, quia tamen aliquando mirabilia sunt brutorum opera, dico bruta formaliter connexionem illam non cognoscere, quod adstrictè dictum discursum requiritur, sed determinantur ab aliquo instinctu naturæ ad aliquid faciendum cujus proportionem tamen & connexionem inter se non cognoscunt; Et licèt sint etiam disciplinabilia, hoc tamen fit propter assuetudinem & inclinationem ad illam non ex ratione.

V. *Negationes & privationes non cognoscit sensus communis.*

Dico 2. *Negationes & privationes non sunt directè & formaliter objectum sensu communi.* Ita communior.

Probatur, tum ex antè dictis, ubi probavi nullas dari species insensatas; tum quia omnis actus quem sensus internus elicit debet fieri per species, sed nullas potest habere species privationum & negationum; ergò non potest percipere privationes & negationes: Probatur minor, quia nulla est causa assignabilis, quæ produceret has species; ergò: Probatur antecedens, quia si esset aliqua causa maximè sensus externus, vel ejus actus, sed sensus externus non potest percipere negationes & privationes; ergò nec possunt earum species producere. Dixi *directè & formaliter*; indirectè & quasi materialiter possunt benè percipere negationes, in quantum scilicet priùs habuerunt cognitionem objecti & modò non habent eam, verbi gratiâ, vacca dum mugit post vitulum ablatum, non apprehendit carentiam vituli, apprehendit vitulum per speciem relictam, carentiam ejus, quia non habet ejus visionem in oculo. Sed

Dices: Bruta se reflectere supra suos actus per sensum internum, ideoque, quia ibi videre lucem & alibi non vident lucem, cognoscunt ibi non esse objectum, & hoc modo percipiunt negationes. Sed contra est primò, quia unde sibi constat, quòd bruta se reflectant supra suos actus internos? Et transeat hoc. Secundò, quia fac admittis in brutis discursum satis perfectum, nam bruta non percipiunt immediatè negationes, sed hoc quasi modo: video colorem hîc & ibi nihil video, ergò ibi nihil est; hoc autem est formaliter discurrere, & valdè est durum brutis concedere. Tertiò etsi hoc concedam ita fieri, adhuc non explicas, quomodo bruta efforment species privationum ut dicant: nihil est ibi, vel ibi est apertum. Quartò denique, quia hinc sequeretur, quòd bruta non tantùm percipiunt suos actus internos, sed etiam suam substantiam, dicent enim, ego non video, vel ego nequeor, quod tamen facilè nemo admittet. *Sed in Contra*

VI. *Bruta non reflectuntur per sensum internum.*

Arguitur: Canis tentat egredi per foramen vel portam domûs, & non per aliam partem obstructam; ergò canis videt in foramine, vel porta privationem impedimenti: pro solutione Nota: Aliud esse non videre impedimentum, aliud videre negationem impedimenti, hæc enim duo sunt inter se valdè distincta, non videre impedimentum est carere visione impedimenti, quod in cæcis & dormientibus contingit. Videre negationem impedimenti est habere veram visionem determinatam ad privationem impedimenti. Jam ergò respondeo in forma negando consequentiam, nam quòd canis potiùs tentet egredi per foramen, quàm per aliam partem domûs, non provenit ex eo, quòd videat negationem impedimenti per portam, sed quòd non videat ullum impedimentum per illam, in cæteris autem partibus videt positivum impedimentum, cujus visione deterretur à tentando egressu.

VII. *Canis non terretur umbrâ hominis.*

Instatur: Canis terretur umbrâ hominis; ergò sentit umbram, sed umbra est negatio; ergò sensatio attingit negationem. Respondeo negando antecedens, nam umbra non terret canem, sed lux ipsa cingens umbram, & memoria lucis per umbram extinctæ adjunctâ negatione sensationis circa lucem, quam sensationem immediatè ante habuerat, quæ negatio sensationis per se quidem ad terrorem non conducit, sed est quædam velut occasio, ut aliæ sensationes positivæ terrorem incutiant. Do Instantiam, homo terretur visione spectri tunc cùm primò illud videt & non postquam primò non videt, cur hoc? certo non alio ex capite, quàm quòd negatio illius visionis immediatè præcessit primam temporis mensuram, in quo monstrum videt, & non immediatè præcessit subsequens, in quo non deterretur monstri visione. Ergo sicuti negatio sensationis præexistentis plurimùm conducit, ut hîc & nunc terreatur homo monstri visione; sic negatio sensationis circa Lucem in spatio, in quo umbra hîc & nunc existit, conducere potest ut

ut sensatio circa lucem intensa cingentem umbram, & sensatio circa lucem remissam in qua est umbra, canem deterreat.

IX. *Sensus internus percipit actus sensuum externorum.*

Dico 3. *Sensus internus percipit objecta sensuum externorum, eorumq; actus, ac etiam suos præteritos.* Ita D. Augustinus lib. 12. Trinit. cap. 2. dicentis: *Possunt & pecora & sentire per corporis sensus extrinsecus corporalia, & ea memoriæ fixa reminisci, atq; in eis appetere conducibilia.* Et cap. 11. *Hinc utq; oculi nuntiant, si spiritus irrationalis est, veluti pecoris.* Estque communior & probatur quoad singulas partes; Prima, tum experientiâ, quæ est optima rerum Magistra, quilibet etenim experitur, quòd objecta sensuum externorum percipiat, nam ex convenientibus delectatur, ex disconvenientibus verò affligitur: tum quia intellectus percipit objecta sensuum externorum; ergò etiam sensus internus: probatur Consequentia, quia intellectus non percipit objecta sensuum externorum immediatè; ergò mediante sensu communi, subsumo, sed non potest mediante sensu communi percipere objecta nisi ipse sensus communis actus illos perciperet, & appetitui proponeret, ergò. Tertia denique pars sequitur, quia bruta recordantur præteritorum, ubi benè vel malè habita fuerunt, horum & illorum alimentorum convenientium. Nos quoq; imaginamur nobis imaginari, & somniamus nos somniare, ergò. Sed contra primam partem sic

X. *Sensus internus non requirit diversum temperamentum.*

Arguitur: Potentiæ materiales percipiunt sua objecta secundùm dispositionem & temperamenti rationem; ergò sensus internus nequit percipere omnia objecta sensuum externorum; probatur consequentia, quia objecta singula sensuum externorum requirunt aliud & aliud temperamentum potentiæ ob diversum immutandi modum. Respondeo negando consequentiam, ad ejus probationem dico, quòd licèt externi aliud & aliud temperamentum requirant, non tamen internus, quia hic est contemperatus omnibus actibus sensuum externorum, mediantibus quibus objecta illa percipit, & ad illos sic percipiendos sufficit unicum temperamentum ob perfectionem suam majorem præ sensibus externis. Sed dices videtur repugnare, quòd potentia materialis tam diversa & contraria possit simul cognoscere. Respondeo negando sequelam, quia etiam visus plura simul cognoscit & contraria, cur non sensus communis utpote perfectior.

XI.

Instatur: Si internus sensus cognoscit omnia objecta sensuum externorum, debebit etiam eorum differentias cognoscere, sed hoc dici nequit, quia non est potentia collativa, ergò. Respondeo distinguendo sequelam, debebit differentias cognoscere formaliter & secundùm se, cum attingentia relationis & formalitatis eorum nego, materialiter & rudi aliquo modo notando unum non esse aliud concedo sequelam, & hoc non arguit aliquam inconvenientiam.

XII. *Potentiæ externæ non sunt per se sensibiles.*

Arguitur secundò contra secundam partem, sensus externi non sunt perceptibiles à sensu interno, ergò nec sensuum actus: probatur Consequentia, quia etiam actus deberent immittere species, sed nequeunt sic immittere, tum quia aliàs essent in ipso & species objecti, & species actûs, quod est contra experientiam, quia nunquam advertimus nos habere aliquas tales species & idola actuum; tum quia ipsi actus non sunt sensibiles, ergò. Respondeo negando consequentiam, disparitas est, quia sensus externi sunt substantiales potentiæ & sic non sunt per se sensibiles, actus verò sunt accidentia, quæ per se sub sensum cadunt, licèt non externorum, tamen interni: Ad probationem nego minorem cum sua prima probatione, nam experientia docet, quòd in actibus rememorativis, non solùm habeamus objectorum, sed etiam actuum imagines & idola, & licèt non semper contingat, hoc evenit, quia objectum fortius trahit. Secundæ probationis falsitas patet ex dictis.

XIII. *Sensus est imperfectè supra se reflexivus.*

Arguitur Contra tertiam partem: Sensus materialis non est supra se reflexivus, sed &c. ergò. Respondeo distinguendo majorem: perfectè ita ut sentiat actum etiam præsentem concedo, imperfecto aliquo modo nego.

Dices: Deberemus sentire extensionem ipsius potentiæ, etiam quando imperfectè reflectit, respondeo negando sequelam, quia etiam sensationes externorum sunt materiales, & tamen quando ab interno percipiuntur non sentimus extensionem.

Instabis: Quia nequit explicari quando hoc fieri possit, cùm deberet habere speciem illius actûs, & nulla sit causa, quæ eam produceret. Respondeo actum sensûs interni producere sui speciem, & quamvis hoc denegetur externis, huic tamen ob perfectionem concedi potest.

QUÆSTIO IV.

De Appetitu Sensitivo.

I. *Agitur de appetitu elicito.*

Non agam de Appetitu innato, qui cujuslibet rei naturam consequitur, sicut gravis ad esse deorsum, materiæ ad formam, sed de appetitu elicito, qui ex prævia cognitione materiali suos producit actus, si enim producat ex cognitione formali dicitur voluntas, & de hoc appetitu etiam nunc non est sermo, sed de illo in priori acceptione, de quo plures difficultates sequentibus Conclusionibus resolvam. Itaq;

II. *Datur appetitus sensitivus.*

Dico 1. *Tam in homine quàm in cæteris animantibus datur appetitus sensitivus.* Ita Catholica Fides.

Probatur primò, ex Sacra Scriptura ad Rom. 7. ubi dicitur: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Ad Galatas 5. ubi ait Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum & spiritus adversus carnem.* Ubi per carnem intelligit D. Paulus appetitum sensitivum, ut interpretatur D. Bernardus textum Epist. ad Rom. 5. *Sapientia carnis.* Quare

Probatur secundò, Authoritate D. Augustini lib. 3. Trinit. cap. 9. & lib. 12.

cap. 2. dicentis secundùm hunc bruta *appetere conducibilia & fugere incommoda, sensum appetendi quæ secundum naturam sunt, vitandiq. contraria.* Et D. Bernardi Tract. de gratia & lib. arb. cap. 1. ubi ait: *Enim verò aliud est voluntarium consensu, aliud naturalis appetitu. Posterior quippe nobis communis est cum irrationalibus, nec valet consentire spiritui, carnis irretitus illecebris. Et fortasse ipse est qui alio nomine ab Apostolo sapientia carnis appellatur, ubi ait: Sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. Hunc ergò (ut dixi) communem habentes cum bestiis, consensu voluntario nos discernit.* Addo mentem D. Augustini lib. 3 de Trinit. cap. 9. ubi expressè ait: Animalia habent sensum appetendi, quæ secundùm naturam sunt vitandique contraria.

III. Probatur tertiò Ratione, tum quia pueri ante usum rationis appetunt aliqua & aliqua fugiunt; tum quia Concilium Tridentinum dari in nobis formitem peccati definit, hoc est propensionem & inclinationem in objecta delectabilia, quia tamen hæc potentia sæpe rationem antevertit, ideo actus illius non sunt peccata voluntate reclamante; tum denique quia sicut in nobis datur sensus internus cognoscitivus distinctus à ratione, non potest esse dubium, quin detur etiam in nobis potentia appetitiva conformis ipsi, distincta à voluntate rationali.

IV. *Dividitur in partem concupiscibilem & irascibilem.* Dico 2. *Appetitus communis bene dividitur in partem concupiscibilem & irascibilem.* Est communis & probatur explicando dicta membra; itaque *Concupiscibilis est*, quæ fertur in bonum, sive arduum, sive non, illud prosequendo, quibuscunque actibus illud prosequatur exceptis actibus, quibus prosequitur vindicativè impedimenta, quod exemplo declaro, quando verbi gratiâ, homini quoad partem sensitivam, seu sensualitatem proponitur cibus coveniens & gratus, solet desiderare sibi illum, applicare media ad ejus consecutionem, & per consequens etiam tollere impedimenta, timere ne ponatur aliquod impedimentum, sperare consecutionem, dolere de absentia, qui omnes possunt provenire à parte concupiscibili, adeò ut si concupiscibilis & irascibilis distinguerentur realiter tamen adhuc à concupiscibili provenire possint. *Appetitus irascibilis* dicitur ille, quo fertur in objectum bonum prosequendo impedimenta ejus vindicativè, quando scilicet videt impedimentum positum, tunc enim non solùm desiderat & procurat ablationem impedimenti, sed etiam solet cum indignatione & ira illud reiicere ac vindicare, quandoque per destructionem ejus, & desiderare, sperare, procurare, talem vindictam, de eaque facta gaudere, timere, & dolere quòd non fiat, & hinc potest dici quòd appetitus irascibilis feratur in objectum bonum arduum, non quomodocunque, sed quia est difficile bonum ex parte impedimenti gravis, quod solet causare hos actus vindicativos, & sic intelligendo bonum arduum potest dici quòd concupiscibilis versetur circa bonum non arduum, & irascibilis circa bonum arduum, ut aliqui volunt. Attamen

Dico 3. *Appetitus concupiscibilis non distinguitur realiter ab appetitu irascibili.* Hæc est contra Thomistas communiter & probatur, quia voluntas quæ est appetitus rationalis consequens cognitionem rationalem in se est indistincta realiter, licèt habeat multos actus diversos & disparatos, ergò appetitus sensitivus qualis est concupiscibilis & irascibilis consequens cognitionem sensitivam erit distinctus realiter propter eandem rationem. Confirmatur, quia secundùm Thomistas licèt plures admittant sensus cognoscitivos internos, per eundem tamen proponitur appetitui concupiscibili bonum non arduum & irascibili bonum arduum, ergò sicut sensus proponens est unus realiter, ita etiam appetitus unus erit. Confirmatur secundò: Quia non sunt Multiplicandæ potentiæ sine necessitate, sed nulla est, ergò: probatur mi. quia si esset vel diversitas objectorum, vel actuum, neutrum dici potest, quia etiam in voluntate sunt diversa objecta, & tamen voluntas non distinguitur in duas tales potentias. Deinde ab eadem potentia specie diversi actus provenire possunt.

Opponitur Authoritas Doctoris, qui dicit appetitum sensitivum concupiscibilem, & appetitum irascibilem habere inter se diversa organa realiter distincta, cujus rationem assignat, quia idem organum nequit moveri motibus contrariis simul, sed concupiscibilis & irascibilis moventur motibus contrariis simul, ergò habent diversa organa: probatur minor, quia quando quis irascitur dolor quem sentit in irascibili est cum dilatatione & calefactione, & dolor qui sentitur in concupiscibili est cum restrictione & frigefactione, sed *isti sunt* motus contrarii, ergò hæc organa moventur motibus contrariis. Respondeo explicando Doctorem, qui non aliud intendit, quàm quòd sint diversa objecta, in quibus producuntur effectus, seu passiones consequentes ad irascibilem & concupiscibilem, non autem ipsum appetitum habere diversa organa, nam effectus isti, aut passiones non producuntur, saltem omnes, in organo aut subjecto ipsius appetitus corporis, quia dum irascimur, sanguis fluit ad cor, & ex motu incalescit, & similiter ob privationem objecti concupiti aliæ partes restringuntur, & frigescit sanguis, neque aliud voluit quàm actus habere subjecta diversa.

Arguitur Ex ratione: Nulla una eademque potentia impedit seipsum in suis actibus, sed appetitus irascibilis impedit concupiscibilem, & è contra; ergò: probatur minor, quia ex ira tollitur & minuitur concupiscentia & desiderium vindictæ, facit ne quis ad delectationem attendat, ergò. Respondeo primò, non distinguitur realiter à seipsa, quòd autem unus actus alium impediat, oritur ex contrarietate ipsorum actuum inter se, non ex diversitate potentiarum. Respondeo distinguendo majorem, directè & per se concedo, indirectè & per accidens nego majorem, & distinctâ similiter minori nego consequentiam, itaque quando irascibilis vindicative prosequens impedimenta impedit delectationem, directè

directè intendit vindictam & destructionem impedimentorum ut delectatio sit plenior & liberior, per accidens est, quòd tali actu tollatur delectatio. Tertiò possem respondere ex hoc deduci posse concupiscibilem & irascibilem esse eandem potentiam, quia una non defendit actum alterius, cùm autem irascibilis totius sit, ut concupiscibilem conservet, signum esse eandem esse potentiam.

Dices: Nulla eadem potentia habet diversum tendendi modum, sed concupiscibilis & irascibilis diversimodè tendunt in sua objecta, eaque diversa, ergò: probatur minor, quia concupiscibilis habet se veluti passiva recipiens delectationem, irascibilis ut agens, destruens omne, quod concupiti acquisitionem impedire potest. Respondeo negando minorem cum sua probatione, quia quælibet prosequitur suum objectum, unde quamvis ratione objecti prosequendi alius sit modus, non est tamen ratione & ex parte potentiæ.

VIII. *Appetitus est in cerebro.*

Dico 4. *Appetitus sensitivus communis residet in cerebro.* Est communior & ratio est, quia ibi residet sensus communis cognoscitivus qui non est realiter distinctus ab appetitivo. Nec obstat Scriptura, *ex corde exeunt cogitationes, adulteria, &c.* Quia per cor intelligit animam ut supra dixi. Non obstat etiam, quòd motus doloris & delectationis sentiamus præcipuè in corde, aut circa cor, quia æquè experimur actus sensûs cognoscitivi fieri in cerebro. Deinde quòd ibi sentiantur magis quàm alibi, est ex motu & accursu sanguinis ad cor, quem causat appetitus restringendo vel dilatando, ex hoc tamen non sequitur quòd ibi debeat residere, sicut non residet in genis, quo currit ex verecundia, nec in ventre & in visceribus, quæ contremiscunt ex subito timore, ira, &c.

IX. *Appetitus subditur voluntati dispoticè & politicè.*

Dico 5. *Appetitus subditur voluntati & dispoticè, & politicè.* Hanc deduco ex SS. Patribus, sed antequam probem Nota, subjectionem Politicam eam dici, quâ aliquis imperanti ità obtemperat, ut simpliciter resistere possit, sicut vasalli obediunt Regibus suis. Dispotica è contra est, quando ità subduntur ut imperanti resistere nequeant. Jam probatur authoritate D. Augustini lib. 4. contra Julianum cap. 5. *Cupiditatibus non sic imperatur ut membris, cupiditates enim malæ sunt, quas ratione frenamus, contra quas mente pugnamus.* Et serm. 102. de Diu. cap. 6. *Corpus non obtemperat animæ ad nutum omnis voluntatis. Obtemperat in multis movet manus ad tangendum, pedes ad ambulandum, linguam ad loquendum, oculos ad videndum, ad sentiendas voces intendit auditum. In his omnibus corpus obsequitur non in aliis.* D. Bernardi lib. 5. consid. cap. 1. *In qua* (lacrymarum valle) *liberè quidem & potestativè exerit se corporeus sensus, sed intrinsecus caligat oculus spiritualis.* Et exhort. ad milit. templi cap. 11. *Noluit anima regi à Deo, non queat regere corpus, si non paret superiori, inferiori quomodo imperet? Invenit conditor suam sibi rebellem creaturam, inveniat anima suam sibi rebellem pedissequam. Transgressor inventus est homo legis divinæ, inveniat ipse aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ:* Quæ lex repugnans est appetitus sensitivus: Ex quibus patet conclusionis ratio, nempe ab experientiâ, nam in membris externis dispoticè subjacet, in his enim cessat statim, ut voluntas vult, excipe motum genitalium, & purè naturalem, pulmonum, cordis, &c. qui tales dicuntur ex eo quòd non proveniant prævia cognitione. Quoad actus autem internos, & passiones non obedit semper. Sed quæres quomodo voluntas possit imperari appetitui, quin cæca caco ducatum præbeat? Respondeo voluntatem primò imperare intellectui distinctè considerenti circumstantias objecti secundùm rationem damni vel malitiæ, intellectus verò illuminat sensum communem, ut aliter apprehendat objectum, & se ab ipso avertat, quod quia sensus perfectè quandoque non facit, appetitus huic imperio voluntatis non obtemperat, & hinc patet quòd ejus resistentia non proveniat ex ejus libertate & intrinseca indifferentia.

X. *Possunt dari appetitus partiales.*

Dico 6. *Præter appetitum communem correspondentem sensui interno cognoscitivo potest etiam particularis cuiq; potentiæ externæ cognoscitivæ correspondens assignari.* Ita Scotus, Mastrius, Hurtado.

Probatur: Non obstante potentiam cognoscitivam internam cognoscere omne sensibile sensuum externorum, adhuc tamen datur multiplex sensus externus cognoscitivus, ergò etiam à pari non obstante, &c. ab omnimoda paritate: Si dicas non esse multiplicandos appetitus sine necessitate, dico ego, non multiplicantur sensus cognoscitivi sine necessitate, ergò. Unde quando Patres loquuntur de appetitu sensitivo, veluti uno, agunt de eo qui consequitur sensum internum communem.

Probatur secundò: Propter inclinationem universalem ad omnia sensibilia ponimus unum appetitum communem, sed quilibet sensus externus habet inclinationem ad suum objectum à quo perficiatur immediatè, ut talis sensus particularis, sed propter inclinationem universalem ad omnia sensibilia ponitur unus appetitus communis, ergò etiam propter inclinatioem particularem cujuslibet sensûs externi, particularis poni debet.

Probatur tertiò: Dolor & delectatio non sunt sensus tactûs illius, qui percipit qualitates primas, vel secundas, ergò vel ille debet multiplicari, vel appetitus externi, probatur consequentia pro prima parte ex Disp. præcedent. q. 7. concl. 6. prob. 2. p. quia appetitus ibi esse debet, ubi sunt ejus passiones, sed hæc etiam sunt in sensibus externis, ergò: probatur, quia non modò gustus, tactus, & olfactus, sed etiam visus & auditus læduntur & sentiunt dolores à sensibili vehementi, nam oculus recreatur viridi, disgregatur albo colore, auris sono leni mulcetur, gravi offenditur. Sed

Dices: Sensus non percipiunt objectum ut conveniens, vel disconveniens, ergò non est in eis appetitus. Respondeo distinguendo, non percipiunt sub relatione convenientiæ & disconvenientiæ concedo, illud quod est conveniens, nego.

QUÆSTIO V.

De objecto, actibus, & passionibus appetitûs sensitivi.

I. *Objectum & differentia appetitûs & voluntatis.*

Sicut voluntatis objectum est bonum, & conveniens, quantum ad actum persecutionis, & malum seu disconveniens fugæ, sic quoque est in appetitu sensitivo, sive sit verum, vel apparens, hâc tamen differentiâ primò quòd appetitus non feratur in illud nisi ut in particulari, voluntas verò tam in particulari, quàm in universali: Secundò quòd feratur voluntas in bonum tam honestum, quàm delectabile & utile, appetitus verò non nisi in utile & delectabile, nam sicut sensus cognoscitivus internus nequit attingere bonitatem honestatis, ita nec appetitui potest proponere. Et hæc pro prima parte tituli; de actibus etiam nulla est difficultas, sunt enim quàm maximè *prosecutionis & fugæ*, & quia actus & passiones appetitûs sensitivi à multis pro synonimis sumuntur, ideo ad tertium progrediendo

II. *Passiones appetitûs principales sunt quatuor.*

Dico 1. *Passiones appetitûs sensitivi principaliores quatuor sunt, ad quas reliquæ reduci possunt, & debent.* Prima pars est contra modernos Philosophos est tamen Sanctorum Patrum Augustini lib. 10. Confess. 14. dicentis: *Sed ecce de memoria profero, cùm dico quatuor esse perturbationes animi, cupiditatem, lætitiam, metum, tristitiam: Et quidquid de his disputare potuero dividendo singula per species sui cujusq; generis, & definiendo.* D. Bernardi serm. 50. de diverss. *Sunt autem affectiones istæ quatuor notissimæ, amor & lætitia, timor & tristitia.* Item serm. 2. in capite Jejun. *Attende solerter, quid diligas, quid metuas, unde gaudeas, aut tristeris, & sub habitu religionis animum sæcularem, sub pannis conversionis invenies cor perversum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est.*

Probatur secunda pars: *Cupiditas est amor adipiscendi, aut obtinendi temporalia* inquit D. Augustinus lib. 83. qq. q. 36. & ad hunc possunt primò reduci, desiderium, Divo Augustino lib. 14. Civit. cap. 7. est *Amor inhians: Audacia, spes*; ad metum reducitur commodè *odium, fuga*, nam ut S. Augustinus lib. 83. qq. q. 32. ait: *Necesse est qui metuit aliquid fugiat; odium* respectu illius quod fugimus, reducitur etiam Ira, nam ut idem Sanctus Doctor Epist. 115. inquit: *Si animo existat aliqua difficultas agendi, atq; implendi quod cupit, assiduè irascimur. Ira est autem quantum mea fert opinio, turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt.* Unde quando jam malum imminens & impediens concupitum est præsens, irascimur & tollere conamur, quod si non evincimus desperamus, reducitur sic quoque ad metum *desperatio*, & hæ passiones sunt propriæ etiam actiones, sunt ergò quatuor principales passiones ex SS. Patribus appetitus sensitivi, & in universum cum suis subdivisionibus undecim cum modernis, nempe: *Amor, desiderium, spes audacia, metus, fuga, odium, ira, desperatio, voluptas, seu delectatio, & tristitia*, seu dolor, inter quæ est ista differentia quòd delectatio & tristitia ad voluntatem; voluptas autem & dolor ad appetitum spectent, de quibus omnibus est difficultas an sint actiones, vel passiones ad quod

Dico 2. *Delectatio & tristitia, voluptas & dolor non sunt actus, sed passiones, priores in voluntate, posteriores in appetitu.* Hæc est conformis principiis Scoti. Et

Probatur prima pars Ex authoritate D. Augustini lib. 14. Civit. c. 6. Cùm *consentimus fruendo lætitia est*, & ibidem ac cap. 7. dicit, quòd *Tristitia sit dissensio ab his, quæ nobis nolentibus accidunt.* Ex qua posteriori sic argumentor: Tristitia est de iis, quæ nobis nolentibus accidunt, ergò tristitia non est actus; probatur consequentia, quia esset nolle; velle enim non est, sed nolle non est, ergò, probatur minor, quia potest esse illud nolle ubi tamen non est tristitia, ut in Deo, & beatis, qui summè nolunt peccatum, & tamen non tristantur, & è contra dæmoni eveniunt multa quæ vult, & tamen non habet ullam delectationem, ergò nec tristitia nec delectatio, &c. tum quia actus nolitionis est conformis naturæ & voluntati, habetque posse eam perficere, sed tristitia non est ei conformis, nec perficit eam, ergò; tum denique actus nolitionis præcedit tristitiam, quia dum prævidemus malum, habemus actum nolitionis, & tamen tunc nondum est tristitia, & quando advenit non sentimus novam operationem, nec secundùm se, nec secundùm aliquem gradum, secundùm quem non præfuit. Eadem est ratio de voluptate & dolore, de quibus tamen adhuc ulterius

Probatur secundò; Si voluptas & dolor essent actus, deberent esse sensationes sensûs tactûs, sed non sunt, ergò: probatur minor, sensûs tactûs non percipit nisi qualitates primas, vel secundas per se sensibiles, sed qualitas dolorifera non est talis, ergò, probatur minor, qualitas sensibilis non sentitur tantùm in subjecto ubi est, sed in manu, verbi gratia attingente, ut patet de manu mea tangente manum alteram frigidam, quam sentio etiam frigidam, ac ille, qui patitur, sed in manu tangente non sentitur illa qualitas dolorifera, ergò: probatur minor, quia si attingam vulnus Mævii nihil sentio præter humiditatem vel calorem, Mævius autem sentit insuper gravissimum dolorem, ergò. Confirmatur, quia si dolor esset sensatio objecti disconvenientis, quereretur quò major & intensior esset, quòd eò perfectiùs cognosceretur objectum disconveniens secundùm suas differentias, sed hoc est contra experientiam, quia quò magis dolemus, eò minùs scimus assignare illud objectum, ergò.

II. *Probatur secunda pars*

Probatur secunda pars Ex D. Augustino lib. 14. Civit. cap. 5. ubi de passionibus loquens ait: *Interest voluntas in omnibus passionibus sive carnis, sive animi, imò omnes nihil aliud, quàm voluntates sunt.* Et cap. 6. *Voluntas quippe in omnibus est, imò omnes nihil aliud quam voluntas sunt.* Et 7. *Recta voluntas, bonus amor, & voluntas perversa malus amor. Amor ergò inhians habere quod amatur cupiditas est; id autem habens eoq; fruens lætitia: fugiens quod ei adversatur timor est: idq; si acciderit sentiens tristitia est*, & 10.

Tunc

Trinit. 10. Truimur cognitis in quibus voluntas ipsa propter se ipsam delectata conquiescit. Ergò ex mente D. Augustini delectatio, & tristitia sunt in voluntate, & consequenter voluptas & dolor erunt in appetitu sensitivo. Sed ex allegatis textibus probat Nebrudius, omnes passiones esse voluntatis secundùm D. Augustinum, & sic nullum dari appetitum sensitivum, sed perperàm, nam ipse D. Augustinus lib. 5. de Civit. 11. ait, appetitum sensitivum esse nobis communem cum brutis, sed voluntas non est communis, ergò appetitus non est ipsa voluntas, consequenter nec omnes passiones erunt voluntatis formaliter, licèt sint causaliter. Deinde idem attribuit appetitui aliquando quod est voluntatis & è contra, indifferenter sumendo voluntatem pro appetitu, & appetitum velut voluntatem, nempe materialem. Iterum non video quare tam acriter defendat sensum internum cognoscitivum distinctum ab intellectu communem nobis & bestiis, & non etiam appetitum illi sensui correspondentem, cùm etiam dicat lib. 3. Trinit. 9. *Animalia habent sensum appetendi, quæ secundum naturam sunt vitandiq; contraria.* Citiùs concederem ex D. Augustino posse probari passiones illas esse actiones cùm supra dicat cap. 5. *Cùm consentimus appetendo ea, quæ volumus cupiditas, cùm autem consentimus fruendo his quæ volumus lætitia vocatur.* Nisi facillimè explicaretur causaliter eum loqui, non formaliter, & quamvis eodem modo loquatur de cupiditate & lætitia, prior tamen est actus posterior passio, & prior est prædicatio formalis, posterior causalis.

V. *Causa lætitiæ & tristitiæ.*

Quæres, Quænam sit causa delectationis & tristitiæ? Respondeo nec esse solum objectum, nec solum voluntatis actum, sed simul actum apprehensionis objecti & actum voluntatis.

Probatur prima pars: Quia objectum aliquando non est nisi ens privativum, vel materiale, sed tale non potest immediatè agere in voluntatem, ergò non poterit causare tristitiam, vel lætitiam.

Probatur secunda pars: Quia si voluntas esset causa harum passionum immediatè, essent in ipsius potestate, sicut volitio & nolitio, sed non sunt sic, ut de se patet, ergò.

Probatur tertia pars: Quia non statim, ac apprehendimus objectum, ut præsens, & conveniens aut disconveniens causatur in voluntate gaudium, vel tristitia, sed requiritur etiam, quòd sit volitum, vel nolitum.

DISPUTATIO VII.

DE ANIMA RATIONALI SECUNDUM SE.

Essentiam rationalis animæ facillimè quilibet cognoscere poterit, qui se supra dicta reflexerit in prima Disputatione, unde communiter definitur, quòd sit actus corporis organici potentiâ vitam rationalem habentis, *seu quòd* sit Principium Physicum ratione cujus competit substantiæ corporeæ discurrere. *Ideo hacce in Disputatione nonnulla differentialia hic erunt examinanda, & singulariter num spiritualis, mortalis sit, & ex traduce signatur, quæ etiam sequentibus breviter expediam. Sit ergò*

QUÆSTIO I.

An anima rationalis sit spiritualis?

I. *Spiritus multipliciter sumitur.*

Antequàm ad resolvendam quæstionem accedam, Prænotandum primò Spiritum multipliciter sumi posse, primò pro vento sic dicitur Gen. 8. *Adduxit spiritum super terram & imminutæ sunt aquæ.* Psal. 47. *In spiritu vehementi conteres naves.* Et 150. *Spiritus procellarum.* Secundò accipitur nonnunquàm pro temperamento primarum qualitatum in vivente, sic Prov. 17. dicitur: *Spiritus tristis exsiccat ossa.* Tertiò pro anima sensitiva, sic Ecclesiast. 3. dicitur: *Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus jumentorum descendat deorsum* in quo sensu etiam D. Bernardus serm. 5. in Cant. dicit: *Quatuor spirituum genera nota sunt vobis, pecoris, noster, Angelicus & qui condidit istos.* Ubi generatim animam sensitivam spiritum vocat. Quartò sumitur strictè, prout opponitur rebus corporeis, & in hac acceptione.

II. *Describitur.*

Prænotandum secundò: Spiritum bene describi *esse substantiam potentem connaturaliter occupare locum divisibilem indivisibiliter, ita ut non exigat connaturaliter determinatum locum, cùm possit esse in majori, vel minori.* Et patet, quia sic descriptus distinguitur à substantia corporea, quod sufficit ut explicetur natura substantiæ spiritualis, prout opponitur corporeæ.

His prænotatis quæritur primò, an anima rationalis sit particula divinæ naturæ? Ut voluit olim Carpentarius, Cerdo, Gnostici, Manichæi, & Priscillianistæ, & videntur etiam sic sensisse olim Plutarchus, Philo Judæus. Secundò, an sit corporea, vel purè spiritualis nihil habens de materia? Tertiò an sit forma informans, vel tantùm assistens? Pro primo quæsito

III. *Anima non est aliqua divinæ mentis particula.*

Dico primò: *Anima rationalis in homine non est aliqua divinæ mentis particula de Deo inspirata.* Ita D. Augustinus serm. 191. de temp. *Animas à Deo dari credimus quas ab ipso factas dicimus anathematizantes eos, qui animam quasi partem Dei, divinæ dicunt esse substantiæ.* Unde lib. contra Mend. ad Consent. 5. ait: *Priscillianista dicit, quòd anima sit pars Dei, & ejusdem, cujus est ille, naturæ*

naturæ ac substantiæ, magna hæc est & detestanda blasphemia: Sequitur enim ut Dei natura captivetur, decipiatur, fallatur, conturbetur atq; turbetur, damnetur atq; crucietur. Et Disput. 1. contra Fort. *Si anima substantia Dei est, substantia Dei errat, substantia Dei corrumpitur, substantia Dei violatur, substantia Dei decipitur quod nefas est dicere.* Epist. 28. ad S. Hieronym. dicit: *Non est pars Dei anima si enim hoc esset, omnino incommutabilis, atq; incorruptibilis esset. Quòd si esset, non deficeret in deterius, nec proficeret in melius, nec aliquid in semetipsa inciperet habere, quod non habebat, vel desineret habere quod habebat, &c.* Deduci potest quoque ex D. Bernardo serm. 80. in Cant. concedens animam esse ad imaginem factam non esse tamen imaginem sed ad similitudinem, dicens: *In quo similis sit quæris? Audi de imagine prius, verbum est veritas, est sapientia, est justitia, & hæc imago, cujus? Justitiæ, sapientiæ, & veritatis, est enim imago hæc justitia de justitia, sapientia de sapientia, veritas de veritate, quasi de lumine lumen, de Deo Deus, horum nihil est anima, quia non est imago, est tamen earundem capax appetens, & inde fortassis ad imaginem.* Sed in anima esset particula divinæ naturæ esset sapientia, veritas de veritate, sapientia, &c. *Credendum ita q; est*, claudit D. Augustinus lib. 7. litt. cap. 1. *Et intelligendum, neque ullo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam sic esse à Deo, tanquam rem quam fecerit, non tanquam de natura cujus est ipse, sive genuerit, sive quoquo modo protulerit.* Rationes proinde adducere non est necesse, continentur enim sufficienter in allegatis authoritatibus. Unde

IV. *Anima rationalis est purè spiritualis.*

Dico 2. *Anima rationalis est spiritualis purè, ita quòd nil materiæ habeat.* Ita communissima. Prima pars est contra antiquos, contra D. Bonavent. & nonnullos alios.

Probatur prima pars primò Ex Scriptura Luc. 23. *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Ecclesiast. ultimo. *Revertatur pulvis ad terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Quos Textus omnes Patres intelligunt de spiritu prout corpori opponitur, non de aëre, vel igne. Confirmatur ex Concil. Later. sub Innocentio III. cap. formiter de summa Trinitate ubi dicit: Naturam humanam constitui ex spiritu & corpore.

Probatur secundò Ex authoritate SS. Patrum Augustini lib. 12. Gen. Litt. cap. 33. ubi dicit: *Animam verò, inquit, non esse corpoream, nec me pœnitet, sed planè scire audeo profiteri.* Lib. 4. de an. & ejus orig. cap. 23. dicit: *Quocirca si & illa, quæ de anima incorporea disputata sunt capiu & sapiu, non est unde tibi displiceam, quòd eam dixi me scire non corpus esse, sed spiritum, quia & corpus esse non monstratur & generali nomine spiritus vocatur.* Lib. 6. Trinit. cap. 6. *Creatura spiritualis sicut est anima est quidem in corporis comparatione simplicior*, composita tamen est Metaphysicè, & proprietates formaliter distinctas habet, *quæ non mole diffunditur per spatium loci, sed in quolibet corpore, & in toto tota est, & in qualibet parte ejus tota est. Et ideo cùm sit aliquid in quavis exigua particula corporis quod sentiat anima, quamvis non sit in toto corpore, illa tamen tota sentit, quia totam non latet.* Similia habet lib. contra Epist. fund. 16. lib. de quant. animæ cap. 34. lib. de immort. animæ cap. ultimo, &c. Deinde S. Bernardi tract. de vita solit. ad fratres de monte Dei cap. 15. ubi animam sic describit. *Anima est res incorporea rationis capax, vivificandi corpori accommodata.* Et serm. 5. in cantica universaliter dicit: *Habet ergò necessarium corpus spiritualis creatura, quæ nos sumus.* Ubi totum hominem spiritualem dicit à parte principaliori. Item serm 27. ait: *Nam etsi anima minime, cum sit spiritus, quantitatem corpoream recipit, tamen confert illi gratiam, quod negatum est à natura. Crescit quidem & extenditur, sed spiritualiter, nempe per charitatem ut ibidem fusè prosequitur.*

Probatur tertiò Ratione, quamvis non evidenti, Anima rationalis habet operationes & potentias spirituales, ergò & ipsa est spiritualis: Consequens patet, quia repugnat potentias esse altioris ordinis, quàm essentia: probatur antecedens; intellectus enim & voluntas operantur circa spiritualia objecta, & à materia abstractissima, ergò sunt potentiæ immateriales & spirituales; probatur consequentia hæc, quia potentiæ quas constat esse materiales potiùs impediunt operationes circa objecta spiritualia ut experientia patet. I. Assumptum. II. Consequentia.

Probatur quartò eadem pars: Quia homo inclinatur ad perfectiones & virtutes, quod tamen non contingeret, si spiritualis non esset, ergò: probatur sequela, quia tunc inclinaretur solummodo ad bonum voluptatis & sensûs appetitivi, quia hæc sola potentia esset, quæ objectum proponeret, ergò. III.

Probatur quintò: Si anima esset materialis deberet deficere cum corpore, sed non deficit, ergò: probatur minor, quia constat quòd licèt sensus hominis debilitentur, non debilitatur tamen anima, sed potiùs crescit in perfectionibus suis, quia videmus, quòd homines quò seniores, eò prudentiores & sapientiores. Et licèt nonnunquam pueriles efficiantur non est ratione animæ sed ratione organorum corporeorum. Probatur adhuc, si anima non esset spiritualis non posset intelligere universalia intellectûs, sed intelligit, ergò est spiritualis: probatur sequela majoris à partitate omnium sensuum, quos constat nunquam percipere universale, oculus enim non videt colorem, ut sic, nec auris audit sonum communem, nec tactus tangit nisi tangibile hoc: probatur minor ex Aristotele qui dicit intellectum esse universalium, sensum verò particularium; tum experientiâ, quia videmus, quòd intellectus cognoscat entia abstructa præcisa & communia. IV.

Dices: Sensum communem interum posse cognoscere universalia, ergò licèt sensus externus non cognoscat, ex hac cognitione non potest quis inferre animam esse spiritualem. Contra: sensus internus non cognoscit nisi objecta & actus sensuum externorum, sed hi sunt singulares, ergò etiam actus sensûs interni erunt singulares, cùm nihil percipiat, nisi quod perceperunt sensus externi, alioquin posset etiam percipere spiritum. Contra secundò: Quia sensus

sensus internus nihil percipit nisi sub ratione materiali, unde etiam solet sibi fingere Angelos esse alatos pueros. Secunda pars colligitur quidem ex superius dictis, attamen etiam hic adhuc probatur & primò quidem, quia nullæ formæ constant materiâ, sed Anima est forma, ergò. Secundò, quia si Anima constaret materiâ, deberet dari penetratio corporum connaturaliter, sed hæc in omni schola negatur, ergò. Tertiò si Anima constaret materiâ, illa deberet esse utique organizata, sed talis esse nequit, ergò: probatur sequela, quia Anima nequit esse pars alicujus nisi sit illa pars debitè disposita, per hoc enim distinguitur Anima ab aliis formis: probatur minor, si materia illa esset organizata, Anima constitueret cum ipsa unum per se vivens & consequenter cum homine non faceret nisi unum per accidens. Quartò illa materia ex qua componeretur Anima, vel esset corporea, vel esset spiritualis: Non corporea ut modò probavi, nec etiam spiritualis, quia illa materia spiritualis in Anima deberet esse aliqua pars passiva intrinseca & per se inclusa in composito, sed implicat materiam spiritualem esse talem partem, ergò: probatur minor, implicat pars passiva intrinseca in aliquo composito quin aliquæ operationes illius compositi connaturaliter illam requirant, ut non possit esse connaturaliter absque illa parte, sed nullæ prorsus possunt assignari operationes animæ separatæ, cùm nullas habeat operationes, ut supponitur præter intellectiones & volitiones, ac motum localem, certum est autem, quòd hæ operationes connaturaliter non magis exigant dari materiam in anima, quàm non dari.

IX. *Anima nihil habet materiæ.*

Opponitur Authoritas SS. Patrum Augustini lib. 5. supra Genesin cap. 5. & 6. Et lib. 1. Contra Academicos cap. 7. Secundò, de Trinit. cap. 7. & lib. 3. cap. 1. lib. 9. de Civit. cap. 13. & lib. 11. cap. 23. Bernardi Serm. 5. in Cant. ubi angelis tribuit corpora & materiam: imò lib. 5. de Considerat. cap. 4. de angelis sic ait: *Et primò quidem Cives spiritus esse illic potentes, gloriosos beatos, distinctos in personas, dispositos in dignitates, ab initio stantes in ordine suo perfectos in genere suo, corpore æthereos, immortalitate perpetuos, impassibiles, non creatos, sed factos, id est gratiâ, non naturâ, mente puros, affectu benignos, religione pios, castimoniâ integros, unanimitate individuos, pace securos à Deo conditos, Divinis laudibus & obsequiis deditos.* Scoti quæst. 15. de anima n. 2. ubi ad quæstionem respondendo dicit: *Respondeo, quòd probabiliter dici potest, quòd in anima sit materia.* Sed respondeo SS. Patres non velle, quòd Anima constet ex materia, sed solummodo intendunt dicere, eam respectu Dei, ejusque summæ simplicitatis materiam habere, quod de materia Metaphysica congruè accipi potest, id est pro genere; sic enim Anima multò materialior est, quàm Deus, qui nullo modo ex genere constat, & hoc patet ex eo, quòd illud non asserant affirmativè, sed potiùs dubitativè, prout expressè facit mellifluus citatus, imò D. Aurelius lib. 2. Retract. cap. 56. id expressè revocavit. Ad Scotum respondeo eum locum esse ex mente aliorum non sua, patet ex illo, quod subdit, *secundùm fundamenta Philosophi & eorum qui ponunt contrarium.*

X. *Quomodo Patres dicant Animam habere materiam.*

Instatur: Scotus non modò ex mente aliorum, sed etiam propria id asserit videlicet quæst. 1. de primo principio & quæst. 7. ac 8. quodlibeto 9. Respondeo ut ante, quòd licèt Scotus ex præfatis locis rem ex professo tractet, id tamen facit tantummodo disputativè, adeoque ex illis nihil determinatè concludi potest, nam *supra hoc* (inquit) *sunt duo modi solemnes dicendi, primus est, quòd nec in Angelo, nec in Anima est producta materia.* Cujus rationes cùm attulisset, subdit: *Modò est alia positio, quæ dicit, quòd necesse est tam animam, quam angelum innutri materiâ.* Sed ex ratione

Arguitur primò: Omne quod continetur in genere, constat genere & differentiâ, sed genus desumitur à materia, & differentia à forma ex 8 Metaphys. ergò omne quod continetur in genere constat materiâ, atqui Anima est in genere substantiæ, ergò. Respondeo distinguendo majorem, constat genere & differentiâ Physicâ, nego majorem, Physicâ vel Metaphysicâ, concedo: Et distinguo minorem genus Physicum desumitur à materia concedo minorem: Metaphysicam nego minorem; vel aliter distinguo minorem, genus desumitur à materia propriè dicta, tantùm nego minorem; à materia etiam analoga, concedo. Itaque in Anima sicut est genus, ita etiam est aliqua materia, id est aliqua potentialitas, quæ per aliquem alium gradum est perfectibilis, non tamen in ipsa est materia propriè dicta.

XI. *Anima habet materiam Metaphysicam.*

Instatur: Ubi sunt proprietates materiæ propriè dictæ, ibi ipsa est, sed in Anima sunt, ergò. Probatur, recipere & subjectum esse est proprietas materiæ; sed anima est subjectum, & recipiunt habitus supernaturales, & alia accidentia, ergò. Respondeo negando minorem, cujus probationis majorem distinguo recipere & subjectum esse est proprietas materiæ, ita ut ex subjecto ipso, & forma recepta fiat unum compositum substantiale concedo majorem; recipere & subjectum esse accidentium est proprietas materiæ propriæ dictæ nego majorem. Itaque hæc proprietas posteriori modo non convenit materiæ primæ, sed materiæ secundæ, id est cuicunque substantiæ creatæ & finitæ. Si instes, quòd esse non competat rei, nisi ratione materiæ, atqui cùm habeant esse, etiam materiam habere debebunt, si inquam, instes, negando est major, quia esse & non esse rebus non competit præcisè per materiam, sed quia nullum habent agens extrinsecum, quod ipsis det esse, adeoq; ex se hoc habent.

XII. *Esse subjectum accidentium non est proprietas materiæ.*

Arguitur secundò: Nulla substantia potest secundùm idem agere & pati, movere & moveri, sed anima agit & patitur, movet & movetur; ergò non secundùm idem; ergò habet materiam, quia id quod agit secundùm formam agit, & secundùm materiam patitur.

XIII. *Æquivocatione potest idem agere & pati.*

patitur. Respondeo distinguendo majorem: Nulla substantia potest secundùm idem agere & pati actione & passione univocâ concedo majorem; æquivocâ, nego majorem; & distinguo similiter minorem & consequens. Itaq; Anima movet & movetur æquivocâ actione & motu ad diversas formas & respectus, sicut Titius & docere potest Jus, & doceri Medicinam.

Instatur: Philosophus 7. Metaph. distinguit seipsum movens in partem moventem & motam; ergò secundùm idem, nec actione æquivocâ idem se potest movere. Respondeo Philosophum intelligendum de motu Organico, & locali successivo, non verò de alterativo.

Urgetur: Anima movetur motu locali & successivo, & in ipso erit distincta pars movens & mota & consequenter materia. Respondeo distinguendo antecedens motu locali & successivo, ita quòd successivo oriretur ex partibus integralibus compositi ipsius, nego antecedens, ex ratione distantiæ spatii, concedo.

XIV. *Nulla substantia creata est Physicè & Metaphysicè purus actus.*

Arguitur 3. Nulla substantia creata est pura potentia, quia esset nihil, nec est purus actus, quia esset Deus; ergò est composita ex actu & potentia, potentia autem est materia, ergò. Respondeo distinguendo primam partem antecedentis, nulla substantia completa, concedo antecedens; incompleta nego, nec ex hoc sequeretur, quòd esset nihil, sed nihil completum. Distinguo etiam alteram partem, nec est actus purus Physicè & Metaphysicè concedo: Physicè solùm & compositus Metaphysicè nego, Anima autem est Metaphysicè composita ex genere & differentia, & sic non est actus purus Metaphysicus, benè tamen Physicus. Quòd autem sit Metaphysicè composita Anima, patet, quia habet potentiam contrahibilem, & actum contractivum, seu perfectibilitatem & perfectivitatem rationem conveniendi & disconveniendi.

Dices: Ratio conveniendi & disconveniendi desumitur à materia; ergò si hanc &c. habet, habebit quoque materiam. Respondeo rationem conveniendi non esse solam materiam, quæ facit unum compositum per se cum forma, sed materiam Metaphysicam, quod patet ex eo, quòd accidentia habeant rationem conveniendi, & tamen non componuntur ex materia Physica.

XV. *Incertum est an Anima non habeat aliquam materiam spiritualem.*

Dico 3. *Incertum planè est, an Anima vel etiam Angelus non constent materiâ aliquâ spirituali.* Ita expressè D. Bernardus Serm. 5. in Cantic. ubi de angelorum corporibus sic discurrit: *Cæterùm angelica corpora utrum nam ipsis spiritibus naturalia sint sicut hominibus sua, & sint animalia sicut homines, immortalia tamen, quod nondum sunt homines; porrò ipsa corpora mutent & versentur in forma & specie quâ volunt, quando apparere volunt densantes & solidantes ea quantùm volunt, cùm tamen in sui veritate præ subtilitate naturæ atq; substantiæ suæ impalpabilia sint, & nostris omninò inattingibilia visibus, an verò simplici spirituali substantia subsistentes, corpora cùm opus est sumant, rursumq; expleto opere ponant in eandem de qua sumpta sunt, materiam dissolvenda, nolo ut à me requiratis. Videntur Patres de hujusmodi diversa sensisse: nec mihi perspicuum est, unde alterutrum doceam: & nescire me fateor. Sed & vestris profectibus non multum confero arbitror harum rerum notitiam.*

Dico 4. *Anima rationalis non est forma assistens, sed verè corpus informans.* Ita Fides Catholica contra Averroëm & Platonem, quamvis hunc aliqui excusent. XVI. Assistens est forma quæ dirigit motum.

Probatur igitur primò Ex Authoritate Ecclesiæ in Conc. Vien. sub Clement. V. relat. in Clement. unica de summa Trinitate §. 2. his verbis: *Doctrinam omnem, seu positionem temerè asserentem, aut vertentem in dubium, quòd substantia animæ rationalis ac intellectivæ vera, ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneum & Catholicæ veritati inimicum, prædicto sacro Concilio approbante reprobamus, desinentes, quòd quisquis deinceps asserere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis, seu intellectiva non sit forma corporis humani per se & essentialiter tanquam hæreticus sit censendus.* Item ex Concil. Lateranensi sub Leone X. Sess. 8. cujus hæc sunt verba: *Damnamus & reprobamus omnes asserentes Animam intellectivam mortalem, esse aut unam in cunctis hominibus, & hoc in dubium vertentes, cum illa non solùm verè per se & essentialiter humani corporis forma existat, verùm etiam immortalis, &c.*

Probatur secundò Ex Authoritate D. Augustini lib. 21. Civit. cap. 10. ubi probat, Dæmones per ignem corporalem veris licèt miris cruciari, quòd ei assistant sic, ut animalia non faciant, & subdit etiam animam nostram esse alligatam ad corpus, sed ut animalia faciat, verba ejus sunt: *Adhibendum ergò fidei nulla sunt corpora, spiritus Dæmonum, imò spiritus Dæmones, licet incorporei, ignibus cruciandi, non ut ignes & animalia sint, quæ constet spiritu & corpore, sed ut dixi mirâ & inusitabilique modo adhærendo accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam, quia & iste alio modo quo corporibus adhærent spiritus & animalia sunt, omninò mirum, nec comprehendi ab homine potest, hoc ipse homo est;* sed si anima assisteret tantùm corpori non plus faceret cum eo animal, quam Dæmon cum igne, ergò. Unde sæpe docet animam sentire per corpus, & corpus propter animam, hoc autem non aliunde, quàm quia faciunt unum per se; ita habet 11. Trinitat. cap. 2. &c.

Probatur tertiò Ratione primò Quia si Anima esset assistens tantùm, sicut Nauclerus navi & Angelus Cœlo, posset ire Spatium absque eo, quòd moreretur vivens sicut potest Nauclerus absque eo, quòd navis pereat, dicere autem, quòd sit dispatitas ex eo, quia Deus sic ordinavit, ut animâ abeunte pereat corpus, est merè voluntarium, nec dicit potest ob aliam causam hanc ordinationem esse, quàm quia anima verè uniatur ipsi corpori. Secundò, si Anima esset tantùm assistens, Anima non dependeret à certis corporis dispositionibus & maneret existente quacunque in dispositione temperamenti, sed hoc est falsum, ergò: Probatur major, quia Anima separata potest

potest est præsens intimè, cùm & sine his dispositionibus, ut certum est: probatur minor, quia si aliud non requiritur ad constituendum vivens animatum, quàm intima præsentia, sequeretur, quòd si Anima intimè assisteret lapidi, quòd intrinsecè constitueret ipsum viventem. Tertiò, quilibet homo est ens unum per se, nam dicit S. Augustinus Epist. 3. & 102. *Animam & Corpus unam esse personam*, sed non posset esse unum per se nisi anima & corpus in unum coalescerent per aliquam unionem; ergo. Quartò, Principium operationum cujuslibet rei naturalis est ejus rei forma, sed in homine sunt operationes intellectûs & sensationum, ergò earum principium est forma; major patet in omnibus rebus inanimatis, de quibus etiam certè non posset alioquin probari, quòd sint verè formæ, quia quâ facilitate negaret mihi Animam non esse formam corporis, sed tantùm assistere, eâdem facilitate negabo de forma ignis; minor patet experientiâ & ex authoritate D. Aurelii lib. 11. Trinit. cap. 2. *Et quamvis non sentiat corpus examine, anima tamen comunxta*, non dicit assistens *corpori per instrumentum sentit corporeum*, nempe per oculum, quem constituit, de quo ibi loquebatur. Objectiones in contra sunt parvi momenti, unde omitto.

QUÆSTIO II.

An anima rationalis sit immortalis?

I. *Triciter sum potest immortalitas*

Pro resolutione hujus quæstionis advertendum est tripliciter sumi posse ly: *Immortale*, primò pro omnimoda indefectibilitate, quâ illud vocatur immortale, cui adeò repugnat ex sua intrinseca ratione & natura mori, sive desinere, & per nullam omninò causam destrui, aut annihilari possit, secundùm istam immortalitatis acceptionem solus Deus benedictus est immortalis, juxta illud 1. Thess. 6. *Qui solus habet immortalitatem.* Secundus modus immortalitatis est, quo immortale dicitur illud, quod ex intrinseca naturæ suæ conditione natum est ita esse semper, ut naturaliter corrumpi non possit, eò quòd à nulla causa creata dependeat, neque contrarium habeat, à quo destruatur, hæc convenit Angelis, & materiæ primæ. Tertius & imperfectissimus immortalitatis gradus est, quòd ea, quæ ex naturali conditione sunt corruptibilia ex gratuito tamen Dei decreto perpetuò conservata dicuntur immortalia, prout homines in statu innocentiæ, & post resurrectionem immortales dicuntur.

II. *Variæ Philosophorum opiniones.*

De immortalitate sic intellecta juxta secundum sensum (nam de primo & tertio non est notabilis controversia) variæ fuerunt antiquorum Philosophorum sententiæ; Epicuræi carnale hominum genus una cum Plinio lib. 7. hist. nal. cap. 55. negarunt immortalitatem animæ rationalis cum multis aliis Ethnicis, qui jam in inferno proprio damno errorem discunt; Plato autem in Thimæo & aliis locis manifestè distinguit, inter animas brutorum & hominum illas asserens mortales, hominis verò immortalem, cui etiam præmia & pœnas post mortem deberi agnovit; quid verò senserit Aristoteles non satis constat, Scotus ait eam de hac re semper fuisse dubium, quamvis fortè in partem affirmantem magis propenderit, nam 1. de an. cap. 4. t. 65. dicit, intellectum nostrum esse passionis expertem & interitûs, & quoddam Divinum, quod ego mihi quoque faciliùs persuadeo sensisse; quidquid tamen dixerit ego

III. *Anima est immortalis.*

Dico primò ad Quæstionem: *Anima est immortalis.* Hæc est contra Saducæos.

Probatur primò Ex Sacra Scriptura Sap. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt & non tanget illas tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem perpetuò sunt in pace.* Sap. 5. *Iusti autem in perpetuum vivent.* Eccles. 12. *Ibit homo ad domum æternitatis suæ. Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Matthæi 20. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et ex duodecimo articulo symboli Apostolici, quo credimus *vitam æternam*, qui articulus stare non potest cum animæ mortalitate.

IV. Probatur Conclusio secundò Authoritate Concilii Lateran. sub Leone X. Sess. 8. ubi rem definit & omnibus Philosophis præcipit ut argumenta, quæ contra fieri possunt solvant, verba ejus sunt: *Cùm diebus nostris nonnulli ausi sint dicere de natura Animæ rationalis, quòd mortalis sit, & aliqui temerè philosophantes, secundùm saltem Philosophiam, verum esse asserverent, sacro approbante Concilio damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam esse mortalem, aut unam in cunctis hominibus, & hæc in dubium vertentes, cùm illa non solùm verè & essentialiter humani corporis forma existat. Verùm & immortalis, & pro corporum quibus infunditur, multiplicitate, singulariter multiplicabilis, multiplicata & multiplicanda.*

V. Probatur tertiò Authoritate SS. Patrum Augustini, qui integrum Librum de immortalitate Animæ scripsit, ubi cap. 4. dicit: *Manifestum est immortalem esse animam humanam.* Lib. 2. Soliloq. cap. 19. ait: *Immortalis est anima, jam jam crede rationibus tuis, crede veritati. Clamat & in te sese habitare & immortalem, nec sibi suam sedem quacunq; corporis morte posse subduci.* Lib. 6. Confess. cap. 11. dicit: *Quid si mors ipsa omnem curam cum sensu amputabit & secet? ergò & hoc quærendum. Sed absit ut ita sit, nunquam tanta & talia pro nobis divinitùs agerentur, si morte corporis etiam vitæ animæ consumerentur.* Et alibi sæpè D. Bernardi Serm. 5. in Cant. ubi dicit: *Nos quidem vivimus post corpus, sed ad ea quibus beatè vivitur nullus nobis accessus patet nisi per corpus.* Et Serm. 81. ubi non solùm animam immortalem docet, sed etiam differentiam immortalitatis ejus ab immortalitate DEI ostendit, verba ejus sunt: *Alias autem*

immortalis est Anima, & in hoc nihilominùs verbo similis quidem, sed non æqualis: Nam in tantùm superexcellit immortalitas Deitatis, ut Apostolus dicat Deo: Qui solus habet immortalitatem, quod ego reor pro eo dictum, quòd solus sit natura incommutabilis Deus, qui ait: Ego Dominus & non mutor, vera namq; & integra immortalitas tam non recipit mutationem, quàm nec finem, quòd omnis mutatio quædam mortis imitatio sit. Omne etenim quod mutatur, dum de uno ad aliud transit: esse, quodammodo necesse est moriatur quod est, ubi etiam incipiat quod non est. Quòd si tot mortes, quot mutationes, ubi immortalitas? Et huic vanitati subjecta & ipsa creatura non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe. Attamen immortalis anima est; quoniam cùm ipsa sibi vita sit sicut non est, quo cadat à se, sic non est, quo cadat à vita. Verùm cùm constet suis effectibus mutari eam, agnoscat ita se Deo in immortalitate similem, ut sciat sibi deesse non modicam immortalitatis partem, soli cedens absolutam perfectamq; immortalitatem, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

VI. *Rationes pro immortalitate.*

Probatur Conclusio rationibus primò: Anima est substantia spiritualis, ut præcedenti quæstione dictum est; ergò est immortalis, consequentia videtur evidens, quia substantia spiritualis non habet contrarium à quo corrumpatur per se, neque dependet ab aliquo corruptibili ex cujus corruptione per accidens corrumpatur, sequitur ergò illam esse prorsus indefectibilem, præterquam ex subtractione Divini Concursus à quo omnis Creatura dependet. Secundò ex incorruptibilitate intellectûs siquidem ille non corrumpitur ex intelligibili vehementi, sicut sensus à vehementi sensibili, nam perfectius intelligibile eum magis perficit; ergò etiam Anima est incorruptibilis & immortalis, quia perfectior est essentia, quàm proprietas; nec potest proprietas manere indeficienter sine essentia quam sequitur, & cui secundùm Scotum identificatur. Tertiò anima nullo bono finito satiatur, sed in infinitum naturaliter propendet, atqui id quod naturaliter propendet in bonum infinitum debet esse immortale; ergò Anima rationalis est immortalis: probatur minor, quia infinitum bonum condignè possideri nequit, nisi ab eo quod est immortale; quod probatur, quia sicut infinita est essentia boni infiniti non tantùm perfectione, sed etiam duratione, ita possideri nequit condignè nisi ab eo, quod duratione quoque infinitum est, & per consequens immortale. Quartò multi flagitiosissimi hanc vitam transigunt cum summa felicitate & è contra boni cum magna molestia, atqui hoc alienum foret à Probitate, & Providentia Divina nisi post mortem Anima præmiarentur, & essent superstites; ergò Animæ rationalis est immortalis, quod videtur ob hanc solam rationem fuisse Gentibus plerisque persuasum.

VII. *Objicitur & solvitur Scriptura Sacra.*

Opponitur contra Conclusionem authoritas Sacræ Scripturæ Ecclesiast. 3. ubi habetur: *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus & ostenderet similes esse bestiis. Idcirco unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusq; conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Similiter spirant omnia & nihil habet homo jumento amplius. Cuncta subjacent vanitati. Et omnia pergunt ad unum locum: de terra facta sunt & in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Respondeo hoc dictum esse ex persona impiorum, non verò ex Spiritu Sancto, ita sentiunt SS. Patres communiter & Theologi ordinariè. Sed

Instatur: Æqualiter Scriptura loquitur in illo textu, sicut loquitur in textu antecedenti, ubi dicit: *Dixi in corde meo justum & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.* Statim subdens: *Dixi in corde meo de filiis hominum.* Sed prior textus est de mente Sacræ Scripturæ; ergò & posterior, nam secundùm D. Augustinum, omnis Scriptura dubia & anceps ex antecedentibus & subsequentibus interpretanda est. Respondeo, quòd si textus ille intelligi debet probatus ex intentione & mente Spiritus Sancti, tunc faciet sensum dubitativum, quasi diceret, quis scit, id est quia demonstrare potest, an non sit idem interitus hominum & brutorum. Quòd si tibi hoc non placet, tunc dico Spiritum Sanctum loqui de interitu totius hominis quoad esse compositi, nam secundùm hoc revera tam bene resolvitur & destruitur homo, ac destruitur & perit brutum, nam corpus secundùm se in terram resolvitur, sicut corpus bruti, unde apparet non penetrantibus, quasi efflet idem interitus hominis & bruti: & hoc velle Sacram Scripturam patet, dum ait: *De terra facta sunt & interram pariter revertuntur.*

Urgetur: Non potest dici Scripturam loqui de interitu corporis tantùm, nam expressè dicit: quis novit si Spiritus filiorum Adam sursum? ergò nulla solutio. Respondeo, certissimum esse neminem scire num Spiritus hominis, seu anima ascendat sursum ad capessendam æternam beatitudinem, & non descendat potiùs deorsum ad æternas pœnas, cùm nemo sciat se amore, vel odio dignum. Imò sicut antecedenter dixi, Spiritus Sanctus tantummodo intendit ibi enumerare paucitatem hoc intelligentium, non verò vult negare, quòd non ascendat, verissimum enim est, quotus enim quisque ex plebe maximè est, qui sciat Spiritum hominis ascendere sursum. Et per hoc possunt plures alii textus Sacræ Scripturæ explicari, ut est illud Ecclesiast. 9. ubi dicitur: *Nec ratio, nec scientia est apud inferos:* Certum enim est in inferno nec rationem nec potentiam nec sapientiam, nec aliquid aliud, quod in mundo magnificum credebatur, valere. Aft

Arguitur ex ratione in Contra: Anima rationalis nullam potest habere operationem extra Corpus; ergò etiam extra Corpus non existit; patet consequentia: Nam existere & operari sese mutuò concomitantur, ita ut esse non sit ubi nullum est operari: probatur antecedens, si posset elicere aliquas operationes, maximè intellectionis & volitionis, sed has nō potest elicere

elicere extra corpus, ergò : probatur minor, omnis intellectio animæ dependet à phantasmatibus, sed sine corpore non dantur phantasmata, ergò neque intellectiones, Respondeo negando antecedens, cum sua probatione, cujus probationis majorem distinguo, intellectiones dependent à phantasmate pro statu conjunctionis concedo; pro statu separationis, nego majorem; pro illo enim statu perfectiori & excellentiori modo operatur, quàm per phantasmata, imò in statu conjunctionis frequenter habentur intellectiones à phantasmate independentes, ut sunt illæ, quæ contingunt in extasibus & in reflexis.

Instatur: Si anima posset habere aliquas operationes extra statum conjunctionis non deberet horrere separationem, sed hanc horret, ut patet in moribundis, qui egredi timent, ut mox infra dicetur, ergò. Respondeo negando sequelam, nam horror ille non provenit ex eo quòd operationes non sit habitura anima separata, sed quia dubia & anceps est, quid de ea futurum sit, unde qui has voluptates terrenas totaliter contempsêre & toto corde Deum dilexêre non tantùm horrent, sed etiam quàm cupidissimè appetunt, ut patet ex ipso Doctore Gentium, qui cupiebat dissolvi.

IX. *Non potest tamen ratione evidenter demonstrari*

Dico 2. *Animam esse immortalem non potest rationibus Physicis & evidentibus demonstrari.* Ita Scotus in 4. d. 43. q. 2. Henricus Jandunus, Tartaretus, Philippus, Faber, Aquila, Cajetanus, &c. contra plures recentiores.

Probatur: Tum quia id simpliciter innuere videtur Ecclesiastes, ubi ait: *Quis scit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum?* Sed si naturaliter esset demonstrabile, frustra quæreretur, *quis sciat*; tum quia Concilium 3. Constantinop. quæ fuit S. Synodus, dicit animam esse immortalem non per naturam, sed per gratiam; sed illud quod convenit alicui, non per naturam sed per gratiam ex Libero Dei decreto non potest naturaliter demonstrari, ergò: probatur minor, ut aliquid demonstretur, debet esse de necessariis sed quod est per gratiam non est de necessariis, ergò: probatur minor, quod est alicui solummodo per gratiam est ab extrinseco, sed quod est ab extrinseco non est necessarium, ergò.

Probatur secundò: Si posset ratione demonstrari, essent utique superiùs allegatæ, sed hæ non sunt, ergò: major est adversariorum; probatur minor; non prima, quia æquè incertum est an sit spiritualis, ac an sit mortalis. Secunda similiter negatur. Tertia procedit ex errore, frequenter enim appetimus aliqua quæ sunt impossibilia. Quarta æquè incerta est, & dici potest præmium virtutum esse ipsam animi quietem & pacificationem internam, pœnam autem malorum esse conscientiam malam, & vermem mordentem juxta illud D. Augustini 1. Confess. cap. 12. ubi ait:

Jussisti Domine, & ita factum est, ut omnis animus malus ipse sit pœna sibi.

QUÆSTIO III.

An & quando animæ rationales creentur à Deo?

I. *Circa originem animæ plures fuerunt errores.*

Circa animarum rationalium originem plures antiquorum fuerunt errores, & sunt etiamnum nonnulli graviter id disputantes, nam Luciferiani, Tertullianus, ex Apollinario volebant eas produci ex semine Parentum. Secundus error est Avincenæ lib. 7. Hist. tripart. docentis animas quidem creari non quidem à Deo, sed ab Angelis eum secuti sunt Seleucus, Hermias, & Galitæ, à quibus exurexit hæresis Mesalianorum. Circa tempus verò creationis & productionis animæ itidem duo fuerunt solemnes errores, nam Plato in Thymæo docet, animas ante corpora creatas fuisse & in stellis collocatas, quæ cùm postmodum rerum Cœlestium tædio affectæ terrena desiderarent in corpora tanquam in carceres conjecit de quo D. Augustinus lib. 12. Civit. 15. sic loquitur: *Plato ille Philosophus nobilis persuadere conatus est vixisse hic animas hominum, & antequam ista corpora gererent, & hinc esse quod ea quæ discuntur reminiscuntur potiùs cognita, quam cognoscant nova.* Unde lib. 1. de lib. arb. cap. 12. ait ipse, *utrum ante consortium hujus corporis aliâ quadam vitâ vixerit animus, & aliquando sapienter vixerit, magna quæstio est, magnum secretum.* Pythagoras similiter dixit, animas ab æterno creatas, differt tamen à Platone, quòd dicat eas vagari per corpora & nunc intrare hæc, nunc illa. Verùm contra Luciferanos

II. *Anima non producitur ex traduce per virtutem corporis.*

Dico 1. *Anima rationalis non producitur ex traduce, nec virtute corporis, nec animæ.* Ita Catholici omnes. Et

Probatur primò Ex authoritate S. Augustini Epist. 7. dicentis: *De traduce carnis non ambigitur, sed de animæ ambigitur.* Sed quæris quare dicat de animæ traduce ambigi; Respondeo propter peccatum originale, nam si anima fiat ab anima facilè appareret quomodo contraherent peccatum hoc, difficile verò si quotidie novæ creantur, ita discurrit lib. 1. de anima, ejusque origine cap. 11. *Si quæram quare parvuli damnari mereantur, si non baptizantur, rectè mihi respondetur propter originale peccatum. Item si quæram unde traxerint originale peccatum, iste respondebit ex carne utiq; peccatrice. Si ergò quæram unde damnari meruerint in peccatricem carnem, qui nihil mali fecerant ante carnem, hic inveniat quod respondeat. Hic certè omnis argumentatio deficit, nullum peccatum habentes ante consortium sed quærimus unde animæ damnari meruerint ad subeundum carnis consortium peccatricis, nullum peccatum habentes ante consortium carnis peccatricis.* Ex quibus licèt colligi possit eum quasi dubium fuisse, id quoque non negem, tamen solùm dubius videtur esse de tempore creationis, non verò de ipsa animæ creatione, quàm clarè adstruit ut mox eum citabo, tandem tamen conformat se etiam menti D. Hieronymi quoad tempus Epist. 28. his verbis: *Unde de illa animarum novarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam* (de originali peccato) *non oppugnat sit & mea: si oppugnat non sit & tua*, sed

non oppugnat ut ex definitione Ecclesiæ patet, ergò. Hucusque de mente dubia D. Augustini, clara ejus mens infra patebit, pro nunc

Probatur Conclusio etiam ratione quoad primam partem primò: nulla virtus activa agit supra totum suum genus, sed anima rationalis excedit omnem activitatem & virtutem cujuslibet corporeæ naturæ, quia excedit ipsius substantiam, est enim spiritualis, ergò actione seminali produci non poterit, cùm hæc sit corporea & materialis. Secundò quod generatur corrumpitur, ut patet quotidianâ experientia, sed anima rationalis nequit corrumpi, cùm sit immortalis, ergò nec generari. Tertiò nulla creatura potest attingere terminum creationis, sed anima creatur, ergò. Quartò quod producitur ab agente corporeo non potest per se subsistere independenter à corpore, sed existit in toto Physico in quo producitur, ut patet de omnibus formis eductis de potentia materiæ, sed anima rationalis est per se subsistens independenter à corpore, ergò.

III. *Nec in virtute ipsius animæ.*

Probatur secunda pars: Quia anima deberet producere aliam se sola, vel per virtutem corpoream adjuta, sed neutro modo potest producere aliam animam, ergò: probatur minor, non se sola, tum quia id non potest Angelus, ut mox dicam; tum quia Angelus non solùm animam posset producere, sed etiam alium Angelum, quod æquè ipsi denegatur: Tertiò anima non producit defacto se sola intellectiones, ergò nec potest se sola animam producere: Nec etiam cum semine corporali, quia conjunctio hæc non addit virtutem ipsi, alioquin etiam accidens conjunctum substantiæ posset producere substantiam, quod est contra dicta in Physica. Sed

IV. *Semen Parentis non producit animam.*

Dices: Semen brutorum producit brutum, ergò etiam humanum alium hominem: probatur consequentia, quia semen humanum est animatum animâ rationali, ergò potest iterum aliam producere. Respondeo primò, nec semen brutorum producere animam, sed primum principium, aut si non primum principium saltem semen Parentis non attingit ejus productionem, utpotè non vivens, bene tamen mater, quæ in generatione prolis perfectiùs operatur, quàm Pater, quidquid dicat D. Thomas. Respondeo secundò, negando consequentiam cum sua probatione; nam ista anima seminis est anima Patris, & sic cùm semen sit excisum à Patre ante animationem prolis non habet animam Patris, vel eadem anima erit in duobus suppositis, vel est anima matris, & sic eodem modo in duobus erit suppositis: Si autem dicas quòd habuerit aliam animam tertiam, sequitur tot animas in masculo quot potest habere seminales decisiones, perire tot, quot frustraneæ fierent masculorum decisiones seminis, totque homicidia, vel unam eandemque animam in tot dividi partes. Demique ante organizationem destruitur semen, ergò etiam anima destrueretur, vel progrederetur per tot diversa composita, quæ omnia sunt absurdissima.

V. *Potentiæ passivæ correspondet activa creata vel increata.*

Dices 2. Cuilibet potentiæ materiali passivæ respondet aliqua potentia activa naturalis, ut docet Aristoteles 5. Metaphys. cap. 12. sed in materia est potentia passiva ad recipiendam formam spiritualem, ergò debet etiam dari aliqua naturalis activa, qualis alia non erit præter parentes, ergò. Respondeo distinguendo majorem, cuilibet potentiæ debet correspondere aliqua activa creata, vel increata concedo majorem; creata semper, nego majorem. Et patet distinctio, quia materia Cœlorum est potentia passiva respectu formarum Cœlestium, & tamen huic non correspondet aliqua creata producens eas, sed solùm increata, communis enim sententia hodie docet formas Cœlorum effectivè à solo Deo produci & conservari. Deinde satis est, quòd correspondeat activa disponens ad formam illam. Si instes esset perfectionis majoris in homine si posset attingere productionem animæ rationalis, quæ non videtur ipsi deneganda, cùm concedatur aliis brutis. Respondeo dignitatem majoris esse hominis, quòd tam nobilem formam habeat, quæ nobiliorem causam exigit, quàm sit ullum agens creatum.

VI. *Primum principium dantur duo.*

Dices 3. Qui producit aliquid sibi simile in specie, producit etiam formam, sed homo producit hominem, ergò etiam formam hominis. Respondeo distinguendo majorem, *qui producit aliquid sibi simile producit etiam formam, si educendo ipsam producat* concedo; *si solùm disponendo* nego majorem; & distinctâ similiter minore, nego consequentiam. Itaque homo non producit formam priori modo, sed posteriori, hinc distinguo secundò majorem, producit etiam formam *ut quod, vel ut quo* concedo; ipsam formam, principalem intelligo, *ut quod* semper, nego majorem, satis enim est quòd ut quo producat seu disponat. Et frustra quis urgeret quòd disponens ad formam debeat etiam ipsam producere, quid enim implicat quòd una forma disponat ad aliam, non à se, sed à nobiliori agente producibilem, stat firmum D. Augustin. dictum lib. 3. contra Julian. c. 18. *Nec ipsi parentes possunt hominem facere, sed ex parentibus Deus.*

VII. *Animæ non sunt creatæ ab Angelis.*

Dico 2. *Animæ non sunt creatæ ab Angelis.* Ita SS. Patres & præcipuè D. Augustinus, tum supra; tum lib. 9. Gen. Litt. 15. *Angelum non omnino possunt creare naturam, solus enim conjuncta naturæ, seu magnæ, seu minimæ creator est Deus.* Et lib. 12. Civit. cap. 24. & 25. ait: *Artem somnandi animas non nisi uni artifici creatori & conditori Deo tribuo, qui mundum ipsum & Angelos sine ullo mundo & sine ullis Angelis fecerit.*

Probatur etiam ratione: Angeli non possunt producere animas creatione, nam ut idem S. Doctor 5. Civit. 7. *Deus noster omnipotens Creator & Factor omnis animæ, omnisque corporis.* Et quia nullum agens producit ex nihilo nisi solus Deus: Nec etiam potest Angelus producere ex potentia materiæ, quia Angelus non agit nisi per intellectionem & volitionem quæ utpotè accidentia nullam circa materiam habere possunt actionem.

VIII. *Animæ rationales creantur à Deo non tamen omnes simul eodem tempore, conveniente materia ante in Cœlo, sed quælibet tunc primum prolis instanti reali pro quo sunt corpora ultimatè disposita organ-*

Organizata. Hæc est contra Platonem. Et prima pars probatur tum ex refutatione aliarum sententiarum: Tùm authoritate D. Augustini supra & lib. 2. Trinit. cap. 8. dicentis: *Anima cùm sit substantia spiritualis, cumq; etiam ipsa facta sit, nec per alium potuerit fieri, nisi per quem facta sunt omnia, quamvis sit mutabilis, non est tamen visibilis.* D. Bernardi serm. 27. in Cant. ubi ait: *Nam si propter corpus quod de terra habet, Tabernaculu Cedar se assimilat, cur non ob animam quæ de Cœlo est æquè similem glorietur, præsertim cùm vitæ testetur originem, testetur naturæ dignitatem, & Patriæ. Ego puto animam talem non modo Cœlestem esse propter originem, sed & Cœlum ipsum posse appellari.* Insinuat hoc ipsum Scriptura Gen. 1. ubi cùm de aliorum animantium generatione, & procreatione agitur dicitur: *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram; producat terra animam viventem in genere suo, jumenta & reptilia & bestias terræ.* Cùm verò ad hominem venitur, ejus anima à solo Deo creari atque infundi insinuatur illis verbis: *Et inspiravit Deus in faciem ejus spiraculum vitæ*, id est animam rationalem, ergo.

IX. *Non omnes fuisse conversationes ante in Cœlo.*

Probatur secunda pars Ex D. Augustino lib. 11. Civit. cap. 25. Epist. 28. ubi errorem Platonis refutat & miratur quomodo Origenes in illum cadere potuerit vir de sacris litteris bene meritus, si enim ante corpora creatæ sunt, & conversantes in Cœlo peccare potuerunt, ob quod ad corpora detruderentur, solliciti esse deberemus ne sanctè defunctus in sinu Abrahæ peccans inflammas illius divitis dejiciatur? *Cur enim non & post hoc corpus peccari possit, si & ante potuit? Et serm. 7.* de verb. Apost. cap. 5. eundem pulchrè refutat probans geminos Rebeccæ antequam nati essent non fuisse; ob elegantiam sententiarum eam refutationem fusiùs hic pono, prout sequitur: *Aliqui dixerunt quòd animæ sursum in Cœlo peccant, & secundùm sua peccata ad corpora pro meritis dirigunzur, & dignis ibi quasi carceribus includuntur. Ierunt post cogitationes suas, volentes disputare de Dei profundo, mersi sunt in profundum. Occurrit enim eis Apostolus volens gratiam commendare, & elegit eos geminos in utero Rebeccæ, & dicit: Nondum enim natu, nec qui aliquid egerint bont aut mali. Vide quemadmodum tulit vanu hominibus phantasias conversationis animarum ante corpus in Cœlo. Si enim ibi jam conversatæ sunt, jam aliquid boni egerunt & mali & pro meritis suis ad corpora terrena detrusæ sunt. Si placet contradicamus Apostolo, qui dicit nondum natis, nec qui aliquid egerint bont aut mali. Hoc autem, quia propter evidentem sententiam Apostoli resipuit Catholica Fides, quòd animæ in Cœlo prius vivant & conversentur, & illic recipiendorum corporum merita assumant modò isti novelli non audent dicere.*

Probatur secundò Authoritate Concilii Bracharensis 1. cap. 6. & Leonis 1. in Epistola ad Toribium Episcopum Asturicen. ubi contra eos qui illum errorem profitebantur sic S. P. scribit. *Eos Catholica Fides à corpore suæ unitatis abscidit, constanter prædicans atq; veraciter quòd animæ hominum priusquam suis inspirentur corporibus non fuere.*

Probatur tertiò Ratione: Primò quod est secundùm naturam prius est, quàm quòd præter naturam, sed Animam esse in corpore est secundùm naturam, esse verò extra, est contra naturam, ergò prius est esse in corpore, quàm extra corpus; probatur major, quia unicuique priùs inest, quod secundùm se inest, quàm quod secundùm accidens. sed quod inest secundùm naturam inest per se, quòd autem præter naturam per accidens, ergò: probatur etiam minor, quia cùm anima sit forma corporis essentialis, naturaie ei est, esse in corpore, & consequenter præter naturale esse extra corpus. Secundò conjunctio animæ cum corpore esset tantùm bonum per accidens, & occasionatum, quia sequeretur tantùm ex peccato, cùm tamen natura per se intendat generationem. Tertiò animæ peccantes recordarentur utique suorum delictorum & scientiarum ibi habitarum, quod tamen falsum esse patet. Nec solvunt Platonici per hoc, quòd dicant ob conjunctionem cum corpore oblivisci, sicut si poculum oblivisionis bibissent; non solvunt, inquam, quia ob conjunctionem cum sua propria materia & comparte non deberent tantum detrimentum accipere.

X. *Ratione probatur.*

Opponitur Authoritas Sacræ Scripturæ Gen. 1. ubi habetur: quòd DEUS requieverit *Die septimo ab omni opere suo, quod patrârat*, ergò amplius non creat animas, & consequenter ante existunt. Respondeo primò quòd Deus quieverit septimo die ab omni opere suo, quoad productionem specierum de novo, non verò quoad conservationem illarum in individuis, quæ nequit fieri sine creatione animarum ut salvetur species humana, cùm tot individua indies pereant, & de novo producantur. Respondeo secundò, non dicit quòd Deus quieverit absolutè ab omni operatione, sed ab omni opere quod patrârat, videlicet illis sex diebus, ut sensus sit Deum illis sex diebus mundi creationem absolvisse, atque ita cessasse mundi Machinam condere die septimo. Respondeo tertiò: Nec tertiâ die omnes species animantium productas fuisse nisi causaliter & seminaliter in aliis, ut præclarè notat D. Augustinus lib. 3. Gen. ad Litt cap. 14. ubi ait, absurdissimum esse dicere tunc fuisse creata, etiam omnes pediculos, culices, &c quæ ex putri materia, & corruptione corporum, aut eorum imperfectione gignuntur, quod similiter currit de mulis, &c. Denique si ab omni opere cessasset nec gratiam de facto deberet producere.

XI. *Scriptura sacra objecta explicatur.*

Arguitur ex ratione: Anima rationalis est in suo esse à corpore independens, ergò sicut propter hanc independentiam existere potest sine corpore post unionem semel amissam, ita etiam debet posse existere ante unionem. Confirmatur, quia formæ materiales pendent à suo esse à materia, ideò nequeunt sine illa ante vel post unionem existere, ergò quia anima rationalis à materia & corpore est in suo esse independens poterit & ante & post unionem existere à materia separata. Respondeo distinguendo antecedens, anima est in suo esse à materia independens in conservari concedo;

XII. *Anima in fieri dependet à corpore & materia.*

cedo, in primo fieri nego antecedens; Ratio est, quia ut dixi, anima est ens incompletum, adeoque natura sua appetitu innato exigit primò produci cum suo naturali complemento, estò possit postea sine illo conservari. Confirmatur, quia Deus tanquam Author naturæ debet omnia in suo esse perfecto producere, imò & conservare quamdiu agentia contraria id non impediunt, ergò cùm in prima animæ productione nullum contrarium petat illius productionem extra materiam debet quasi obligari Deus ad eam producendam cum naturali suo complemento. Quòd autem postea eam conservet incompletam provenit à contrariis agentibus quæ unionem illius dissolverunt, unde non debet refundi in Deum, sed in causas creatas. Ad confirmationem ajo disparitatem esse penes majorem & minorem dependentiam. Adde quòd formæ pendeant à materia tanquam ab anima sustentativa, quà semper egent tam in fieri, quàm in conservari, quia semper producuntur, & conservantur eductiva, id est per actionem generativam. Anima verò rationalis non pendet à materia nisi velut à conditione, idque tantùm in primo fieri ob rationes allatas.

Arguitur secundò: Impertinens est animam extitisse, aut non extitisse in materia ut postea existat sine illa. Respondeo negando assertum, quando enim supponitur in materia extitisse, supponitur jam satisfecisse muneri ad quod naturâ suâ ordinatur. & Deum egisse uti Authorem naturalem, quapropter poterit separata existere, secus autem est quando non supponitur suo muneri satis fecisse.

QUÆSTIO IV.

Utrum Angelus & anima rationalis distinguantur specie?

I. *Explicatur mens Scoti.*

Præclarè Doctor subtilis materiam hanc examinat 2. d. 1. q. 1. habetque pro comperto, quòd Angelus & Anima differant specie, quamvis ibidem videatur dubitare de intellectu, verùmtamen hoc non facit alio fine, quàm ad improbandam rationem nonnullorum, qui per ordinem ad intellectum distinguunt Angelum & Animam. nam si potentiæ intellectivæ essent realiter distinctæ à substantia animæ, & Angeli, ut distinguunt nonnulli, cur non (argnit Doctor) posset eadem potentia specie in utroque sicut potentia visiva in Leone, & potentia visiva in equo sunt ejusdem speciei, licet Leo, & equus specie differant; sic etiam unitates rerum sunt ejusdem rationis in homine & leone, licet homo & leo sint diversæ; si verò non distinguantur, ut est nostra sententia, tunc bene sequitur si intellectivæ potentiæ sunt specie distinctæ, etiam erunt ipsæ substantiæ, quibus sunt identificatæ. Itaque

II. *Anima & Angelus distinguuntur specie.*

Dico 1. *Anima nostra specie distinguitur ab Angelo.* Ita Doctor subtilis supra.

Probatur cum eodem primò, quantò forma creata est nobilior, tantò distinguitur in plures gradus essentiales, ut patet, ideo enim sunt plures formæ mixtorum, quàm elementorum, & plures formæ animatorum, quàm inanimatorum, ergò etiam erunt plures species in natura intellectiva, cùm hæc sit perfectissima, ergò Angelus & anima rationalis specie differunt.

Probatur secundò: Forma ejusdem rationis, & speciei habent eandem rationem perficiendi, sed anima rationalis est perfectiva corporis organici, ut forma, Angelus autem non est naturaliter perfectivus, ergò.

Probatur tertiò: Diversæ species potentiæ consequuntur diversam substantiam, cui identificantur, sed intellectus Angelicus est diversæ speciei, ergò etiam Angelus, & anima. Probatur minor, quia intellectus Angelicus non est ex natura sua intellectivus dependenter à phantasmatibus, intellectus verò humanus est, ergo; minoris veritatem eleganter describit Mellifluus Doctor serm. 5. in Cantic. his verbis: *Porrò autem supercœlestis spiritus absque adjutorio corporis, & absq; intuitu boni, quæ te latent per corpus sentiuntur* (phantasmatibus) *ita profectò vicinitate, ac vivacitate naturæ, ipsum apprehendere, summa & intima penetrare. Annon hoc Apostolus intellexit, qui cùm diceret invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellectu conspiciuntur, adjecit protinus, à creatura mundi? Numquam, quemadmodum à creatura Cœli, non ita. Quo enim in velocitate cœne, & terræ incola spiritus ex consideratione sensibilium proficiens, gradatim quodam modo gaudium mittitur pervenire, eò ille Cœlestium inhabitator ingenitâ subtilitate, ac sublimitate suâ in omni velocitate facilitateq; pertingit, nullo utiq; corporis sensus adminiculo fultus, nullo corporei membri adjutu officio, nullo corporeæ cujuscunq; rei informatu instructus.* Unde licet lib 5. de consid. cap. 3. dicat *Illum siquidem tui & Angeli optimum, tutum est*, non intelligit unitatem rationis specificam, sed generi-cam & communem.

Probatur Conclusio quartò: Quia ens completum, & incompletum differunt specie, sed Angelus est ens completum, anima incompleta, quia ordinatur ad complementum & constitutionem hominis, ergò. Hinc etiam Doctor subtilis docet, quòd priori anima & Angelus distinguantur, quia hic talis natura est, & illa talis per ordinem ad se, non quidem quasi duæ species, sed sicut species, & pars speciei, quia anima non est propria species, sed pars speciei, & tamen ipsa est ratio distinguendi suam speciem cujus est pars. Sed in contrarium

Opponitur Authoritas D. Augustini de libero arb. lib. 3. ubi dicit: *Angelus & anima sunt naturâ pares, sed officio impares*, sed paritas in natura non arguit differentiam specificam, ergò. Respondeo primò Angelum & Animam esse in natura pares secundùm gradum genericum intellectualitatis, non verò secundùm gradum specificum. Respondeo secundò: Et fortè magis ad mentem D. Augustini. Animam & Angelum esse pares in appetitu ad infinitum bonum, ex eo, quòd nec illa, nec ipse satietur, nisi per possessionem infiniti boni. Eodem modo exponitur alius textus lib. de quantitate animæ, ubi dicit: *Quemadmodum se-*

rendum

tendum est, Animam humanam non esse Deum, ita præsumendum inter omnia, quæ creavit Deus, nihil esse propinquius ipsâ Deo. Quia in lib. 11. Civit. cap. 5. ait, quòd *Angelica natura, cætera quæ Deus condidit naturæ dignitate antecedat.*

Instatur: Sequeretur, quòd Angelus quilibet perfectiùs posslideret infinitum & summum bonum, quàm quælibet Anima, quia si secundùm totam speciem sunt alterius naturæ, etiam quilibet Angelus erit perfectior quâlibet Animâ, & cùm perfectionem naturæ sequatur capacitas possidendi objectum, evidenter sequitur, quemlibet Angelum perfectiùs possessurum, sed hoc est falsum, quia Christus Dominus perfectiùs possidebit, quàm omnes Angeli, & multi Sanctorum, pluribus angelis, ergò. Respondeo negando sequelam, quia licèt quilibet Angelus quâlibet Animâ sit perfectior, non tamen perfectiùs quilibet possidebit summum bonum, quia quæ hæc possessio non commensuratur capacitati naturali præcisè, sed meritis, unde dico quòd capacitas possidendi & intelligendi naturalium sequatur perfectionem naturæ, & ut talium semper perfectiorem futuram capacitatem angeli.

Appetitus innatus non fruatur.

Urgetur: Tota capacitas naturæ satiatur per possessionem summi boni, quia totus appetitus explebitur; ergò cùm capacitas angelorum sit perfectior, perfectior etiam erit possessio & satietas. Respondeo distinguendo antecedens, capacitas tota naturæ satiatur secundùm appetitum naturalem & innatum nego antecedens; secundùm appetitum elicitum conformantem se perfectè Divinæ voluntati, & ordinationi concedo antecedens, & nego consequentiam.

V. *Non benè explicatur distinctio eorum per ordinem ad intellectum.*

Dico 2. *Non benè assignatur distinctio specifica Angeli ab Anima rationali per diversum intelligendi gradum, perfectiorem vel imperfectiorem.* Est contra Alensem 1. 2. Collat. de Subst. Angeli, D. Thomam & Henricum.

Probatur primò: Nullus est gradus essentialiter diversus in Angelo & Anima nostra, quia hic consisteret in hoc, quòd angelus omnia cognoscat sine discursu & Anima non, sed hoc nihil est, ergò: major est adversariorum (& suppono semper diversum gradum, alium à dependentia à phantasmatibus) probatur minor, quia modus intelligendi etiam Animæ congruit, nempè circa prima principia ex terminis cognita; Item Anima non discurrit circa objectum beatificum. Tertiò Angeli discurrere videntur, dum cognoscunt effectum propter causam; unde D. Bernardus supra non dicit, eos non posse discurrere & aliud ex alio cognoscere, sed non habere necesse, ut semper faciant. Quartò intellectus Angelicus finitus est, ac limitatus; ergò ei repugnat unico actu causas & effectus possibiles cognoscere, cùm id solùm divino competat, ergò.

Ex dictis infero intellectum Angelicum & humanum etiam distingui specie, cùm habeant diversæ speciei subjecta à quibus emanant. Sed

VI. *Etiam intellectus Angelicus & humanus distinguuntur specie.*

Dices: Potentiæ habentes idem objectum & eosdem actus specie non differunt, sed intellectus angelicus, & humanus habent idem objectum & eosdem actus, nam in quodcunque objectum tendit unus, potest & alter, idque mediantibus actibus ejusdem rationis videlicet apprehensione, judicio & discursu, ergò: major patet, tùm quia potentiæ dicuntur communiter specificari ab objectis; tùm, quia non potest aliunde ostendi, ex quo eorum distinctio colligeretur. Respondeo negando majorem, cujus probationem primam distinguo sic: Potentiæ specificantur ab objectis in hoc sensu, quòd quæ habent specie diversa objecta, debeant specie distingui, concedo; in alio sensu seu quatenus vellet, quòd potentiæ diversæ speciei non possint tendere in eadem specie objecta, nego, hoc enim falsum est, ut patet tùm exemplo intellectûs & voluntatis, quæ tendere possunt in eadem omninò objecta; tùm à paritate habituum supernaturalium & naturalium, qui specie distinguuntur, quamvis omninò idem sit eorum objectum. Secundam probationem absolutè nego, & dico distinctionem potentiarum illarum colligi posse ex rationibus Conclusionis, scilicet, vel ex eo, quòd una dicat necessariò respectum, ad quid specie distinctum ab omni alio, ad quod dicit alia respectum; vel ex eo, quòd dimanent à subjectis, seu suppositis distinctis quâ talibus. Posset etiam illa distinctio desumi ex eo, quòd una potentia ex illis faciliùs discurrere posset circa objecta eodem modo utrique proposita & apprehensa, quàm alia; vel denique ex eo, quòd plura objecta simul distinctè una cognoscere posset, quàm alia, quæ omnia de humano & Angelico intellectu verificantur.

DISPUTATO VIII.

DE INTELLECTU & INTELLECTIONE.

AD majorem & perfectiorem hujus materiæ notitiam superest, ut de duabus potentiis Animæ nobilissimis de Intellectu & voluntate scilicet differam; quia verò tum in operando intellectus ordine naturæ voluntatem præcedit, ut clarè docet S. Bernardus tract. de grat. & lib. arbit. cap. 2. ubi ait: Habet sanè semper *Voluntas* rationem Comitem & quomodocunque pedissequam: non quòd semper ex ratione, sed quòd nunquam absq; ratione moveatur, ita ut multa faciat per ipsam contra ipsam, hoc est quasi per ejus ministerium, contra ejus Consilium, sive judicium. Unde est illud: prudentiores sunt Filii hujus sæculi Filiis lucis in generatione sua. Et rursum, sapientes sunt ut sciant mala; neq; enim prudétia, seu sapientia inesse Creaturæ potest vel in malo, nisi utrisq; per rationē. *Quod ultra in progressu patebit: Ideò priùs de intellectu, ejusq; actibus discutiendis quæstionibus sermonem instituam, quibus absolutis ad voluntatem descendā. Sit igitur*

QUÆSTIO I.

Quid sit Intellectus humanus?

I. *Intellectus est potentia cognoscitiva.*

Per Intellectum aliud non intelligo, quàm potentiam spiritualem cognoscitivam per discursum formalem, quod communiter tenetur, & ipsum vocat D. Augustinus enarrat. in Ps. 42. mentem, dicens: *Mens est qua capimus justum & injustum, ipsa est qua discernimus verum à falso, ipsa est quæ vocatur intellectus, quo carent bestiæ*, idem deduci potest ex D. Bernardo lib. 5. Consid. cap. 3. ubi tradit definitionem actus ejus & docet Deum, Angelos & invisibilia per fidem & intellectum investigari, quòd bestiæ nequeunt &c. Sed nunquid hinc resoluta manet Quæstio? sanè sic esset nisi aliqui intellectum humanum potentiam organicam facerent, hoc est talem quæ licèt in entitate sua sit immaterialis, ut patet ex priori Disput. in operando tamen dependeat essentialiter ab organo, ita ut quemadmodum oculus suas operationes nisi per oculum & per nullum alium sensum, ita etiam exerceat intellectus per determinatam aliquam corporis partem, contra quam sententiam

II. *Intellectus est potentia inorganica.*

Dico 1. *Intellectus humanus est potentia immaterialis & inorganica, ita ut in nulla & per nullam partem corporis propriè exerceat suas operationes sicut potentiæ sensitivæ.* Ita Doctor subtilis quodl. 9. & in 4. d. 43. q. 2.

Probatur primò: Omnis potentia organica perit destructa comparte sua & toto composito, sed intellectus non perit destructo homine; ergò non est potentia organica: major patet per enumerationem omnium potentiarum organicarum, nam oculo eruto perit potentia videndi proxima, licèt maneat ipsa Anima, quæ non est visionis nisi partialis facultas remota & inchoata; probatur minor de Animabus separatis, quæ beatificantur ante resurrectionem per summam & perfectissimam intellectionem, recordantur præteritorum, cognoscunt suos acquirunt novas species, sed hæ sunt omnes operationes intellectûs, ergò.

Probatur secundò: Omnis potentia organica læditur à vehementi sensibili ob materialitatem suam, sed intellectus non sic læditur, quia languente corpore intellectus est vegetior & acutior, ut patet de sensibꝰ & podagricis; ergò intellectus non est potentia organica.

Probatur tertiò: Omnis facultas organica habet suum determinatum objectū, idq; singulare tantùm, nec potest supra se reflectere, sed intellectus humanus non constringitur ad tales limites, ergò: minor patet, quia intellectus humanus & se, & suos actus cognoscit, non tantùm particulare, sed etiam universale, materiale & spirituale, ergò. Sed in Contra.

Arguitur: Intellectus dependet in omnibus suis intellectionibus ab interno sensu, ejusq; organo, ita quòd sine ipso nihil intelligat; ergò est potentia organica indigēs determinata parte corporis pro suo organo, vel saltem indigens organo alieno. Respondeo negando consequentiam, quia intellectus non indiget organo sensûs communis tanquam ratione agendi & intelligendi, sed præsuppositivè per modum servi famulantis & subministrantis phantasmata, ex hoc tamen non sequitur, quòd indigeat organo ad suas actiones, sicut prærequiruntur sensus externi ad operationes sensûs interni, attamen internus non indiget veluti organis, sed mere veluti famulis.

Instatur: Si intellectus non indigeret organo sensûs cōmunis tanquàm ratione agendi, sequeretur eum non lædendum læso organo sensûs communis, sed hoc est contra experientiam de stultis &c. Respondeo distinguendo majorem, eum non lædendum intrinsecè concedo; extrinsecè nego. Itaq; in stultis & amentibus non læditur intellectus intrinsecè, sicut læditur intrinsecè oculus destructâ pupillâ, sed sūm ab extrinseco, in quantum videlicet pro hoc statu quæcunq; intelligit utitur sensibus externis vel internis ut mediis & januis, loquendo connaturaliter, unde Deus posset facere, quod læso cerebro aliquis perfectè intelligeret, sicut evenit in extaticis, qui omni operatione sensûs cessante, intellectu solo operantur. Sed quæres, quare ergò dicimur potiùs per cerebrum intelligere, quàm per pedes & totum reliquum corpus? Respondeo ex parte intellectus tam bene eum intelligere in pede, quàm capite, quia sicut Anima est in toto tota, & tota in qualibet parte sic quoq; intellectus, unde ille modus loquendi oritur potiùs ex parte corporis, quia sensus externi & interni, quorum ministerio utitur principaliùs resident in capite.

Dico 2. *Intellectus humanus pro hoc statu in omnibꝰ suis operationibꝰ, tam in prima motione, quam secunda dependet à phantasia. & quidem hæc dependentia potentialis oritur ex natura intellectus, actualis verò ex peccato.* Ita colligitur ex Doctore subtili cētra Albertum, Conimbricenses & plures alios putantes

putantes eum solum indigere in prima sui motione, acceptis autem semel speciebus non indigere conversione ad phantasmata.

Probatur prima pars Authoritate SS. Patrum D. Augustini lib. 11. Civit. c. 8. ubi ait: *Sensus enim accipit speciem ab eo corpore quod sentimus & à sensu memoria, à memoria verò acies cogitantis*: ubi per memoriam intelligit phantasiam, nam sic docet lib. 6. Mus. cap. 11. dicens: *Quos omnes impetus suos* (species objectorum) *anima excipiens quasi multiplicat in se ipsa & recordabiles facit, quæ omnis ejus memoria dicitur, magnum quoddam adjutorium in hujus vitæ negotiosissimis actibus. Hæc igitur memoria quæcunq; de motibus animi tenet, qui adversis passiones corporis acti sunt, phantasiæ græcè vocantur.* Unde quia tamen advertit Sanctus Pater, quòd multa cogitemus, quæ tamen nunquam in sensibus fuerunt hinc sibi cap. 10. lib. Civit. 11. objicit: *Si non meminimus nisi quod sensimus, neq; cogitamus nisi quod meminimus, cur plerumq; falsa cogitamus, quis enim vidit Cygnum nigrum & propterea nemo meminit, cogitare tamen quis non potest?* Respondet sibi autem: *Facilè est illam figuram, quam videndo cognovimus nigro colore perfundere, quem nihilominus in aliis corporibus vidimus. Et quia utrumq; sensimus, utrumq; meminimus. Neq; avem quadrupedem memini, quia non vidi, sed phantasiam talem facillimè intueor, dum alicui formam volatilis, qualem vidi adjungo duos alios pedes, quam itidem vidi.* Denique lib. 6. Mus. cap. 11. concludit: *Arbitror tamen quòd si nunquam humana corpora vidissem nullo modo eam possem visibili specie cogitando figurare. Quòd autem ex eo, quod vidi facio memoriâ facio, & tamen aliud est in memoriæ invenire phantasiam, & aliud de memoria facere phantasmata, quæ omnia vis Animæ potest.*

Probatur secunda pars ex D. Bernardo Serm. 6. in Cant. n. 4. ubi distinguit intellectum Angelicum ab humano, quòd iste indigeat corpore, speciebus &c. ad intelligendum, non ille, ait enim: *Quo enim is involutus carne, & terræ incola spiritus ex consideratione sensibilium proficiens, gradatim quodammodo paulatimq; nititur pervenire: eò ille cœlestium habitator ingenitâ subtilitate, ac sublimitate suâ in omni velocitate, facilitateq; pertingit, nullo utiq; sensûs corporei admiculo fultus, nullo corporei membri adjutus officio, nullo corporeæ cujuscunq; rei informatus intuitu.* Similiter distinguit intellectum beati ab intellectu viatoris lib. 5. Consid. cap. 1. quòd ille sine medio, noster autem cum medio suas operationes elicere possit.

VI. Probatur Conclusio quoad primam partem ratione primò: Quia defacto obliviscimur multarum rerum; ergò intellectus dependet à phantasmatibus in omnibus operationibus: probatur Consequentia, quia non obliviscimur ex deletione specierum in intellectu nostro, hæ enim sunt indelebiles, ergò ex eo, quòd intellectus debeat se convertere ad phantasma correspondens, ubi deletum est illud, quod volumus scire, vel reminisci. Sed

Dices: Magis dependet phantasia à sensibus, quàm intellectus, sed phantasia sine concursu sensuum potest phantasiare, ut patet de somniantibus, ergò etiam intellectus sine phantasmatibus intelligere. Respondeo negando majorem, & patet experientia mox alleganda; Nec ex hoc tamen quis inferre poterit majorem materialitatem & connexionem cum phantasia, quia hæc connexio non ex natura intellectûs præcisè, sed ab extrinseca alia causa provenit. Unde

Probatur secunda pars: Quia læsâ phantasiâ impeditur intellectûs operatio; Deinde, quia dum cupimus aliquid intelligere, formamus nobis ejus idolum, & sic facilius concipimus, verbi gratiâ, Angelos per modum puerorum alatorum, Deum Patrem per modum venerabilis senis &c. Dixi de lege ordinaria, quia in sublimi extasi potest Deus dependentiam intellectûs à functione sensuum solvere. VII.

Probatur tertia pars: Quia tunc Anima separata necessariò sic intelligeret; Nec ex eo, quod Anima sit unita corpori, quia in corpore glorioso deberet etiam sic intelligere; ergò oritur à culpa originali, in cujus pœnam datus est nobis hic infimus modus intelligendi; patet etiam ex natura potentiarum, pro statu isto, quo sibi ita subordinantur, ut superior sine famulatu inferioris operari non possit, & hic status non videtur esse, nisi stabilis permanentia legibus Divinæ sapientiæ, ob dictum peccatum firmata. Confirmatur ex D. Augustino 15. Civit. cap. ult. ubi dicit: *Quæ causa, cur tuam ipsam Animam acie videre non possis nisi utiq; infirmitas? & quis eam tibi fecit, utiq; iniquitas?* VIII. *Hæc dependentia oritur ex peccato.*

Hinc resolves primò: Intellectum in statu Innocentiæ non indiguisse conversione ad phantasmata, quia non est naturale Animæ dependere à potentiis corporis conjuncti, alioquin Anima gloriosa sic dependeret, nam gratia non destruit, sed perficit naturam; ergò in statu illo non fuisset hæc dependentia, quia nihil ibi est ponendum, nisi naturale, vel perficiens naturam, illa dependentia autem potiùs vilificaret naturam, & certè si hæc conversio est pœnalis, sicut est, cùm nulla alia ratio assignari possit, in statu innocentiæ nulla fuisset illius necessitas. IX. *In statu Innocentiæ non dependebat.*

Resolves secundò, quòd cùm Beatissima Virgo caruerit originali culpâ, non fuisse in ea necessariam hanc Conclusionem, tum quia hoc valde pium est credere, eò quòd in majorem Sanctæ Matris honorem & laudem cedat, neque constet de oppositio. Tum quia certum est beatissimam Virginem potissimos effectus Justitiæ originalis habuisse, Anima enim ejus perfectè Deo subjecta fuit & corpus Animæ, ac potentiæ inferiores superioribus.

QUÆSTIO II.

An Intellectus sit pura potentia passiva, an etiam activa & quomodo?

Godefredus olim negavit omnem activitatem intellectui, & etiamnum plures Thomistæ, ii nempe qui docent speciem intelligibilem I. *Plures Sententiæ.*

bilem esse totam rationem agendi intellectui. Henricus è contra ita putat intellectionem ab intellectu activè producente dependere, ut sit ejus causa totalis, imò nec à Deo producibilis. Verùm medio tutissimus ibo. Interim

II. *Intellectus est activus.*

Dico 1. *Intellectus in intelligendo non habet se præcisè passivè, sed etiam activè concurrit ad intellectionem.* Ita Doctor subtilis.

Probatur primò Authoritate D. Augustini lib. 9. cap. ult. ac alibi, ubi dicit, visionem & cognitionem ab objecto & potentia fieri. Item Conclusionem clarè docet lib. 6. Mus. cap. 5. ubi dicit: *Videtur mihi Anima, cùm sentit in corpore, non ab illo aliquid pati, sed in ejus passionibus attentiùs agere, & has actiones sive faciles propter convenientiam, sivè difficiles propter inconvenientiam non eam latere & hoc totum est, quod sentire dicitur: Agit porro, ut opinor luminosum aliquid in oculis, aëreum, serenissimum & mobilissimum in auribus, caliginosum in naribus, in ore humidum, in tactu terreum & quasi lutulentum. Agit hæc Anima cum quiete.* Et post pauca: *Hoc ergò genus taliter movere, nonne fatendum est facere esse, non pati? non igitur absurdè credimus motus suos Animam vel actiones, vel operationes, vel si quo alio nomine commodiùs significari possunt, non latere cùm sentit.* Item D. Bernardi tract. de vita solit. cap. 15. ubi ait: *Voluntas cogit memoriam ut proferat materiam, cogit etiam intellectum ad formandum quod profertur*, formare autem est agere.

Confirmatur ex Concilio Trident. Sess. 6. Can. 4. damnante dicentes liberum arbitrium per gratiam Dei motum & excitatum merè passivè se habere, sed liberum arbitrium consistet non modo in voluntate, sed etiam intellectu, ergò.

III. *Rationibus probatur intellectum esse activum.*

Probatur secundò ratione: Actus vitalis nequit totaliter à re non vitali produci, sed intellectio est actus vitalis, ergò: major patet, quia imperfectius nequit producere perfectius, nec enim dat aliquis quod non habet, sed actus vitalis est perfectior, ergò. Secundò, Potentia vegetativa producit suum actum vitalem, ergò etiam potentia intellectiva, nec enim debet denegari perfectiori, quod conceditur imperfectiori, si sint in genere eodem, ut sunt omnes potentiæ vitales. Tertiò, unus intellectus producit perfectiorem intellectionem, quàm alter etiamsi sit eadem species, vel idem objectum præsens, sed si intellectus se haberet tantummodo passivè, non esset ratio, quare unus præ alio intelligeret, quia causæ producentes sunt æquales, causæ receptivæ etiam, non enim requiritur tantum ad receptionem, quantum ad productionem: Et saltem sequeretur, quod unus non produceret intensiorem actum, quàm alter, quia intensio non est præcisè ex parte suscipientis, sed certum est, quòd unus intensiùs intelligat altero, etsi idem objectum sit præsens. Quod Confirmatur, quia ex pura receptione qualitatis connaturalis perfectivæ non læditur subjectum, sed propter magnum conatum potentiæ intellectivæ læditur aliquando sensitiva; ergò signum est eam valde intense egisse. Tandem si intellectus non ageret non posset discurrere, intentiones, præcisiones &c. formare, quia illa deberent formari ab alio, & ipsas intellectus recipere, & quia nulla est causa assignabilis, quæ illa produceret, ergò. Sed in Contra

IV. Arguitur: Intellectus est in pura potentia essentiali ante speciem vel habitum; ergò intellectus nihil agit. Respondeo distinguendo antecedens: Est in pura potentia essentiali non habens principium agendi nego antecedens; non habens principium completum & integrum agendi concedo antecedens, & nego consequentiam; quia intellectus cum objecto constituit unum completum & integrum agendi principium, unde objecto absente in se, vel in sua vicaria non est potens agere, sic contingit idem in aliis omnibus causis partialibus, & de ipsa voluntate & intellectu respectu suorum actuum supernaturalium, quos ante adventum habitum producere nequeunt. Sed

Instatur: Intellectus determinatur per objectum, vel speciem sicut materia per formam; ergò erit simpliciter potentia essentialis passiva ad suas intellectiones. Respondeo negando antecedens, quia licèt intellectus determinetur per objectum, non est tamen talis sicut est materiæ ad formam, quia hæc est simpliciter potentialitatis passivæ, sed determinatur per objectum veluti potentia indeterminata ad agendum ex sua indifferentia, & illimitatione ad hoc vel illud objectum, sicut solent determinari causæ universales per circumstantias locorum, subjectorum, temporum, ut patet de Sole. Aliqui arguunt ex Aristotele dicente: *Intelligere esse quoddam pati*, sed aiunt, quia per passionem dicitur formaliter fieri intelligens, non verò per solam productionem & activitatem. Nec urget etiam, quòd ageret aliquid in seipsum, hoc enim non est novum in causis æquivocis.

V. Dico 2. *Intellectus non est causa totalis respectu intellectionis, sed partialis tantùm, attamen magis principalis.* Est Scoti & D. Augustini lib. 9. Trinit. cap. ult. & 11. Trinit. cap. 5. ubi semper docet ex objecto & potentia gigni cognitionem, visionem, auditionem &c. unde ultimo loco citatus ait: *Visionis igitur illius, id est formæ, quæ fit in sensu cernentis, quasi parens est forma corporis ex qua fit. Sed parens illa non vera, unde nec ista vera proles est*: id est totaliter similis naturæ: *Neq; enim omninò unde gignitur, quoniam aliud adhibetur corpori, ut ex illo formetur, id est sensui videntis.* Ubi tam objecto, quàm visui tribuit rationem parentis respectu visionis, seu speciei expressæ, sed eadem est ratio de intellectu de quo ipse quoque idem clarè docet 15. Civit. cap. 12. *Tunc enim est verbum simillimum rei notæ de qua gignitur, & imago ejus, quoniam de visione scientiæ visio cogitationis exoritur.*

Probatur etiam ratione primò: Quia si intellectus & objectum non concurrerent simul, intellectio non esset similitudo objecti,

objecti, sed est, ergò: probatur major, quia non concurrens ad effectum aliquem non potest ei dare similitudinem aliquam, sicut patet examinanti. Secundò una intellectio non distingueretur specie ab alia, quia sola conditio non variat speciem, nec dat distinctionem, quod non dat esse, ergò. Unde etiam sequeretur omnes intellectiones fore æqualis perfectionis, imò si objectum unum esset nobilius & alterum minùs tale, posset intellectus suo conatu majore perfectiorem producere intellectionem circa objectum minùs nobile, quàm cum illo quod est magis nobile.

VI. *Est tamen magis principalis.*

Probatur secunda pars: Quia illa dicitur causa magis principalis, quæ est magis indeterminata & minùs limitata ad suos effectus producendos, sed intellectus est magis indeterminatus, & minùs limitatus, ergò. Verùm Doctor subtilis putat hoc verum esse de naturalibus cognitionibus, in visione enim beatifica, propter excellentiam objecti & modicam attingentiam, & activitatem intellectûs, censet eum esse magis dicendum causam minùs principalem nec ego puto inficiandum. Sed contra primam partem

VII. *Objectum potest partialiter concurrere.*

Arguitur: Intellectio est actio vitalis, ergò non potest produci à causa non vitali, quia nullum imperfectius producit perfectius. Respondeo distinguendo consequens non potest produci ab objecto partialiter nego, totaliter concedo; nam si quoque habitus concurrunt ad productionem actuum, qui tamen non sunt vitales, sic Sol concurrit cum Patre ad producendum hominem, nam non solus homo, sed Deus, Sol, & homo generat hominem, & tamen Sol non est tam perfectus ut homo, nam in causis partialibus, quod uni deest communicatur ab altera, nam in similibus dependet effectus totaliter ab utraque causa, non ab una.

VIII. *Utrùm totam attingit intellectionem.*

Instatur: Si intellectio dependeret ab objecto in ratione causæ, vel deberet in ipsa esse formalitas, quæ corresponderet objecto, & alia quæ intellectui, nempe specificatio objecto attribuenda esset, & vitalitas intellectui; vel deberet dici quòd non vivum attingeret vivum quorum primum falsum est. nam intellectio est actus simplicissimus consequenter & vitalitas & specificatio in eo idem sunt; alterum autem penitus durum est, quod non vivum det vitalitatem, quia nemo dat quod non habet, ut ipse dicebam supra. Ergò objectum nequit nec quidem partialiter concurrere, sicut nequit partialiter concurrere accidens ad producendam substantiam. Respondeo negando primam sequelam, quia quando duæ causæ partiales concurrunt ad aliquem, quælibet totum effectum attingit, non quomodocunque, sed totalitate effectûs, non verò totalitate causæ, unde quidquid producitur ab una, producitur etiam ab altera, nec uni assignatur aliqua formalitas, & alteri alia: Unde ad alteram sequelam dico, illud planè non debere videri durum, quia hoc habent particulare causæ subordinatæ, & intentionales, sicut nec est inconveniens quòd debilis homo integram dicatur navim traxisse, non totalitate causæ, sed effectûs, secus est de accidente, quia accidens nullo modo est causa respectu substantiæ, unde nec separata, nec conjuncta substantiæ, aliam producere possunt, & sunt activa sine dependentia unius ab altero, objectum autem non agit nec agere potest nisi cum intellectu.

Urgetur: Si objectum totalitate effectûs producit intellectionem, ergò poterit dicere intelligens, discurrens, sicut dicitur intellectus intelligere, discurrere, sed hoc est omnino inconveniens, ergò. Respondeo negando sequelam, quia nec intellectus dicitur intelligens præcisè, quia producit intellectionem, sed quia recipit, sicut non dicitur quis albus, quia dealbat, sed paries qui recipit albedinem. Quòd verò intellectio dicatur actio immanens non excludit activitatem objecti, quia sufficit, quòd maneat in una causa, eaque magis principali.

IX. *Intellectio in essendo magis assimilatur intellectui, quàm objecto.*

Arguitur secundò Contra secundam partem. Ea est causa principalior, quæ sibi magis assimilat effectum, quæque specificat & distinguit, & quæ aliam determinat & movet, sed hæc omnia competunt objecto, & non intellectui, ergò. Respondeo negando majorem, & primum patet, quia Deus, Sol, & homo producunt hominem, & tamen homo non assimilatur Deo, Soli, sed solùm homini, ut proinde Scotus dicat effectum non semper assimilari causæ principaliori sed magis inferiori, hinc etiam frequentius filii magis similes sunt matribus, quàm Patribus, imò dici potest etiam intellectionem magis assimilari intellectui, in essendo est enim spiritualis, vitalis, &c. quamvis in repræsentando sit magis similis, unde etiam dico, quòd ab intellectu magis possit acquirere distinctionem & specificationem quoad se, quamvis quoad extrinsecum magis specificetur ab objecto. Et tandem dico causam moventem esse perfectiorem, quæ movens præstat effectum & virtutem agendi, objectum autem non sic præstat virtutem agendi intellectui; objectum non movet intellectum ut moventem, & agentem, sed ut patientem & recipientem.

QUÆSTIO III.

Quotuplex sit intellectus, & quæ cujusq; munia?

I. *Opiniones authorum.*

Quia intellectus, Docente Phylosopho, ad initium est veluti tabula rasa in qua nullæ sunt imagines rerum depictæ, quas tamen vel per infusionem, ut volebat Plato & Avincenna, vel propriâ virtute ministerio sensuum acquirere debet, hinc quæritur, an in anima sit aliqua potentia, quæ sit effectrix specierum intelligibilium, quæ dicatur intellectus agens, vel an illas producat illa potentia, quæ dicitur intellectus Passibilis, & an is solus vel cum phantasmate tanquam causa partiali efficiente, vel tanquam materiali præbente intellectui sive agenti, sive passibili materiam & exemplar, ad cujus similitudinem intellectus producat sibi species, de quo dubio propter diversitatem sententiarum certè possum dicere quod habet D. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 8. *Species*

quomodo fabricatæ sint qui dicit, cùm appareat quibus sensibus raptæ sint, interiusq; reconditæ? Secundò dubitatur, an si intellectus agens producat species, an ille sit realiter vel formaliter distinctus à possibili? Ad primum

II. *Datur intellectus agens.*

Dico primò: *Datur in anima intellectus agens, qui veluti causa partialis & principalis cum phantasmate, altera causa partiali, producat species intelligibiles.* Ita communior, Scotus, & Recentiores.

Probatur prima pars primò: Ex authoritate D. Augustini in Expos. Psal. 72. ubi docet: *Esse vim quandam minuendi & augendi animæ insitam, quam quocunq; venerit necesse est afferæ secum.* Lib. 6. Mus. cap. 11. *Quod autem ex eo quod vidi facio, memoria facio, & tamen aliud est in memoria invenire phantasiam & aliud de memoria facere phantasmata, quæ omnia vis animæ potest.* Lib. 12. Gen. Litt. cap. 16. *Quamvis priùs videamus aliquod corpus, quod ante non videramus, atq; inde incipiat imago esse in spiritu nostro, quo illud, cum absens fuerit recordemur, tamen eandem ejus imaginem non corpus (solum) in spiritu, sed ipse spiritus facit celeritate mirabili, quæ ineffabiliter longè est à corporis tarditate.* In quibus omnibus locis clarissimè tribuit intellectui vim faciendi imagines rerum de memoria, phantasmata seu species de phantasia, ergò.

III. *Ratione id probatur primò.*

Probatur eadem pars ratione primò. Dantur species rerum intelligibiles non infusæ, sed ministerio sensuum acquisitæ, sed hæ acquiri non possunt nisi per intellectum aliquem agentem, & producentem illas, ergò: major patet ex communi consensu, & infra probabitur magis: probatur minor, quia hæc productio speciei nequit competere soli phantasmati, quia ut supra dixit D. Augustinus *imaginem in spiritu non producit corpus*, & materiale in spirituale agere & producere nequit; nec etiam potest producere solum objectum externum ob eandem rationem; nec intellectus possibilis, quia hic est operativus tantùm, potentia autem operativa supponit subjectum concurrens dispositum, disponitur autem quando de ordine materialium transfertur ad ordinem intelligibilium, ergò debet aliqua esse potentia, quæ præparet objectum abstrahendo species, qui alius non est quàm intellectus agens, ergò. Ubi pro majori intelligentia, de quo infra, coptosior erit sermo, Nota intelligere nec est formaliter agere, nec formaliter recipere intellectionem, sed per intellectionem operari & vitaliter tendere in objectum, & hoc commune habet intellectus noster cum omnibus aliis potentiis vitalibus, particulare autem quòd primò debeat sibi disponere objectum, si illud sit materiale, & quamvis tres priores actus possint convenire intellectui possibili, disponere tamen præcisè pertinet ad intellectum agentem sive realiter, sive formaliter, aut nullatenus distinguatur.

IV. *Probatur secundò.*

Probatur secundò eadem pars: Illa natura rationalis, quæ habet pro objecto aliquod universale, habet intellectum agentem, sed intellectus noster habet pro objecto aliquod universale, ergò: Probatur minor, quia nullum objectum potest esse adæquatum intellectui nostro, quod in se non continet omnia ab eo intelligibilia virtualiter vel eminenter, sed nulla res singularis creata continet sic omnia, ergò: Probatur modò major principalis argumenti, quia universale per prædicationem extenditur ad omnia cognoscibilia tam materialia quàm immaterialia, sed materialia non sunt intelligibilia, nisi in potentia, & quando fiunt intelligibilia in actu, fiunt talia per abstractionem, abstractio autem sit per intellectum agentem, ergò ab ultimo ad primum intellectus habens objectum universale habet intellectum agentem.

Et hæc ratio non modò probat defacto debere admitti intellectum agentem, sed & in anima separata & in Angelis.

Probatur secunda pars primò: Authoritate D. Augustini lib. 11. Trinit. cap. 9. sic loquentis: *In hac distributione cum incipimus à specie corporis & pervenimus ad speciem, quæ in contuitu cogitantis, quatuor species reperiuntur, quasi gradatim natæ altera ex altera, secunda de prima, tertia de secunda, quarta de tertia. A specie quippe corporis quòd cernitur exoritur ea, quæ fit in sensu cernentis & hac ea quæ fit in memoria, & ab hac ea, quæ fit in acie cogitantis.* Ubi clarè tribuit uni speciei & phantasmati alterius & speciei intelligibilis productionem, sed non soli veluti causæ totali, ut supra visum est, ergò ut causæ partiali.

Probatur etiam ratione primò: Quia ideo dicitur objectum concurrere ad productionem speciei expressæ & intellectionis veluti parens & causa partialis ex D. Augustino, & communi consensu, quia est *similitudo* repræsentativa objecti, sed etiam species impressa est similitudo phantasmatis, ergò etiam debet partialiter concurrere. Secundò, quia non est assignabilis melior concurrendi ratio, & modus, ergò: probatur antecedens, quia esset vel per modum instrumenti, vel per modum causæ materialis circa quam, aut ex qua, vel per nudam assistentiam; neutrum est, ergò: probatur, non per modum instrumenti, quia in instrumento nulla correspondet in effectu tali similis formalitas, sicut respondet phantasmati formalitas similitudinis; nec etiam per modum causæ materialis *ex qua*, quia causa quæ sic concurrunt ad eductionem formarum sunt similes earum receptivæ; nec *circa quam*, quia intellectus agens operatur tantùm circa possibilem: Nec denique per solam & nudam assistentiam, quia sic possemus etiam dicere objectum tantùm concurrere per assistentiam ad productionem intellectionem, & omnes causas secundas tantùm assistere, ut Deus producat earum effectum, quod est tollere causalitates ex universo. Sed contra conclusionem sic

Arguitur I. Nullus datur sensus agens, nec datur voluntas ulla agens, ergò nec debet dari intellectus agens ad producendas species. Probatur consequentia, quia ideo non datur sensus agens, &c. quia objecta sensuum sunt actu per se perceptibilia & objectum voluntatis de se actu volibile, sed etiam res ipsæ sunt de se

de se actu intelligibiles, ergò non indiget sensu agentis. Respondeo negando consequentiam, minorem probationis distinguendo res materiales sunt intelligibiles nego: spirituales concedo; distinguo etiam consequens, ergò non debet poni intellectus agens quando objectum est actu intelligibile, concedo; quando est solùm potentiâ nego consequentiam. Itaque quia objecta sensuum semper sunt actu intelligibilia, utpote cùm sint proportionata potentiis & in eadem linea rerum possunt ipsa producere totaliter suas species, & facere se actu intelligibilia. Similiter quidquid est actu intellectum jam sufficienter est proportionatum ad voluntatem, consequenter in voluntate nulla agens admitti debet, sed non omne objectum est actu intelligibile, consequenter primò per aliquam potentiam transferri debet de ordine intelligibilium potentiâ, ad ordinem intelligibilium actu.

VII. *Phantasma non sufficit.*

Instatur: Ut fiat actu intelligibile non requiritur potentia aliqua, ergò: probatur antecedens, quia potest facere tale phantasma: probatur tum quia objecta alia producunt suas species; tum quia nihil impedit; si enim quid esset, maximè quòd species esset perfectior, sed hoc non est, ergò: probatur minor, quia species est accidens, objectum est substantia, ergò poterit ipsa producere speciem suam. Respondeo negando antecedens cum sua probatione, ejus primam probationem distinguo, objectum producit suas species quando est rationis, & quasi ordinis ejusdem concedo; quando diversi nego. Ad secundam dico, omnino perfectionem obstare, sed non hæc, quia secundùm hanc adhuc conveniunt sub aliquo genere, sed secundùm aliam, secundùm quam toto genere differunt, nempe spiritualitatis, materiale enim & spirituale toto differunt genere.

VIII. *Causa partialis potest concurrere ad producendum perfectum.*

Arguitur secundò: Probando phantasma non posse concurrere efficienter. Nullum imperfectius potest producere perfectius nec in virtute propria, nec in virtute aliena, ut patet de calore & accidente, quod neque secundum se, nec cum substantia habet virtutem producendi substantiam, sed phantasma est imperfectius specie spirituali, ergò. Respondeo distinguendo: Nihil imperfectius potest producere perfectius sicut causa totalis vel partialis principalis concedo majorem; sicut partialis, eaque minùs principalis nego majorem. Nec tamen dici potest quòd eodem modo posset accidens ut causa minùs principalis partialis producere substantiam, quia tunc solummodo colligimus aliquid posse concurrere etiamsi sit imperfectius ut causa partialis, quando in effectu correspondet aliqua formalitas, quæ præcisè alteri non correspondet, in substantia autem nulla est formalitas, quæ correspondeat accidenti ut alicui causæ, & non respondeat ipsi substantiæ, quia nulla est ibi præter rationem entis & hæc tam in substantia quàm accidente invenitur, secùs autem est de specie, in ea enim reperitur spiritualitas, quæ tantùm correspondet intellectui, & reperitur similitudo, quæ tantùm correspondet phantasmati. Sed

Instatur: Quando duæ causæ partiales concurrunt effectus sequitur partem debilioris causæ, sed phantasma est debilius intellectu, ergò deberet sequi ejus partem & consequenter esse materialis, cùm tamen dicatur species esse spiritualis. Respondeo distinguendo majorem, sequitur partem debilioris causæ quoad entitatem suam nego, quoad similitudinem concedo majorem, minorem, & distinguo similiter consequens, & nego secundam consequentiam: Tum quia illud principium tantùm currere in syllogismo, in aliis autem causis sequitur assimilatio ad causam proximiorem; tum quia species in essendo magis assimilatur intellectui, in repræsentando verò phantasmati. IX. *Effectus quoad similitudinem sequitur debiliorem causam.*

Dico 2. *Intellectus agens & passibilis non distinguuntur realiter, sed formaliter solum, non tamen in eo rigore sicut intellectus ab ipsa voluntate.* Ita Mastrius. Patet prima pars ex dictis; X. *Intellectus agens & passibilis non distinguuntur stricte formaliter.*

Probatur secunda pars, quia habent diversum operandi modum, ergò. Tertia pars probatur, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. ergò.

Dico 3. *Intellectús agentis munus est cum objecto materiali, vel phantasmate producere species; intellectus verò passibilis est recipere eadem species, ac illis uti.* Probatur, quia non sunt assignabilia alia officia quæ præstare deberent, ergò: probatur antecedens, si esset aliquid aliud maximè illuminare phantasmata, & objectum sensibile, illudque reddere intelligibile, sed illa illuminatio non est quid distinctum à productione speciei intelligibilis, ergò: probatur minor, ex D. quodl. 15. §. Si verò: ubi dicit intellectum agentem se habere ad phantasmata sicut lumen ad colores, atqui lumen ad colores ita se habet, quòd ubi in tenebris delitescentes species visibiles transmittere nequeant ad oculum, postea cum lumine transmittant & immutent, ergò sicut illuminatio colorum per lumen non est distincta à productione speciei visibilis, ita illuminatio phantasmatum non est distincta à productione speciei intelligibilis. Secunda pars autem per se patet. Hinc colligo intellectum agentem non esse causam totalem speciei intelligibilis, sed sensum internum etiam Physicè concurrere, quia certum est intellectum non posse producere unam speciem potiùs, quàm aliam, nisi determinetur ad hoc à phantasia, sed non potest explicari bene quomodo phantasia determinaret nisi concurrendo Physicè, ergò sic concurrit: quod confirmatur ex illo Augustini *ex objecto & intellectu pari notitiam.* XI. *Munus intellectus agentis & possibilis.*

Dices: Posse determinare solummodo proponendo sicut voluntas per intellectum determinatur. Contra, quia voluntas & intellectus sunt realiter identificata & eo ipso quo intellectus intelligit objectum, voluntas etiam illud realiter intelligit, phantasia & intellectus verò sunt potentiæ realiter distinctæ, nec ex eo, quòd phantasia intelligat, intelligit intellectus, vel realiter, vel formaliter. XII.

Collige secundò: Intellectum passibilem, seu patientem dici talem, non quòd

non

non agat producendo effectivè cognitionem tam bene, quàm intellectus agens agit producendo speciem intelligibilem, sed quòd intelligat formaliter per receptionem cognitionis in se.

XIII. *Intellectus agens manet in anima separata.* Quæres: An intellectus agens maneat in anima separata & Angelo? Quæsitum hoc supponit in Angelo dari intellectum agentem, quod probatur, pro nunc breviter, fusiùs in proprio loco in Metaphysica, quia objectum materiale non magis est sufficiens in intellectu Angelico producere species quàm in humano. Et licèt nunc haberet omnes species infusas, ut volunt Thomistæ, contra quos hic agimus, id tamen non arguit, quin si relinquerentur suis viribus habeant eandem facultatem. Hoc supposito Respondeo affirmativè. Probatur, quia aliàs nec Angeli, nec Animæ separatæ possent intelligere res absentes, præteritas, aut futuras nihil enim posset eos ad hoc determinare, nisi ponantur in illis species, sed si ponantur in illis species debet poni aliqua causa productiva earum ex parte Angeli & Animæ, illa verò causa est intellectus agens, ergò habent.

XIV. Dices: Ipsa objecta posse determinare illos tanquam causæ totales, ergò. Respondeo, licèt fortè id verum esset de objecto spirituali, non verò quando objecta sunt materialia, materiale enim nequit esse causa totalis formæ spiritualis.

Instatur: Sed Angeli aut animæ separatæ nec quidem possunt acquirere species rerum materialium, ergò adhuc frustra ponitur in illis agens intellectus; probatur antecedens subsumpti, quia res materiales non possunt determinare intellectum, nisi mediantibus phantasmatibus, quæ nec in Angelo, nec in anima separata sunt. Respondeo negando antecedens, & probationem, sicut enim ipsamet phantasmata, licèt materialia sunt, possunt intellectum determinare ad suam speciem spiritualem, ita etiam res corporales absque phantasmatibus hoc facere possunt.

QUÆSTIO IV.

Quodnam sit adæquatum objectum intellectûs nostri?

I. *Aliud est objectum motivum, aliud terminativum.* Certum est omne illud esse objectum intellectus nostri, quod quavis ratione est conceptibile, ut sunt Deus, Creaturæ, Universalia, Singularia, Res spirituales, & materiales, entia, non entia, substantiæ & accidentia, realia & rationis, quando enim dicimus, Chymæra est ens rationis, aliquod objectum hujusmodi apprehendimus; difficultas ergò est de objecto adæquato, juxta sensum illum, quo quæritur de scientiis totalibus, quod nam ex pluribus objectis quæ attingunt, sit objectum adæquatum earum. Pro quo notandum primò duplex communiter objectum assignari, unum scilicet *motivum*, quod movet intellectum ad intellectionem, & terminat eandem; alterum *terminativum*, quod solùm terminat intellectionem, & non movet ad illam. Secundò intellectum habere posse in statu separationis objectum, quod latiùs pateret, quàm in statu conjunctionis. Tertiò potest habere objectum, quod sit naturalis attingentiæ, & etiam aliud quod supernaturalis attingentiæ, ut patet ex D. Bernardo tract. de vit. solit. cap. 15. *Intellectu quidem idem ipse est, qui quocunque, seu in bonum, seu in malum applicitus fuerit, naturaliter viget, sed alium invenitur sibi relictus, alium agratia illuminatus.* De primo hic quæritur. Unde

II. Dico 1. *Objectum adæquatum intellectûs nostri est ens communissimè sumptum sub ratione entis, & non sub ratione veri.* Ita Doctor 1. d. 3. q. 3. & q. 26. de anima.

Probatur prima pars authoritate SS. Patrum Augustini lib. 33. qq. q. 31. *Intelligentia est per quam ea prospicit animus quæ sunt.* Et q. 32. *Objectum intelligentiæ quæ res.* Et lib de duab. an. cap. 5. *Quidquid est, intelligibile est.* Bernardi, qui per totum lib. 5. de consideraț. non solùm Deum sed & Angelos contemplatur, & considerat non solum per sidem, sed etiam per scientiam cap. 4. enim ait de Angelis: *Porrò intellectu prædutos non fide, non opinione sed intellectu capimus, quia non possent hujus expertes & Dei simul participes esse.*

Probatur secundò. Quia ens communissimè sumptum comprehendit omnia prorsus intelligibilia sub aliqua ratione, vel tanquam species, vel tanquam modos, aut differentias, vel tanquam proprietates & accidentia, vel tanquam aliquid sibi & suis speciebus oppositum, ergò ens communissimè sumptum erit objectum adæquatum.

Probatur secunda pars, quia intellectus non omnia entia attingit solùm sub ratione veri, sed etiam sub ratione unitatis, multitudinis, bonitatis, & malitiæ, ut experientiâ constat, ergò non potest esse sub ratione veri. Confirmatur, quia non est ratio, quare potiùs non debeat esse sub ratione boni, aut unius, quàm sub ratione veri, quam omnes istæ sint proprietates entis, quia tam bene intelligimus objecta sub ratione boni, unius, ac veri, ergò non sub ratione veri, sed sub ratione entis erit objectum adæquatum.

Dices: Objectum voluntatis est ens bonum, ergò objectum intellectûs erit ens verum, & non ens ut sic. Respondeo distinguendo consequens erit objectum intellectûs, ipsius licet assensûs concedo consequentiam; prout abstrahit ab illo, nego consequentiam.

Arguitur: Si ens ut sic esset objectum adæquatum intellectûs, posset intellectus omnia intelligibilia comprehensa sub ente ut sic intelligere, & quidem tam distinctè, quàm cognoscit ens ut sic distinctè, sed hoc nequit dici, aliàs posset etiam Deum naturaliter cognoscere cognitione certâ & distinctâ. Respondeo negando majorem, quia licèt potentia possit ferri in rationem aliquam superiorem, qualis est ratio entis, naturaliter clarè & distinctè, tamen potest aliqua res contenta sub illa ratione superiori tantæ esse perfectionis, ut si debeat distinctè cognosci, non possit, nisi per aliquod auxilium supernaturale.

Insta-

Disparitas de sensibus.

Instatur: Sensus externi possunt naturaliter cognoscere quodcunq; objectum contentũ sub suo objecto adæquato; ergò & intellectus à pari. Respondeo negando consequentiam, disparitas est, quâ sensibus externis non competunt diversi status attingentiæ objecti, sicut competunt intellectui. Si autem oculus potest videre Deum, ut dicunt aliqui, ad hanc tamen visionem eliciendam necessariò requiret auxilium supernaturale, & sic Deus non continebitur sub objecto oculi adæquato naturaliter attingibili.

V. *Quidditas rei materialis non est objectum adæquatum motivum.*

Dico 2. *Quidditas rei materialis non est objectum adæquatum motivum intellectûs nostri pro hoc statu, sed ens sensibile ut sic, comprehendens omnia quæ apprehendi possunt per sensus externos.* Ita D. Augustinus Epist. 12. 11. Trin. 10. &c. ac tandem lib. 6. Musc. 11. ubi ait. *Arbitror tamen quod si humana corpora non vidissem, nullo modo possem ea visibili specie cogitando figurare.*

Probatur prima pars, si quidditas rei materialis esset objectum adæquatum motivum intellectûs pro hoc statu, id deberet præstare per speciem impressam, sed nullam immittit talem speciem impressam, ergò: probatur minor, quia si substantia materialis produceret speciem in intellectu nostro, intellectus quoque cognosceret in Eucharistia absentiam ejus, sed non cognoscit; ergò non producit sui speciem. Probatur major, quia visus verè cognoscit absentiam cujuscunq; coloris, aut lucis eò, quòd non producat speciem; ergò dum est præsens deberet intellectus eam cognoscere & quando non est præsens etiam absentiã ejus cognosceret.

Probatur secunda pars, quia illud solum est adæquatum objectum motivum intellectus nostri, sine cujus ratione non potest moveri ad intelligendam ullam rem pro hoc statu, sed tale est Ens sensibile, ergò: probatur minor experientia, intellectus pro hoc statu ita dependet à phantasmatibus ut nisi moveatur ab illis, nil prorsus intelligere possit; ergò sine illo nequit moveri, sine quo nequit habere phantasmata, sed nisi sensibile moveret potentiam externam, nullum dabitur phantasma internum, ut patet experientia; ergò ens sensibile ut sic erit objectum adæquatum motivum intellectûs pro hoc statu.

VI. Nota autem, quando dico objectum adæquatum intellectûs esse sensibile ut sic, sensum esse, quòd nullum sit sensibile, quòd non posset movere intellectum modo in probatione explicato, & quòd intellectus non posset moveri ad intellectionem alicujus absque motione aliquâ præterita, vel præsenti Entis sensibilis.

VII. *Arguitivè cognoscit substantiam.* Arguitur: Intellectus cognoscit non solùm accidentia sensibilia, sed etiam subjectum ejus quod est substantia, ergò objectum motivum erit quidditas, seu substantia materialis. Respondeo distinguendo antecedens, cognoscit subjectum per speciem propriam ipsius, nego antecedens, arguitivè concedo, potest enim discurrere ex propria cognitione accidentium acquisita per eorum species proprias, & sic formare conceptum substantiæ proprium.

Instatur: Intellectus est capax speciei substantiæ; ergò poterit ipsi repræsentari substantia per speciem propriam. Respondeo distinguendo antecedens, est capax secundùm se concedo antecedẽs; pro hoc statu nego antecedens; nam pro hoc statu nõ est capax nisi specierum rerum phantasibiliũ, res autẽ phantasibiles sunt solæ res sensibiles, qualis non est substantia.

Quæres: Utrùm intellectus cognoscat singularia? Cui quæstioni respõdeo Conclusione &

VIII. *Intellectus cognoscit singularia.*

Dico 3. *Affirmativè, non tamen ita distinctè cognitione, ut unum possit distinguere ab omnibus aliis possitiis.* Probatur prima pars, intellectus corrigit sensum circa singulare determinatum; ergò ipse per se cognoscit illud, consequentia est certa, quia potentia non potest corrigere nisi cognoscat errorem. Confirmatur, quia intellectus discurrit & facit propositiones de subjecto singulari, ergò cognoscit singulare: probatur consequentia, quia sensus non potest componere talem propositionem, quia non cognoscit prædicatum universale; ergò erit intellectꝰ & utrumq; cognoscet universale & particulare. Probatur secunda pars, quia nullũ conceptũ interiorẽ habemꝰ de albedine quã videmꝰ sensu externo, nec Petro v.g. aut Paulo, qui quantùm ad experientiam nostrã non esset omninò similis conceptui quẽ haberemus de alia albedine, vel alio individuo humano ejusdem magnitudinis, figuræ, intensionis, ac cæterarũ conditionũ quẽ Deus posset facere, ergò nõ possumꝰ habere conceptũ distinctũ de ullo individuo sub ratione sua propria

IX. *Explicatur Aristoteles.*

Opponitur authoritas Aristotelis 2. de Anima dicentis, intellectum esse universalium & sensum singularium; ergò ex mente Aristotelis intellectus nõ percipit singularia. Respondeo Aristotelem non loqui exclusivè, sed vult tantùm, quòd sensus sola singularia, & intellectus præter singularia, intelligat universalia.

Instatur: Nullum materiale est actu intelligibile, sed tantùm potentiâ, ergò ut singulare materiale sit intelligibile, debet abstrahi à materia, & consequenter à singularitate, respondeo distinguendo primum consequens, debet abstrahi à materia, quatenus debet habere esse intentionale in sensibus externis ac internis concedo consequentiam, quatenus non debet concipi, ut singulare, nego consequentiam.

QUÆSTIO V.

Quodnam sit primum cognitũ ab intellectu?

I. *Status quæstionis.*

Totius hujus quæstionis resolutio dependet à notitia & intelligẽtia ipsius, unde hìc tantùm quęro, dum una res cognoscitur, de qua plures conceptus formari possunt, v. g. de Petro, quatenus est Ens, & quatenus est substantia, & quatenus animal, & quatenus homo, & quatenus Petrus, seu individuum, quidnam ex his conceptibꝰ subordinatis priùs intelligatur, idq; tam cognitione distinctâ, quàm confusâ? hìc autem vocatur cognitio distincta ea, quâ cognoscitur res ut includens suas partes essentiales, qualis est cognitio, quâ cognoscitur homo ut constans animalitate & rationalitate, cognitio verò confusa rei est quâ cognoscitur imperfectiùs, quàm hoc modo, sic scilicet, ut licèt cognoscatur aliquâ ratione, non cognoscitur tamen secundùm suas partes essentiales, aut intrinsecas. In hac materia tres reperio sententias:

Prima est Thomistarum asserentium universalissima primò cognosci. Secunda, singularia priùs à nobis cognosci, ita Durandus & Occham. Tertia Scoti & suorum cum distinctione, ita scilicet, ut

II. *Species infima primò confusè cognoscitur.*

Dico 1. *Species infima confusè primò cognoscitur ab intellectu nostro pro hoc statu.* Est communis Scotistarum & quorundam Recentiorum.

Probatur primò ratione Scoti in 1. d. 3. q. 2. Quælibet potentia naturalis non impedita agit secundùm ultimum posse, adeoq; producit perfectissimum effectum quem potest producere, atqui perfectissimus effectus quem potest producere intellectus noster (loquendo de notitia confusa) est cognitio speciei specialissimæ; ergò illam cognitionem primò producit; major patet, quia alioquin causa naturalis determinaret seipsam ad agendum, quod proprium est causæ liberæ: minor probatur, quia cæteris paribus quantò objectum est perfectius, tantò & actus, qui versatur circa illud, minus autem universale est perfectius, quàm magis universale suum, ergò.

III. **Probatur secundò:** Si priùs cognosceretur magis universale, deberet longum tempus intercedere, antequam speciem cognosceremus, primò enim deberet gradus generalissimus cognosci Ens, verbi gratiâ, & sic semper minus & minus universale, donec tandem ad speciem perveniretur, hoc autem est contra experientiam. Denique accidens sensibile primò producit speciem totius suæ essentiæ repræsentativam, nam species albedinis non repræsentat colorem in genere; ergò etiam intellectus primò cognoscit totam essentiam albedinis, quæ est species specialissima; jam sic subsumo: atqui accidentia perfectè cognita primò determinant ad notitiam substantiæ specificæ; ergò etiam in substantiis species specialissima est primum cognitum. Ubi tamen nota Conclusionem sic intelligendam de eo, quod per se natum est fieri, nam per accidens potest contingere, quòd aliquando majus universale priùs cognoscatur, si videlicet aliquid desit ex parte medii, vel organi potentiæ sensitivæ, vel objectum nimium distet, sic homo à longè, vel per tenebras visus apprehenditur tanquam corpus, posteà animadverso motu tanquam animal & demum tanquam homo, melius perceptis accidentibus, sic etiam pueri initio omnes viros vocant patres & fœminas matres, teste Aristotele, quia non habent organum memoriæ satis benè dispositum, ut conserventur species accidentium hujus hominis.

IV. *Quomodo Natura procedat ab imperfectioribus.*

Arguitur: Natura paulatim procedit ab imperfectioribus ad perfectiora, ut docet Aristoteles 7. Met. 4. 15. ergò falsum est, quòd primò producat perfectissimum effectum, quem potest producere. Respondeo negando consequentiam, antecedens enim hunc habet sensum, quòd dum causæ naturales habent aliquod impedimentum, ne possint simul suum totum effectum producere vel propter resistentiam contrarii, vel quia imperfectior est dispositio prævia necessaria ad effectum perfectiorem, prout contingit in organizatione & informatione fœtûs, tunc paulatim procedit natura ad perfectiora, non autem quando nullum est impedimentum, prout contingit in illuminatione Solis & cognitione intellectûs.

Instatur: Potentia priùs fertur in objectum suum adæquatum, quàm in particulare, ergò priùs in Ens, quàm in speciem infimam fertur intellectus. Respondeo negando antecedens, nam sensus, verbi gratia, auditûs non potest in rationem communem, seu universalem sonifert, nec oculus rationem communem coloris & luminis cognoscere, adeoq; nec primò hoc potest intellect⁹, quia pro hoc statu illud cognoscit primò, quod primò à sensu est repræsentatum.

Urgetur: Illud principium quodlibet est, vel non est, primò est obviũ intellectui atqui hoc constat terminis universalibus; ergò intellectus primò apprehendit magis universalia. Respondeo distinguendo majorem, illud principium est primò obvium ordine accuratæ doctrinæ tanquam naturâ notius, concedo majorem; ordine inventionis statu nostro, nego majorem, hoc enim ordine notius est, homo ambulat, vel non ambulat.

Dico 2. *Notitiâ distinctâ priùs cognoscitur magis universale, quàm minùs universale.* Est Doctoris &

Probatur: Illud priùs est cognoscibile notitiâ distinctâ (cæteris paribus) quod pauciora includit penetranda, & sine quo aliud distinctè percipi non potest, atqui talia sunt magis universalia, quæ sunt simpliciora, & in minus universalibus tanquam partes Metaphysicæ includuntur; ergò magis universalia sunt priùs cognitâ notitiâ distinctâ, hinc est quod in scientiis, in quibus notitia distincta tradenda est incipiatur ab universalibus juxta doctrinam Aristotelis, primò Physicorum, quia definitiones, vel divisiones objecti haberi non possunt nisi priùs gradus universales cognoscantur. Ex quo confirmatur Conclusio, notitia distincta minùs universalis haberi non potest sine notitia distincta magis universalis; ergò notitia distincta minùs universalis est posterior notitiâ magis universalis, quia id quod dependet ab altero, est posterius illo.

QUÆSTIO VI.

An dentur species intelligibiles?

Sicut species, quibus cognitio sensitiva fit sensibiles vocantur, sic eæ quibus intelligit intellectus intelligibiles dicuntur, unde hic principaliter quæritur, an tales dentur? Et quidem olim Themistius & Theophrastus, & nunc Durandus, Henricus, Godefredus &c. negarunt omninò dari species intelligibiles: Avicenna eas quidem admisit, sed eas solummodo tamdiu manere quamdiu actu intelligit potentia, asseruit lib. 6. Natural. c. 6. exemplificat rem à pari de visu, in quo non manent species visibiles nisi manente præsente visibili. Verùmtamen

Dico primò: *Pro cognitione abstractiva admittendæ sunt species intelligibiles.* Ita communior modernorum Theologorum & Philosophorum.

Et Probatur Authoritate SS. Patrum, Augustini tum supra, & lib. 12. Gen. Ita

litt. cap. 6. dicentis: *Homo vel arbor, vel Sol, vel quæcunq; alia corpora, sive cœlestia, sive terrestria, & præsentia videntur in suis formis, & absentia cogitantur imaginibus animo impressis, & faciunt duo genera visionum, unum per corporis sensum, alterum per spiritum, quo illæ imagines continentur.* Lib. 10. Confess. cap. 8. 9. 10. docet, non res ipsas, sed imagines rerum esse in memoria, ac cap. 11. ait: *Nam cùm aliquid oculis cernitur continuò fit imago ejus in spiritu, sed non dignoscitur facta, nisi cùm ablatu oculis ab eo, quod per oculos videbamus, imaginem ejus in anima invenerimus*: tandem 11. Trinit. cap. 2. ait: *Ratione colligimus nequaquam nos potuisse sentire nisi fieret in sensu nostro aliqua similitudo conspecti corporis, tardioribus ingeniis difficillimè persuaderi potest.* D. Bernardi lib. 5. de Consid. cap. 1. ubi habet hæc: *Unde nec medium requirit ad ea corporis sensum, sensu ipsa sibi seipsa sentiens. Optimum videndi genus si nullius egueris, ad omne quod nosse volueris te contentus*, loquitur de visione in statu separationis & Patriæ in qua nullum dicit esse nostrum medium, medium tamen tale esse necessarium nunc, quod vocat alibi rerum imaginem. Item clarè veritatem hanc habet Serm. 6. in Ps. 90. ubi sic ait: *Sed miranda prorsus & miseranda humanarum conditio Animarum, quæ licèt tam multa foris ingenii vivacitate percipiant, semetipsas tamen sicut sunt, nec esse, aut cogitare sufficiunt, sed egeant omninò figuris, & ænigmatibus quibusdam corporearum similitudinum, ut ex visibilibus & exterioribus possint vel aliquatenus invisibilia atq; interna cognoscere.*

III. *Prima ratio ex recordatione.*

Probatur secundò Rationibus: Prima quæ est fortissima, quia recordamur frequenter præteritorum, quæ recordatio est actus intellectûs, sed talis fieri nequit per solum intellectum, quia hæc est solummodo causa partialis, nulla autem causa partialis agere potest sine sua concausa, quæ essentialiter est subordinata; ergò nec intellectus, ergò debet etiam tunc aliquid ulterius concurrere; subsumo, sed non ipsum objectum, quod est vel absens, vel præteritum & destructum; ergò aliquid supplens ejus vices, quod aliud esse nequit, quàm species, ergò.

Dices: Actus fieri, vel per memoriam sensitivam, vel per habitus causatos ab actibus. Sed Contra nam in Anima separata nulla erit memoria sensitiva, & tamen recordabitur, ut patet ex Evangelio de divite Epulone Lucæ 16. cui Abraham dixit: *Recordare fili, ergò.* Ad secundum dico, quòd species sint & teneant ex parte objecti, adeoq; habitus supplere non possunt ejus vices, qui se tenent ex parte potentiæ. Deinde de quolibet actu possum habere recordationem, non possumus autem de quolibet habere habitum. Deniq; si admittatur habitus, cur non etiam species?

IV. *Alia ratio ex ipsum.*

Probatur secundò: Ita se habet Intellectus respectu sui objecti, sicut sensus respectu sui, sed sensus recipit speciem sui objecti; ergò & intellectus.

Probatur tertiò: Nulla potentia indeterminata ad operandum in se, potest aliquid operari, nisi in se determinetur, sed intellectus est indeterminata potentia ad hoc vel illud intelligendum; ergò priùs in se debet determinari, talis autem determinatio non potest fieri nisi per speciem.

Dices: Intellectum tunc determinari per speciem, aut sensationem sensûs communis, ergò. Respondeo negando antecedens, quia species illæ non recipiuntur in intellectu, nam accidens unum non potest naturaliter migrare de uno subjecto in aliud; ergò species seu sensatio sensûs interni determinat intellectum producendo in ipso partialiter aliquid, sed non aliud quàm speciem intelligibilem.

V.

Probatur quartò: Phantasma non repræsentat nisi singulare, & consequenter non concurrit nisi ad cognitionem singularis, sed intellectus non tantùm singulare, sed & universale, & universalissimum intelligit, intelligit enim Ens quâ Ens, & cùm non sit sibi præsens in seipso, nec secundùm se habeat phantasma, necesse est dari illi speciem intelligibilem Entis.

VI. *Volitio non est imago objecti sicut intellectio.*

Arguitur primò: Voluntas non indiget speciebus ut operetur; ergò nec intellectus à paritate. Respondeo negando consequentiam, disparitas est, quia actus intellectûs cùm sit imago naturalis objecti, & ab ipso objecto partialiter produci non possit, debet saltem ab aliquo objecto ipsi simili taliter produci, secus autem est de voluntate.

Instatur: Si species impressæ intelligibiles essent in intellectu, actu semper cognosceret objecta illarum, sed hoc est falsum, ergò. Respondeo negando minorem, quia licèt in intellectu dentur tales species, & quòd intellectus simul cum illis sit causa adæquata cognitionis objecti, tamen rapitur ad cognoscenda alia objecta, quorum fortiùs impressas habet species. Deinde aliquando est species in oculo, & tamen non videtur, quia deest advertentia, ita posset dici de intellectu.

VII. *Species non prius cognoscitur quia est ratio cognoscendi non cognita.*

Arguitur secundò pro Durando: Si daretur species impressa sequeretur, quòd illa priùs tempore, vel naturâ deberet cognosci, quàm objectum, sed hoc est falsum, ergò: Probatur sequela, ista species se habet objectivè ad intellectum, agit enim vices objecti, vel est ipsum objectum, sed quod tale est, est priùs cognitum vel cognoscibile; ergò species sic esset. Respondeo negando sequelam, cujus probationis minorem distinguo, quod est tale, seu quod gerit vicem objecti, est priùs cognitum vel cognoscibile, si sit ratio cognoscendi cognita concedo; si sit ratio cognoscendi non cognita, nego minorem & consequentiam. Itaque species gerit vicem objecti, non *ut quod*, sed *ut quo*, id est, non est *quod* cognoscitur, sed *quo* cognoscitur aliud, adeoq; non priùs cognoscitur, quàm aliud, cujus est species. Et dato, quòd etiam cognosceretur, tamen cognoscitur priùs, non in ordine ad se, sed ad aliud & sic etiam non priùs cognoscitur, quia non terminatur cognitio ad speciem, sed ad objectum. Verùm

Instatur: Species est imago objecti, sed imago priùs cognoscitur, quàm res imaginata, ergò. Respondeo distinguendo minorem, imago priùs cognoscitur, imago, quæ est ratio cognoscendi

cognoscendi cognita concedo minorem; quæ est ratio cognoscendi non cognita nego minorem & consequentiam.

VIII. *Ad faciendam cognitionem distinctam ipsum objectum sufficit.*

Arguitur 3. Objectum ipsum in proportionata distantia sufficit ad causandam notitiam, ergò species superfluit, si præsentia objecti id præstare potest: Probatur consequentia, quia non priùs intelliguntur res, quàm species, Imago Cæsaris non priùs ducit in cognitionem Cæsaris, quàm ipsa cognoscatur ex dictis. Respondeo distinguendo antecedens, ipsum objectum sufficit ad faciendam cognitionem distinctam intuitivam concedo antecedens, ad faciendam cognitionem abstractivam, quando ipsum objectum non est præsens nego antecedens: ad reliqua patet responsio ex instantia superiore, ejusque solutione. Itaque licèt objecta materialia sint præsentia in esse Physico non sunt tamen præsentia in esse intentionali, & sic præsentia fieri debent per species maximè loquendo de cognitione abstractiva.

IX. *Ratio qualitatis convenit speciebus.*

Arguitur 4. Si darentur species deberet posse assignari, de quo genere prædicamenti sint, quod tamen vel neutiquam, vel omnino perdifficilè est, quia non sunt substantia, & quantitas ut patet, nec relationes, cùm hæ activæ non sint, nec possunt dici qualitates, quia istæ suscipiunt majus & minùs, possuntque intendi, sed speciebus utique hoc competere nequit, quia alioquin multiplicatis actibus intensæ habitus supplere possent, & per cessationem à frequentibus actibus remitterentur, quod tamen non dicunt fieri, qui species defendunt. Respondeo negando antecedens, ad probationem dico eas reduci ad qualitates, esseque intensibiles & remissibiles sicut habitus, quod patet ex eo, quòd quò sæpiùs cognoscimus aliquod objectum, eò frequentiùs & clariùs & distinctiùs excitantur nobis species, ut patet de iis qui continuò in una facultate exercent se, & econtra quò rariùs elicimus circa aliquod objectum actum, eò difficiliùs recordamur & cum majore labore species excitari debent; nec tamen hinc inferri potest superfluos futuros habitus, quia si alium finem habent à speciebus, nam species dantur ad clariùs & distinctiùs percipiendum objectum, habitus verò ad faciliùs, promptiùs, delectabiliùs & intensiùs, & sic etiam admissis speciebus ipsi non superfluunt.

X. *Rationes tamen non convincunt species.*

Dico 2. *Rationes allegatæ non probant Physicè dari species intelligibiles.*

Probatur primò: Quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed hic nulla est necessitas, ergò. Probatur minor primò: Si darentur species non esset necesse recurrere ad phantasma, quod tamen constat maximè esse necessarium.

Probatur eadem minor secundò: Quia si esset aliqua necessitas maximè quod eodem modo se haberet intellectus ad suum objectum, sicut sensus ad suum, in quo dari conceduntur species: vel quia intellectus non esset de se determinatus: vel quia id convinceret actus recordationis præteritorum; vel quia intellectus est tantùm universalium, sensus autem singularium: Sed harum nulla ratio convincit species, ergò: Probatur minor; non prima, quia disparitas est inter sensum externum, & internum ex eo, quòd in sensu interno præcedant actiones sensuum externorum, quæ determinare possunt, ad ipsam intellectionem producendam, nullus autem talis actus procedit in sensibus externis: Non secunda, quia actus recordationis & maximè in anima separata potest provenire à speciebus particulariter infusis, unde sicut dicitur, quòd Angelis infundantur species omnium rerum à Deo, sic etiam dici potest, quòd animæ separatæ infundantur, & sic mirum non est, si dives Epulo ab Abrahamo provocetur ad recordationem & reminiscentiam præteritorum, dicendo: *Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, &c.* Non denique tertia, tum ex instantia facta, tum quia sicut phantasma est sufficiens secundùm Authores communiter ad determinandum intellectum agentem, ita etiam erit sufficiens ad determinandum intellectum passibilem & consequenter non erit necessaria ulla species intelligibilis: Non denique quarta, quia phantasma non concurrit ad cognitionem singularis, quia singulare est, alioquin enim intellectus, & ipsa etiam phantasia discernere possent inter singularia & singularia per omnia æqualia, contra experientiam; sed quòd intellectus cognoscat universalia, potest evenire & evenit ex negotiatione intellectûs, qui habità cognitione singularium tanquam conditione sine qua non cognoscit per discursum ipsum universale. Imò phantasma ipsum potest repræsentare tam singulare, quàm universale secundùm diversas rationes quas includit.

XI. *Ratio dubitandi.*

Quidquid tamen sit absolutè tenendum est dari species intelligibiles in intellectu, nam si rationes non convincunt, authoritates cogunt, quibus accedit ratio solemnissima desumpta à paritate Angelorum, quibus actus remunerativus negari deberetur, si ipsis species non concederentur: quæ ratio pariter curit de anima separata; imò si argumentum sententiæ contrariæ de non multiplicandis entibus alicujus est efficaciæ, mihi quoque patrocinatur, assero enim non esse multiplicanda miracula sine necessitate, adeoque species concedi debent potiùs, quàm ut fiat multiplicatio miraculorum. Itaque necessitas specierum non ex parte potentiæ desumenda est, sed ex parte objecti ad supplendum ejus concursum, dum non est actu intelligibile, sed solùm potentiâ, qualiter sunt omnia objecta materialia in ordine ad cognitionem abstractivam, secundò propter absentiam, & tertiò propter improportionem.

XII. *Species necessaria ad cognitionem intuitivam non est.*

Dico 3. *Ad cognitionem intuitivam non est necessaria species intelligibilis.* Probatur, quia species intelligibilis substituitur loco objecti ad supplendum ejus immediatum concursum, cùm illud solùm non est actu intelligibile, vel est absens, vel si est præsens potentiæ, non tamen est præsens in ratione objecti, ergò cùm objectum est actu intelligibile, ac debitè præsens posset secundùm propriam entitatem sufficienter cum ipsa

ipsa producet notitiam intuitivam & concursus speciei superfluet. Itaque quod ordinariè dicitur materiale non esse actu intelligibile non est universaliter verum, sed solùm quoad intellectum conjunctum, non autem separatum.

Dices: In cognitione intuitiva objectum concurrere partialiter cum specie, & per hoc intuitivam ab abstractiva distingui, in qua species concurrit. Contra, quia tunc vel species sub ordinaretur objecto, vel objectum speciei, vel ambo concurrerent ex æquo, non primum, quia causæ subordinatæ non possunt sine se invicem operari, ergò cùm videamus speciem sine objecto concurrere, species non erit subordinata objecto; neque secundum, quia causa perfectior non subordinatur imperfectiori; neque etiam tertium, quia tunc cùm operentur per causalitates ejusdem operationis virtus unius ita intendi posset, ut se solo sufficeret ad cognitionem, & sic vel solum objectum concurreret, quod est intentum, vel sola species absque ullo objecti interventu, & sic poterit haberi cognitio intuitiva objecti absentis.

XIII. *Species sensibiles non impedit cognitionem intuitivam.*

Arguitur primò: Cognitio sensuum externorum, verbi gratiâ, visio est intuitiva, & tamen præter objectum requirit speciem, ut probavi supra, ergò & cognitio intuitiva intellectiva præter objectum requiret speciem. Respondeo negando consequentiam, disparitas est, quia species sensuum externorum pendent in fieri & conservari ab actuali influxu objecti præsentis, & ideo potest esse principium cognitionis intuitivæ: Species autem intelligibiles æquè manent præsente vel absente objecto, & ideo illud æquè repræsentat absens ac si in se esset præsens. Unde propter hoc nequit concurrere ad notitiam intuitivam.

XIV. *Objectum unitur potentiæ virtualiter.*

Arguitur secundò: Ut potentia possit elicere cognitionem, objectum debet esse unitum potentiæ, sed objectum materiale non potest esse unitum in se potentiæ intellectivæ, lapis enim verbi gratiâ, non est in intellectu, ergò debet uniri per speciem, ergò. Respondeo distinguendo majorem, objectum debet asse unitum unione formali & intensiva per modum accidentis nego majorem, unione virtuali concedo majorem, & similiter distinctâ minori nego consequentiam.

XV. *Inter objectum & potentiam est proportio mobilis ad motum.*

Arguitur tertiò: Objectum debet esse proportionatum potentiæ, sed objectum materiale est improportionatum intellectui, qui est spiritualis, ergò objectum materiale nequit per simplicem ac immediatam sui præsentiam ut sic intuitivè intelligi, ergò debet intelligi per species. Respondeo negando majorem, nam inter objectum materiale & potentiam intellectivam est sufficiens proportio moventis ad mobile, quia inter potentiam intellectivam & objectum non requiritur proportio in essendo, quòd si etiam ex proportione se moventis ad mobile objectum materiale sit improportionatum intellectui in statu conjunctionis, non tamen in statu separationis, quia sic non fit transitus ab una potentia ad aliam, immediatè enim objectum offertur intellectui & si aliquando præcedit species, hoc est in ratione effectûs prævii, non autem concausæ ad talem notitiam.

Pro quo Nota, quod dum dico speciem intelligibilem non esse necessariam ad cognitionem intuitivam, per hoc non intendo ipsam prorsus excludere, potest enim ac debet intervenire saltem tanquam effectus prævius ad ipsam intuitivam notitiam, non tamen tanquam concausa: Cùm ergò unus, verbi gratiâ, Angelus alterum videt, ac intuitivè cognoscit emittitur & imprimitur ab objecto species in intellectu Angeli videntis ut in eo impressa & conservata constituat memoriam intellectivam, quæ omnino necessaria est ne quotiescunque intellectus vult actum repetere circa objectum aliàs cognitum, cogatur semper redire ad illud intuendum.

XVI. *Species non sunt similitudines objectivæ.*

Dico 4. *Si dantur species non sunt similitudines objectivæ, seu medium cognoscendi quod.* Hæc est conformis ad dicta superiùs, ubi egi de speciebus sensibilibus.

Probatur primò: Si species essent similitudines objectivæ deberent in se priùs cognosci, quàm cognoscatur objectum, sed non sic cognoscuntur, ergò: Probatur sequela majoris, quia Imago Cæsaris quæ est similitudo objectiva debet priùs cognosci, quàm cognoscatur ipse Cæsar, ergò.

Probatur secundò: Quia medium cognoscendi quod non inducit in cognitionem se solo, sed necesse est ut ipsum antecedenter cognoscatur objectum, vel aliunde sciatur, nam nisi videris Cæsarem, non cognosceres ejus imaginem, licèt tibi monstraretur, nec dicere posses esse ei similem, vel dissimilem, bene vel malè expressam, quod tamen contingit in speciebus, ergò species intelligibiles non erunt similitudo objectiva, sed potiùs media cognoscendi *quo*.

XVII. *Species possunt dici formales similitudines.*

Dico 5. *Species dici possunt formales similitudines suorum objectorum.* Hæc etiam est conformis ad superiùs dicta.

Probatur primò: Illæ species debent esse alicujus essentiæ ac speciei, & consequenter formaliter similes alicui, sed nulli potiùs quàm objecto, ergò ei debebunt esse similes.

Probatur secundò: Quia species expressa est similitudo formalis objecti, ergò & species impressa, quando ab ea gignitur cognitio: Probatur consequentia, quia in causis cognitionis & intellectionis debet esse aliquid continens similitudinem objecti, sed nulla potiùs quàm species impressa, ergò hæc debet continere similitudinem objecti; probatur minor, quia non potentia, ergò species, cùm nullæ aliæ causæ sint præter speciem & potentiam; probatur antecedens, quia potentia non est magis similis albedini quàm nigredini, dulcedini, vel amaritudini, homini, vel leoni.

Probatur tertiò: Species expressa quæ est actus vitalis debet habere aliquam causam cui sit similis in vitalitate, ergò etiam impressa,

pressa, cui sit similis, cùm hæc tam bene debeat habere aliquam causam cui similis dicatur, ac altera in vitalitate, & consequenter si prima propter vitalitatem exigit causam viventem, hæc etiam exiget similitudinem esse sui objecti.

Probatur quartò, A paritate specierum sensibilium, quæ dicuntur suo modo formales similitudines ut patet, dum videntur per modum ipsorum colorum, ut quando radii solares transeunt per vitrum coloratum, aut incidunt in cortinas virides, vel rubras, tunc in pavimento, vel pariete apparent acsi ipsi colores ibi essent, ergò.

Dices: Nec in speciebus sensibilibus videri ipsas species, sed ipsi colores reflexè ut contingit in speculo in quo se homo videt reflexè. Sed contra primò ut corpus aliquod reflectere possit, debet esse lævigatum, & perspicuum, sed pavimenta & parietes non sunt sic lævigati, ergò. Contra secundò, quod si parietes haberent virtutem reflectendi, deberent quotidiè posse reflectere, sicut reflectunt specula. Contra tertiò, quia corpus reflectens demonstrat rem quamcunque in tantum & tantum distare retrò, quantum distat ab eo directè ante illud collocatus, quod tamen non faciunt parietes, major patet in speculis, quæ repræsentant rem ante se collocatum, quasi esset profunde intus intra superficiem speculi, prout magis vel minùs abest, ergò.

XVIII. *Species manent in intellectu cessante intellectione.*

Dico 6. *Species manent in intellectu etiam cessante actuali intellectione, & respectu harum dicitur intellectus memoria.* Hæc est contra Avicennam.

Probatur primò, Authoritate D. Augustini lib. 5. contra Jul. cap. 14. ubi docet: *Rerum corporalium qualitates in res incorporales transire, quando formas corporum, quas videmus, haurimus quodammodo & in memoria recondimus & quocunq; pergimus nobiscum ferimus.* Et lib. 10. Confess. cap. 17. ait: *Per hæc omnia discurro & volito, hac atq; illac penetro etiam quantum possum & finus est nusquam.* D. Bernardi tract. de vita solit. cap. 15. ubi ait, memoriam *proferre unde formetur cogitatio*, sed aliud non proferre potest quàm species, ergò manent in ipso & respectu ejus intellectus dicitur memoria.

Probatur secundò Ratione, quia aliàs eodem modo se haberet intellectus Docti & sapientis, ac illius qui primò incipit discere, quia utriusque intellectus esset in pura potentia, dum actu non intelligit. Quod confirmatur, quia nulla forma absoluta destruitur nisi vel propter incompossibilitatem, vel propter destructionem subjecti, atqui hìc nec destruitur subjectum, nec incompossibiles sunt, ergò. Si tamen quæras an à solo intellectu conserventur? Respondeo affirmativè, tum quia nulla alia causa assignari potest; tum quia licèt concurrat alia causa ad productionem earum, non est tamen necesse, ut illa causa concurrat ad conservationem, ut patet in calore, qui conservatur in aqua sine igne, quamvis sine ipso non producatur, quòd autem species diutiùs maneant, quàm calor in aqua, ideo est, quia sunt ipsi naturales non verò calor aquæ.

Dices: Experientiâ constat nos oblivisci rerum quas ante cognovimus, nisi sæpe repetamus sed non posset esse, nisi perderentur species, ergò non manent. Respondeo negando minorem, hoc enim non fit propter specierum deperditionem, sed quia illæ species suo ordine non excitantur, unde fit ut dum recordari volumus alicujus rei, sæpiùs non possimus & post paululum tamen vel alio tempore sponte incidere, quæ autem causa sit excitatrix mihi videtur esse ex naturæ arcanis, quæ nondum penetravi. Respondeo secundò negando minorem etiam, quia hoc absque jactura specierum intelligibilium fieri potest, ex eo, quòd deperderentur species phantasticæ ipsis correspondentes, à quibus in suis operationibus dependent, hinc est

QUÆSTIO VII.

De Intellectione.

Natura Intellectionis sufficienter colligi posset ex dictis supra Disp. 2. q. 2. ubi universaliter determinavi in quo consistat ratio actûs vitalis, verùmtamen absre non erit ex professo etiam examinare naturam intellectionis, cùm Authores in tot, tamque diversas abierint sententias, nam Pontio teste, aliqui dicebant intellectionem esse tantùm receptionem speciei intelligibilis; alii esse actionem productivam termini, qui sit & vocetur verbum mentis; alii è contra esse actionem de prædicamento actionis sine ullius termini productione, alii esse qualitatem de prædicamento qualitatis sine ulla prorsus actione producitam. Hurtadus ut omnes difficultates evaderet asserit, intellectionem esse actionem, & passionem, ac qualitatem prædicamentales, ita ut omnia ista tria essentialiter in natura intellectionis includantur. Verùmtamen

Dico 1. *Intellectio non est passio, seu sola speciei intelligibilis vel intellectionis receptio.* Hæc est contra Ægidium, Aureolum, &c. Etiqui expressa mens D. Augustini lib. 6. Mus. cap. 5. *Videtur mihi anima cum sentit in corpore non de illo aliquid pati, sed in ejus passionibus attentius agere.* Et infra: *Hoc ergò genus talitas movere nonne fatendum est facere esse non pati?* Et cap. 8. ubi dicit: *Hinc est illud quod plerumq; alia cogitationi occupati eos loquentes non nobis videmur audisse, non quia occurrores illos numeros non agit tunc anima, cùm sine dubio sonus ad aures perveniat, & illa impressione sui corporis cessare non possit: nec posset aliter moveri, quàm si illa non fieret, sed quia intentione in aliud subinde extinguitur motionis impetu, qui si maneret, in memoria utiq; maneret, & nos invenimus & sentiremus.* Ubi clarè docet in distractis percipi species & res, & tamen res tunc nullas sensationes producere, sed si consisteret intellectio in receptione talis speciei, vel intellectionis distractus omnino deberet intelligere, ergò. Ratio etiam est, quia receptio speciei expressæ vel impressæ relpicit intellectum ut subjectum, sed de ratione intellectionis est ut respiciat objectum, illud exprimat, eique uniat intellectum, ergò intellectio non consistit in receptione speciei impressæ, vel expressæ.

Dices:

Dices: Receptionem mortuam, id est sine attentione non facere intelligentem, bene tamen vivam, seu cum attentione. Sed contra: hæc responsio seipsam destruit, quia receptio cum attentione intellectus non potest explicari, nisi in quantum intellectus adhibeat conatum aliquem, & tendat intentionaliter in objectum, sed hæc non fiunt sine aliqua actione efficiente, ergò. Sed directè contra conclusionem

III. *Objicitur & explicatur Aristoteles.*

Opponitur Authoritas tum Aristotelis sæpiùs dicentis: *Intelligere esse quoddam pati*: Tum Doctoris subtilis dicentis ideo Aristotelem intelligere vocâsse pati, quia intelligimus formaliter non producendo, sed recipiendo, ergò. Verùmtamen quamvis textus ille Aristotelis supra fuerit explicatus, adhuc Respondeo tam Aristotelem, quàm subtilem vocare intelligere quoddam pati ex eo quòd intellectus nullatenus possit intelligere, nisi in ipso recipiatur intellectio, ita quòd receptio magis necessariò consequatur quàm actio, imò eo quod indispensabiliter comitetur, ita ut intelligere possimus sine eo, quod intellectionem producamus, non verò sine eo quod recipiamus, unde magis concurrit receptio, quàm productio, & hinc fortè est, quòd Aristoteles non absolutè dixerit intelligere esse pati, sed *esse quoddam pati*. Sed

Instatur: Homo dicitur formaliter albus per receptionem solius albedinis, ergò etiam dicetur intelligens per præcisam receptionem intellectionis, quia non videtur quid plus intellectio præstet potentiæ intellectivæ, quàm talem denominationem per informationem. Respondeo distinguendo consequens, si consideretur effectus formalis intellectionis ut forma est concedo, si consideretur ut talis, nempe ut vitaliter operans nego consequentiam, quia ut vitaliter operans consistit in illa tendentia ad objectum, hinc si dicas, tunc dicitur intellectus intelligere quando fit similis formaliter objecto, sed per receptionem hoc fit ergò, tunc Respondeo negando majorem, quia tunc intelligit formaliter, quando receptâ similitudine illâ, mediante ipsâ tendit in objectum vitaliter.

IV. *Intellectio non est actio.*

Dico 2. *Intellectio non consistit in actione, seu productione termini, ita ut intelligere sit producere verbum mentu & intellectio sit productio verbi mentalu.* Ita Doctor subtilis.

Probatur primò: Tum quia potest quis producere intellectionem, & tamen non intelligere, ut verbi gratiâ, si Deus produceret intellectionem in mente mea, hâc intellectione Deus non intelligeret: Tum quia objectum partialiter in genere causæ efficientis producit intellectionem, & tamen per hoc non dicitur intelligere: Tum quia non dicitur quis albus ex eo quòd producat albedinem, ergò: Tum deniquè, quia vitalitas in actibus perfectis non consistit in motu ab intrinseco, sed in vita intentionali, seu in tendentia ad objectum.

Probatur secundò: Quia gratis dicitur intellectionem esse actionem productivam, quia si quid urgeret, maximè ex eo, quòd Aristoteles ipsam appellaverit actionem immanentem, hoc non urget, ergò: probatur minor, tum quia non dixit immanentem ex eo, quòd terminum ad intra producat, sed quòd nihil aliud intellectus producat præter ipsam, sicut transeuntem appellavit, quæ aliud opus à se producit: Tum quia Aristoteles intellectionem non appellavit veram & Physicam actionem, sed solùm grammaticaliter, & per quandam analogiam, ex eo, quòd semper fit in fieri, & semper, & pro quocunque instanti dependeat ab agente sicut vera actio; & ex eo, quòd sicut actio transit in terminum ita intellectio in objectum, cum hac tamen differentia, quòd actio transeat in terminum de novo productum, intellectio in objectum non de novo productum, sed de novo denominatum intellectum, & per hanc probationem solvuntur omnia, quæ desumuntur ex actione vitali intellectionis. Unde alio medio contra conclusionem sic ex Mastrio

V. *Dictio est causaliter actus intellectus.*

Arguitur: Omnis actus intellectûs est essentialiter intellectio, sicut omnis actus visûs est visio, sed verbum producitur per actum intellectûs, ergò per intellectionem. Respondeo distinguendo majorem: Est formaliter intellectio, nego majorem; est causaliter intellectio concedo majorem, quia dictio est quidem actus intellectûs, non est tamen formaliter intellectio, sed causaliter & efficienter, & sic quoque dici potest omnem actum visûs non esse visionem formaliter.

Non sunt synonima intelligere & dicere.

Instatur: Intelligere & dicere sunt synonima, ergò si producit verbum dicendo, producit intelligendo. Sed Respondeo negando antecedens, quod patet ex priore distinctione, quia dictio est solùm causaliter & efficienter intellectio, non verò formaliter, consequenter licèt producat verbum dicendo, non producit tamen intelligendo.

Urgetur: Si dictio non est formaliter intellectio, nec esset formaliter actio vitalis, sed hoc est inconveniens, ergò: probatur sequela: Per actionem vitalem exprimitur & declaratur objectum, sed per dictionem non exprimeretur objectum, quia illud exprimitur & repræsentatur per intellectionem, ergo non esset actio vitalis. Respondeo distinguendo majorem, non esset actio vitalis intentionalis concedo majorem; non esset actio vitalis Physica nego majorem; dictio itaque actio vitalis Physica est, quia per eam exercetur Physicè potentia in vita, non tamen vitâ intentionali, & sic non exprimit objectum. Ex hactenus igitur dictis patet, quòd ad intellectionem requiratur quidem aliqua actio, requiritur etiam aliqua passio in neutra tamen ejus ratio formalis, minùs in utraque consistit, cùm alioquin esset ens per accidens ex diversis prædicamentis compositum. Quare

VI. *Intellectio consistit in qualitate, quæ connotat tendentiam.*

Dico tertiò: *Intellectio formaliter consistit in qualitate connotando tendentiam, & unionem ad objectum, qua illi vitaliter conjungitur.* Ita Doctor subtilis, & patet ex dictis, nec ulteriori eget probatione, quod autem dixi de intellectione, pari passu dicendum est de volitione, unde

unde sicut intellectio, præter qualitatem absolutam, dicit tendentiam ad objectum, quæ se habet per modum expressionis, & repræsentationis objecti, ita etiam volitio præter qualitatem dicit tendentiam ad objectum, non illud repræsentando, sed quasi amplectendo & possidendo. Ex dictis itaque infero primò, omnem potentiam vitalem esse simul *Productivum*, seu *Activam*, *Passivam*, & Vitaliter *operativam*; *Activa*, in quantum producit suum actum, *Passivam*, ut recipit, & *operativam*, quatenus mediante termino producto, & in se recepto vitaliter in objectum tendit. Infero secundò: Omnem potentiam vitalem, tam agendo quàm operando exerceri vitaliter diverso tamen modo, nam agendo exercetur vitaliter vita Physica, operando vitâ intentionali, & primum spectat ad genus causæ efficientis, secundum quasi ad genus causæ formalis, quatenus actus per modum formæ constituit potentiam operantem, eamque cum objecto conjungit, & intentionaliter unit. Objectiones quæ contra conclusionem nostram adferri possunt solvuntur facilè per hoc, quòd qualitas illa connotet secundariò relationem ad objectum, non quòd primariò in ea consistat.

Potentia vitalis est simul activa, passiva & operativa.

VII. *Potest intellectio à solo Deo produci.*

Quæres primò: An intellectio, aut alius actus vitalis possit à solo Deo produci, absque concursu potentiæ & objecti? Respondeo affirmativè cum Doctore 1. d. 17. q. 3. Probatur, quia quidquid potest Deus simul producere cum causa creata efficienter, potest se solo, modo effectus sit ens absolutum, quia in hoc nulla est implicantia, sed producit intellectionem cum causa creata, quæ est qualitas absoluta, ergò se solo potest illam producere.

VIII. *Intellectio potest poni in lapide.*

Quæres secundò: Utrum intellectio possit poni in lapide? Respondeo affirmativè. Patet ex dictis in Logica p. 3. d. 3. q. 6. Et ratio est, quia non implicat.

Dices: Ergò lapis intelligeret. Probatur illatum: Effectus intellectionis est reddere subjectum intelligens. Respondeo nego illatum, cujus probationis antecedens distinguo; si subjectum sit capax concedo antecedens, si non nego antecedens, & consequentiam. Itaque ut intellectio faciat suum subjectum actu intelligens, requiritur in ipso vis perceptiva talis intellectionis in actu primo, quæ vis cùm sit ipse intellectus, & in lapide non reperiatur, lapis non intelligeret.

IX. *Intellectus potest plura simul intelligere.*

Quæres tertiò: Utrum intellectus simul plura intelligere possit uno actu? Respondeo posse simul & semel plura intelligere per modum plurium, non tamen uno eodemque actu, nisi objecta sint subordinata per modum inferioris, & superioris; nec potest tot intelligere, quin plura in infinitum, nec tam perfectè plura, quàm solum unum.

Probatur prima pars, quia visus attingit objecta disparata simul, ut albedinem chartæ, & nigredinem literarum, ergò & intellectus. Deinde intellectus simul intelligit unum referri ad aliud, ergò. Reliqua patent ex finitate, & limitatione intellectûs.

QUÆSTIO VIII.

De verbo mentis.

Communis est sensus dari verbum mentis, sicut certum est dari verbum oris, & hoc expressè docet Scotus 1. d. 3. q. 7. post D. Augustinum ubi dicit: *Verbum cordis esse actum intelligentiæ productum à memoria secunda non habens esse sine actuali intellectione, verbum divinum repræsentans*; Unde communiter requiritur, quòd verbum mentis verbum divinum repræsentet, quod si sic est, certum etiam est, mellifluum Doctorem tale verbum in creatis admittere, ut colligi poterit ex Canticis signanter serm. 81. ubi animæ cognitionem cum verbo, & imaginem constituit ex eo, *quod verbum divinum repræsentet*, ubi multa de verbo divino subtiliter discutit, quæ ad Theologos potissimum spectant, inter alias cognationes cum habet, quæ consistit in actu liberi arbitrii, quòd si anima habet cognationem in hoc actu, sanè negari non poterit etiam habere in actu intellectûs. I *Verbum mentis.*

Quo supposito tanquam certo potissima est difficultas, in quo consistat verbum mentis, ex omnibus quæ in intellectu reperiuntur; an videlicet sit species impressa prior actuali intelligentia? An ipsum objectum secundùm esse reale, vel secundùm esse cognitum? Vel an sit habitus, vel actio de prædicamento actionis, per quam intellectus producit qualitatem intellectionis? An verò sit ipsa qualitas intellectionis? An utrumque simul. Complutenses existimant verbum mentis esse qualitatem realiter distinctam à qualitate intellectionis. Verùm II *Verbum mentis.*

Dico: *Verbum mentis certum est ipsamet intellectio.* Ita Doctor supra, & tam ex insolubili

Probatur primò, Authoritate D. Augustini 15. Trinit. cap. 10. *Formata cogitatio de re, quam scimus, verbum est*; Et 16. *Cogitatio quippe nostra perveniens ad id, quod scimus, & inde formata, verbum nostrum est.* Et 9. de Trinit. cap. 9. *Conceptam rerum notitiam tanquam verbum apud nos habemus.* Et cap. ult. *Est igitur quædam imago Trinitatis ipsa mens, & notitia ejus, quæ proles ejus est, atq; se ipsa verbum ejus, & amor. Verùm igitur* (inquit Scotus) *secundum ipsum est actus intelligentiæ, ut patet ex.* Notitia enim correspondet intelligentiæ. *Verbum etiam non est sine actuali cogitatione sicut patet.* Augustini authoritates plures, qui cupit, inveniet apud Nebridium, hæ sunt breviores, & solemniores.

Probatur secundò, Authoritate D. Bernardi serm. 80. in Cant. ubi de verbo divino ait: *Audi de imagine prius. Verbum est veritas, est justitia, est sapientia, & est hæc imago. Cujus? Justitiæ, sapientiæ, & veritatis.* Est enim *imago hæc justitia de justitia, sapientia de sapientia, veritas de veritate, quasi de lumine lumen, de Deo Deus. Harum rerum nihil est anima, quoniam non est imago, est tamen earundem capax, appetens, & inde fortassis ad imaginem.* Sed anima est capax intellectionis, ergo est capax veritatis, justitiæ, luminis & consequenter Verbi, quia per Verbum

bum creatum nihil aliud intelligitur, quàm illud quod est Veritas, Sapientia, Intellectio.

IV. *Rationibus probatur.*

Probatur Ratione primò: Illud est verbum, quod est imago & similitudo objecti, sed intellectio est imago & similitudo objecti; ergò est verbum: alioquin sequeretur, quòd ejusdem rei duæ imagines in eodem intellectu darentur.

Probatur secundò: Illud est verbum, quod producitur per dictionem, sed intellectio producitur per dictionem; ergò est verbum mentis: Patet major, probatur minor, quia per dictionem produci nihil est aliud, quàm produci per actionem intellectûs, sed intellectio producitur per actionem intellectûs, ergò.

Refutantur aliorum opiniones.

Probatur tertiò: Quia nihil congruentius assignari potest, ergò: probatur antecedens, quia si esset aliquid verbum mentis præter ipsam intellectionem esset aliquid ex enumeratis opinionibus, nihil horum esse potest. ergò; probatur minor, quia non species intelligibilis prior naturâ actu intelligendi, quia verbum est potiùs effectus speciei, cùm procedat ab intellectu fœcundo specie, & insuper, quia si species esset verbum, nunquam esset species, quin verbum esset, quod est contra experientiam. Et ob easdem rationes nec potest dici, quòd sit habitus: Non potest etiam esse objectum, quia secundùm esse reale objectum non producitur ab intellectu ad extra, sed præsupponitur productum, verbum autem de novo producitur & est insuper non extra, sed intra intellectum; secundùm esse cognitum autem objectum per verbum exprimitur & declaratur; ergò secundùm hoc esse nequit verbum mentis. Nec tandem potest esse aliquis terminus per intellectum productus, quia ut supra visum est intellectio non est actio propria & Physica, sed solùm grammaticaliter, & per quandam analogiam, manet ergò verbum mentis aliud non esse quàm ipsum intellectionem.

V. *Objicitur & explicatur D. Augustinus.*

Opponitur authoritas D. Augustini 8. Trinit. 6. ubi ait: *Phantasiam Carthaginis in memoria est verbum ejus*, ubi per phantasiam intelligit speciem, ergò. Deinde 15. cap. 10. dicit: *Verbum quod foras sonat esse signum verbi, quod intus latet*, sed verbum exterius non est signum intellectionis, sed rei intellectæ; ergò res intellecta erit verbum. Respondeo negando utramque consequentiam, quia verbum exterius signum est, non modò rei intellectæ, sed etiam intellectionis, licèt inæqualiter, ut dictum est in Logica, nam primò voces & verba sunt ordinata ad significandas res, secundò ad significandos conceptus; Et quamvis secundariò conceptus significent, ex hoc tamen non potest inferri, quòd magis debeat verbum esse signum rei, quàm intellectionis, quia utrumque habet rationem repræsentativam objecti, quare unum repræsentativum dicitur simile alteri repræsentativo & utrumq; verbum. Ad primam authoritatem dico, D. Augustinum per phantasiam intelligere actualem imaginationem, vel si intelligit speciem, dicendum est, cum locutum fuisse in sensu causali, non verò formali, alioquin à seipso dissentiret dicente 15. de Trinit. *Verbum non pertinere ad memoriam, sed ad intelligentiam, & à memoria produci per actum dicendi.*

VI. *Verbum creatum repræsentat Divinum.*

Arguitur: Verbum mentis creatum debet esse imago repræsentans verbum Divinum, sed intellectio non est imago repræsentans verbum Divinum, ergò: Probatur minor, quia in Divinis aliud est verbum, aliud intellectio, sed intellectio repræsentat tantùm intellectionem; ergò non verbum: Probatur major, quia verbum in Divinis est Persona distincta à Patre & Spiritu Sancto, intellectio verò est communis tribus. Respondeo negando minorem, cum sua probatione, ad cujus probationem dico disparitatem esse, quia in creatis non datur verbum per se subsistens, sed tantùm immanens, in Divinis autem datur, unde potiùs hæc contingit ex diversitate specifica verborum, quàm ex defectu sufficientiæ, ut intellectio dicatur verbum.

VII. *Verbum producitur per veram actionem.*

Dico 2. *Verbum mentis producitur verè ab intellectu fœcundo per actionem à seipso distinctam, quæ dicitur dictio.* Ita penes Doctorem subtilem D. Augustinus expressè lib. 9. de Trinit. cap. 7. ubi ait: *Conceptam rerum verarum notitiam tanquam verbum quod nos habemus, & dicendo intus gignimus.* In quibus ultimis verbis agnoscit veram generationem internam, quam appellat dictionem, sed omnis generatio est actio productiva.

Probatur etiam à paritate tum verbi Divini, quod non immediatè seipso. sed per veram generationem à Patre producitur, tanquam terminus; nec refert, quòd ipsa productio activa sit identificata entitati Patris, & passiva entitati verbi, quia hoc non arguit verbum non produci neque veram generationem distinctam, sed provenit ex rationibus formalibus talis actionis ob summam simplicitatem & infinitatem, sicut non arguit verbum mentis esse verum verbum, licèt sit accidens, cùm tamen in Divinis sit substantia: Tum à paritate verbi vocalis, quod producitur per veram locutionem, & dictionem corpoream; ergò etiam verbum mentale sic producetur.

VIII. *Actio productiva verbi est ab ipso distincta.*

Probatur autem actionem illam esse verè distinctam ab intellectu fœcundo, quia tunc actio est realiter distincta (per actionem intelligo relationem dependentiæ in fieri à sua causa) quando ita procedit effectus à sua causa, ut simpliciter ab alia possit produci, sed idem verbum mentis in entitate sua potest produci à diversis principiis; ergò producetur per veram actionem distinctam: Probatur minor, nam in primis potest produci totaliter ab ipso Deo, secundò cum habitu, vel sine habitu, cum una vel altera specie impressa, in quibus casibus non dicendum est, ipsum quoque verbum variari in entitate, quia alioquin habitus non daretur ad faciliter, sed ad simpliciter posse operari, quia actus qui fit à potentia cum habitu ita essentialiter penderet ab illo, ut nullatenus posset produci ab ipsa potentia, quantumcunque conaretur.

IX. *Illa actio est dictio.*

Probatur tertia pars, nempe hanc actionem esse dictionem: Tum quia Patres sic loquuntur; tum quia illa actio nequit esse intellectio, cùm intellectio sit de genere qualitatis & non actionis, sitque operativa, non activa: tum quia actio productiva verbi Divini non est intellectio, quia hæc est ingenita, & perfectio essentialis communis tribus personis antecedens ipsum dicere, quod est notionale spectans ad constitutionem Patris: Tum denique, quia etiam dum nos actualiter intelligimus, datur in nobis aliquid de genere qualitatis, quod appellatur species expressa verbum, sed hoc non est aliquid ingenitum & inproductum, sed verè productum producitur per veram actionem à seipso distinctam; ergò etiam verbum sic producitur. Sed in Contra

X. *Objicitur & explicatur D. Augustinus.*

Opponitur Authoritas D. Augustini, tum 15. Trinit. cap. 7. dicentis: *Cum mens apud se verbum habet, ubiq; cogitando habet, quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare*: Tum 5. Trinit. 13. ubi ait: *Verbum esse visionem de visione*; ergò verbum procedit per intellectionem, & non per dictionem. Respondeo negando consequentiam, quia in primo loco accipit S. Augustinus dicere impropriè pro expressione & declaratione objecti, non verò pro productione actuali notitiæ; vel si vult dicere esse cogitare propriè non dicit id verum esse in sensu formali, sed causali & efficiente. Ad secundum locum dico, per visionem in secundo loco intelligere, vel speciem impressam, vel habitualem scientiam & memoriam fœcundam, ita seipsum exponit 15. Trinit. 11. cap. 11.

XI. *Qualibet potentia vitalis habet duplicem actum.*

Arguitur: Nulla potentia vitalis habet duplicem actum distinctum, quia unius potentiæ unus est actus, cùm per actus distinguantur; ergò intelligere est idem ac dicere, & consequenter verbum procedit per intellectionem. Respondeo distinguendo antecedens: Nulla potentia habet duplicem actum in eodem genere prædicamenti concedo; in diverso, nego. Itaq; intellectus sicut & quæcunq; potentia vitalis habet primò actum de genere qualitatis, tanquam suam ultimam perfectionem, quam producit mediante actione de genere actionis, quæ de se est activa, prima tantùm operativa. Et hinc patet quare potiùs per unum producatur, quàm per alium. Sed

Instatur: Aristoteles 3. de An. 28. dicit sentire, intelligere, &c. nec esse motum; ergò non fit per actionem distinctam. Respondeo, Aristotelem tantùm velle non esse talem motum sicut est in alterativis, quia est tantùm ad perfectionem operativam, unde potiùs inferri debet, dari ad eam actionem, quia motus semper est cum actione conjunctus.

XII. Arguitur secundò: Si Actio dicendi non est intellectio, sequeretur non esse actionem intellectivam, sed hoc est inconveniens, quia omnis actio intellectûs est intellectio, ergò. Respondeo negando sequelam, nec hoc est inconveniens, quia multi sunt actus intellectûs, qui non sunt intellectiones, ut est actio quæ abstrahit species à rebus.

Quæres primò: An illa intellectio debeat vocari verbum Mentis, quæ producetur in intellectu à solo Deo? supponitur in quæsito, Deum posse producere intellectionem se solo absq; concursu intellectûs creati, cùm in hoc nulla sit implicantia, & Deus possit se solo facere quidquid facit cum causa secunda, ergò. Hoc supposito si quis velit contendere, quòd verbum non significet quamcunq; intellectionem rei, sed intellectionem ab intelligente productam, sicut filius significat hominem ab homine alio productum, & partus mentis significat conceptum productum à mente, esset quæstio de nomine, & conformiter ipsi responderi deberet, quòd, sicut filius formaliter loquendo dicit productionem ab intellectu, & connotativè intellectionem, & sic si à solo Deo produceretur talis intellectio, posset dici verbũ mentis secundùm illud, quod materialiter & connotativè dicit.

Dices: Verbum debet esse proles intelligentis, sed si nõ produceretur ab intelligente, non esset proles ipsius, ergò. Respondeo distinguendo majorem connaturaliter, pro tunc loquendo, hoc est ex eo, quòd intellectus habeat virtutem ipsum producendi, & semper sufficienter applicatur ad ejus productionem concedo majorem; essentialiter, ita ut si intellectus non habeat talem virtutem intellectio propter ea desineret esse verbum, nego majorem.

Quæres secundò: An Visio illa, quæ dicitur Beata, sit rigorosum verbum mentis? Respondeo esse quidem verbum mentis, sed non rigorosè cum Doctore in 1. d. 27. §. ideò istis. Ratio est quia ad verbum in rigore requiritur, quòd non tantùm sit naturalis similitudo objecti, sed etiam naturaliter producta, unde licèt D. Augustinus eam quandoq; vocet verbum mentis, loquitur in laxiori acceptione.

Probatur secundò: Quia Verbum debet gigni à memoria fœcunda; ergò à totali principio naturali, quia memoria fœcunda constituitur ex intellectu & objecto vel specie; ergò non tantùm ex parte potentiæ, sed etiam objecti debet gigni naturaliter, aliàs non esset proles objecti & imago, cui magis debet assimilari, sed lumen gloriæ non est species objecti, & magis se tenet ex parte potentiæ, quàm objecti; ergò, ex ipso & intellectu non potest instituì memoria fœcunda, & consequenter licèt intellectus lumine gloriæ perfusus naturaliter agat, & gignat visionem, quia tamen objectum liberè, & supernaturaliter agit, visio beata non gignetur à memoria fœcunda, quæ ex objecto & potentia constituitur.

Dices: Sanctissima Virgo Maria naturaliter, & verè produxit Filium, licèt habuerit concursum supernaturalem supplentem ea, quæ sunt alioquin Patris, ex hoc præcisè, quòd ipsa habuerit naturalem potentiam generandi; ergò etiam visio beata verè dicetur & rigorosè verbum & proles mentis, quia producitur à potentia habente virtutem naturalem producendi. Respondeo negando consequentiam, disparitas est, quia Christus ut homo petebat naturaliter produci à Patre & Matre, consequenter concursus Spiritus Sancti liber per accidens fuit,

fuit, & sic non variavit naturalem producendi modum beatæ Matris, visio autem beata non petit naturaliter produci, sed liberè per essentiam moventem liberè, quod patet ulteriùs ex processione Spiritûs Sancti, quæ non dicitur Generatio, nec ipse Filius, licèt sit in similitudinem naturæ, ex hoc præcisè, quia fit liberè & non naturaliter. Unde D. Augustinus 5. de Trinit. cap. 14. dicit: *Filius procedit ut natus, Spiritus Sanctus ut datus.*

QUÆSTIO IX.

De Reliquis actibus Intellectûs.

I. In actibus Intellectûs explicandis hîc sunt plures Scholastici fusissimi cùm tamen alibi non fuerint strictiores; Ego, quia de apprehensione, judicio & discursu satis egi in Libris Analyticis, & de interpretatione non puto sine Entium multiplicatione hic repetenda esse. Restant tamen in specie explicandæ aliquæ intellectiones & præcipuè Quid sit notitia intuitiva? quid abstractiva? Et quid comprehensiva? quas etiam breviter expediam.

II. *Pars modò explicanda intuitivam & abstractivam.* Itaq; Circa notitiam intuitivam & abstractivam explicandam varii sunt dicendi modi, nam aliqui dicunt cognitionem intuitivam eam esse, quæ est rei existentis, ut existentis sub reduplicatione, & sic volunt semper esse de re singulari: cognitionem verò abstractivam esse, quæ est naturæ & essentiæ secundùm se, abstrahendo ab existentia ejus. Alii dicunt cognitionem intuitivam & abstractivam non distingui ex parte termini, sed ex parte principii productivi, ita quòd intuitiva producatur ab ipso objecto in propria existentia immediatè, abstractiva verò quæ producitur ab objecto ipso in specie, vel ab ipsa specie; alii distinguunt ex utroque motivo & quidem dicendo existentiam esse rationem movendi intellectum, non rationem cognitam. Alii denique dicunt cognitionem intuitivam esse rei secundùm omnes suas formalitates in ipsa repertas, non verò abstractivam. Sed

III. *Rejiciuntur duo modi explicandi.* Dico 1. *Neuter modus ex allegatis distinguit sufficienter notitiam intuitivam ab abstractiva.* Ita deduco ex Mastrio. Et

Probatur per singulos modos, Nam in primis ultima non distinguit has duas notitias, sed adhuc confundit intuitivam cum comprehensiva, quia hæc fit secundùm omnes formalitates in objecto repertas: Et è contra potest dari notitia abstractiva, quæ cognoscat omnes formalitates in objecto repertas, qualis fuit ea, quâ cognoverunt Angeli per speciem Essentiam Divinam distinctè: Deinde potest videri Deus intuitivè secundùm unam formalitatem non visâ alterâ, & defacto videtur albedo intuitivè sine differentia individuali. Non explicat etiam benè tertius modus, quia tam in notitia abstractiva, quàm intuitiva quidditas & natura sunt ratio cognoscendi & terminandi, & existentia se habet solùm per modum conditionis sine qua non, quatenus quidditas rei nequit notitiam intuitivam terminare, nisi existat. Refutatur etiam secundus modus, quia etiam ad notitiam intuitivam gignendam concurrere potest species ut patet de visione, unde dici solet rationem notitiæ intuitivæ etiam consistere cum præsentia speciei, dummodo cognitio non terminetur ad objectum ut in specie relucens, sed ad ipsum ut in propria existentia præsens, nam in tali casu species non concurreret ut concausa intellectionis, sed ut effectus aliquis prævius, quæ tunc produci potest, ut quando objectum est futurum absens, illud ipsum cognoscere possit sine recursu ad propriam existentiam, sequitur itaque istas duas notitias non solùm ex parte principii, sed etiam ex parte termini debere distingui. Nec placet denique primus dicendi modus, nam imprimis non omnibus cognitio rei existentis & præsentis est intuitiva, nam licèt hæc non tendat nisi in rem præsentem, attamen potest etiam res præsens abstractivè cognosci, frequenter etenim abstractiva cognitio tendit in res quatenus extiterunt, & in ipsas existentias eorum. Itaq;

IV. *Describitur cognitio intuitiva & abstractiva.* Dico 2. *Cognitio intuitiva ea est, quæ sit sine specie impressa permanente diu sine præsentia objecti, ut concausa terminata ad rem in propria natura & existentia præsentem; Cognitio verò abstractiva, quæ sit mediante specie impressa sine objecto nata permanere terminata, ad rem ut existentem in specie.* Patet ex refutatione aliarum sententiarum, & quia optimè & meliùs explicari non possunt, nam notitiæ intuitivæ simpliciter essentiale est, quòd fiat ex præsentia objecti, abstractivæ verò si quandoque contingat merè accidentali; quia fit per medium, quod præscindit ab existentia & non existentia. Verùm addidi in descriptione cognitionem intuitivam fieri sine specie impressa permanente objecto absente, quia si talis esset, quæ non diutiùs maneret, quàm ipsum objectum præsens est, ut est species visibilis, vel saltem non diu post, ut est species soni & Echo, non impediret intuitivam cognitionem benè tamen si natæ essent permanere etiam objecto cessante, essentque indifferentes ad præsentandam rem absentem, vel præsentem, quia talis faceret cognitionem abstractivam.

Dices: Deus cognoscit intuitivè omnes Creaturas, & tamen ens non attingit in propria natura existentes; ergò male descripta cognitio intuitiva. Respondeo distinguendo alteram partem antecedentis, non attingit Creaturas in propria natura existentes, vel in alio eminentiùs & perfectiùs continente secundùm totam entitatem & cognoscibilitatem concedo; in alio diminutè repræsentante, nego antecedens & consequentiam. Natura itaque Divina res creatas perfectiùs repræsentat, quàm ipsæ in se, species verò valdè diminutè. Et esto quòd sit alius modus cognoscendi in se, cognitio DEI respectu Creaturarum est intuitiva respectu primarii objecti, non verò respectu secundarii. Sed

Dices adhuc: Scotus vocat cognitionem rememorativam terminatam ad præteritum intuitivam, sed illa est absentia objecti, ergò. Respondeo Doctorem subtilem eam vocare imperfectè intuitivam, & simpliciter abstractivam.

V. *Cognitio intuitiva & abstractiva specie differunt.*

Dico 3. *Cognitio intuitiva & abstractiva specie differunt.* Ita Doctor subtilis sæpiùs.

Probatur, quia non minùs differunt Dei visio per fidem viæ & patriæ, quàm fruitio viæ & patriæ, imò magis cùm habeant alia & alia principia, nempe lumen gloriæ ibi, fidem hìc, sed fruitio patriæ & viæ differunt specie; ergò & istæ visiones: Subsumo, sed istæ sunt duæ cognitiones abstractiva una, altera intuitiva, ergò: patet minor argumenti, quia fruitio patriæ est perfectè beatificativa & satiativa animæ, non sic viæ.

Probatur secundò: Quia illa specie distinguuntur, quæ habent specie distincta principia, specie distinctum agendi modum, sed hæ cognitiones hoc habent, ergò: probatur minor, quia abstractiva fit per speciem, & terminatur ad speciem, intuitiva fit per objectum in sua natura existens & terminatur ad illud ut tale, item abstractiva præscindit ab existentia & non existentia, intuitiva determinatè est existentis & præsentis, sed hæc sunt diversa principia, & diversi agendi modi, ergò. Sed in Contra

VI. *Nec obstat unitas objecti*

Arguitur: Actus specificantur ab objectis, ut est commune, sed notitia intuitiva & abstractiva possunt habere idem objectum; ergò non distinguentur specie: Major est certa, minor patet, quia possum cognoscere Titium præsentem & absentem. Respondeo distinguendo majorem, ita ut diversitas objectorum arguat diversitatem actuum transeat major; ita ut identitas objecti arguat identitatem actûs nego majorem, nam ex unitate objecti non colligitur unitas actûs, circa idem objectum enim possunt versari plures specie distinctæ potentiæ, ut patet de voluntate & intellectu, quare ultra unitatem objecti attendi debet etiam modus tendendi.

Instatur: Habent etiam eundem modum tendendi, quia præsentia & absentia sunt tantùm conditiones diverso modo repræsentantes, conditio autem non variat modum essentialem, ergo. Respondeo negando majorem, ad primam probationem dico, absentiam & præsentiam non esse nudas conditiones, sed essentiales, determinantes objectum ad esse formale objecti sunt enim, si non rationes *quæ*, saltem, *sub qua*, non verò nudæ applicationes, sicut in aliis causis efficientibus. Et posito quòd essent simplices conditiones, adhuc tamen inducere possunt essentialem modum tendendi diversum.

Dices: Si quis haberet cognitionem intuitivam albedinis, & eandem continuaret per horam, si post quadrantem tolleretur albedo, esset eadem cognitio, & tamen tunc pro primo quadrante esset intuitiva, pro secundo abstractiva; ergò non differunt specie. Respondeo negando consequentiam, quia vel replicans vult loqui de cognitione, quæ fit per visionem sentis externi, & tunc simpliciter nego unquam futuram intuitivam, semper enim erit abstractiva, licèt visio sit intuitiva, quia fit per species, & mediantibus iis cognoscitur. Si verò loquatur de cognitione albedinis in se, tunc dico, duplicem ibi futuram cognitionem, albedine præsente intuitivam, eâ absente abstractivam, licèt enim id non advertatur pro nunc, ratio tamen convincit illud.

VI. Comprehensio

Comprehensio intellectionis intuitivæ perfectissima species, Etymologicè desumitur à comprehensione corporali, nam illud comprehendere dicimur, quod undequaq; continemus, verbi gratiâ, accipiens manu pomum, illudque totum contegens eâdem, ut nihil appareat ex eo, dicitur illud comprehendere; si verò ita acceperit, ut pars aliqua prominet dicimur apprehendere, sic in comprehensione intentionali, & intellectuali aliquid simile fieri debet; Sed non eodem modo semper accipitur nam SS. Patres frequenter accipiunt pro cognitione intuitiva visionis beatæ, ex quo etiam sancti vocantur Comprehensores, juxta illud 1. ad Corinth. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.* Et ad Philipp. *sequor, si quo modo comprehendam.* In quem textum D. Bernardus lib. 5. de consid. cap. 13. sic ait: *Comprehendere dixit, non cognoscere, ut non curiositate contenti scientiæ tenacem fructui inhiemus. Non in cognitione est fructus, sed in comprehensione. Alioquin scienti bonum & non facienti (ut ait quidam) peccatum est ei.* Et ipse Paulus alio loco, sic currite, inquit, *ut comprehendatis. Quid sit comprehendere inferiùs declarabo.* Declarat autem cap. sequenti dicens: *Non ea Disputatio comprehendit, sed & sanctitas, si quoniam tantùm comprehendi potest, quod incomprehensibile est? At nisi posset, non dixisset Apostolus: ut comprehendamus cum omnibus Sanctis. Sanctissimi comprehendunt. Quæris, quomodo? Si Sanctus es, comprehendisti, & nosti: si non: esto, & tuo experimento scies. Sanctè facit affectio sancta & ipsa gemina, Timor Domini Sanctus, & Sanctus amor.* His perfectè affecta anima, *veluti quibusdam duobus brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit, tenet & ait: Tenui eum, nec dimittam.* Verùm de hac comprehensione mihi nullus est sermo, sed de ea quam Sanctus Pater *Disputationem* dicit, quæ proinde est cognitio clara alicujus rei habens majoris perfectionis conditiones, quàm quæcunque intuitiva, & in hac acceptione comprehensionem accipit Augustinus in Epist. 112. cap. 8. dicens: *Aliud est videre, aliud est totum videndo comprehendere, quandoquidem videtur quod præsens utcunq; sentitur, totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt.* Et lib. 12. Civit. 18. *Illud comprehenditur quod scientia cognitione finitur.* Ex his deducunt Theologi tria, primum quòd cognitio comprehensiva Dei debeat esse clara & intuitiva, alioquin non est perfectissima. Secundum deducunt aliqui, quòd debeat esse cognitio omnium, quæ in alquo, seu formaliter, seu eminenter continentur, adeoq; omnium possibilium, & actualium, sive absoluta sint, sive relativa, *quæ qualiter cunq; respicit*, quia nisi hæc omnia cognoscantur, aliquid ejus latebit cognoscentem, & sic non compre-

comprehendet : At Mastrius noster in 1. sentent. putat hoc non esse necessarium, sed sufficere ut comprehendens perfectè cognoscat omnia, quæ formaliter continentur in comprehenso, ad hoc ut dicatur comprehendere verè, sed licèt videatur lis de nomine, attamen ei subscribendum est, quod probatur tum ex D. Augustino dicente: Quod nihil ejus debeat latere sed quæ tantùm virtualiter continentur, non sunt aliquid ejus verè & propriè, nam nec effectus ad entitatem causæ pertinet; nec esse virtuale, & eminentiale est quid distinctum ab ipso esse causæ : tum ex cognitione intuitiva divina, quæ dicitur infinita & comprehensiva, antequam terminetur ad creaturas, nam ut Scotus docet verbum producitur per cognitionem infinitam & comprehensivam non tamen ex cognitione creaturarum, adeoque sufficienter insinuat cognitionem eorum quæ eminenter continentur, non requiri ad comprehensionem : tum quia in comprehensione reali non debent comprehendi omnes effectus à re comprehensa producibiles : tum denique, quia alioquin deberent etiam intelligi omnes effectus, qui per potentiam obedientialem ad quos habet inchoatum principium, producibiles sunt, quod tamen falsum est. Fateor equidem perfectiùs fore, si omnia cognoscerentur, sed dico non esse necessarium. Et quamvis, ut cognoscatur omnipotentia divina, omnes effectus producibiles cognosci debeant, non esse necesse tamen, quòd in particulari cognoscantur, sufficit enim in universali. Tertiò deducunt comprehensionem non solùm debere esse omnium, quæ in re quomodocunque continentur, sed præterea oportere, quòd sit actus perfectissimè commensuratus intelligibilitati objecti totius, ita ut in repræsentando adæquetur intelligibilitati intensivæ & extensivæ talis objecti : Horum autem tertium requiri ad rationem comprehensionis, prout distinguitur à simplici objecti visione non tam colligitur ex locis S. Augustini, quàm ex communi Theologorum consensu, qui *per intelligibilitatem extensivam* intelligunt actum secundùm omnes formalitates in objecto repertas, ad quas ob multiplicationem quodammodo extendi dicitur, & hoc requirebat prior conditio; Per *intensivam verò*, actum commensuratum potentiæ intelligenti, & hoc signanter præter alios docuit Scotus 3. d. 14. q. 1. ad primam §. ad secundam propositionem, *videtur enim*, inquit, *solus ille intellectus comprehendere aliquod intelligibile, cujus est tanta perfectio in intellectivitate, quanta est perfectio vel intelligibilitas intelligibilis, & ideo est ibi commensuratio & adæquatio.* Ubi non requirit commensurationem in essendo inter objectum & intellectum, sed in intelligendo & repræsentando, quod patet ex analogia comprehensionis realis, ubi potentia non debet esse tam perfecta, quàm objectum, nec è contra objectum tam perfectum, ac potentia, sed sufficit quòd sit tanta capacitas in potentia ad continendum, ut nihil lateat, & quòd totum objectum per comprehendens contineatur, hâc tamen differentiâ, quòd comprehendentis realis perfectio entitativa nihil conducat ad perfectionem comprehensionis ex eo, quòd semper fiat secundùm quantitatem, quæ in omnibus eadem est, in comprehensione intellectuali verò, non est semper idem intellectus in perfectione, secundùm quam proinde major, vel minor attenditur perfectio comprehensionis, ut patet de ipsismet actibus. Ex his facilè sic describi potest comprehensio : Quòd sit *cognitio clara commensurata & proportionata intelligibilitati objecti.*

Quæ formaliter contineantur non debent latere.

VIII. *Dari esse commensurationem potentiæ & objecti in intelligendo, non in essendo.*

DISPUTATIO IX.

DE VOLUNTATE.

Circa hanc materiam summopere videntur esse injurii Theologi Philosophis, qui ita eam sibi vendicant, ut alienum proprium faciant, nam sicut Animastici est cognoscere animam & intellectum, sic non minùs ipsius erit cognoscere voluntatem, quo jure ergò ad Theologos devoluta est? Existimo rationem esse, quòd nonnulli Philosophi nimiùm laconicè rem tangant, & quidquid vel modicum de moribus sapit, authoritatemq; & Sanctorum Patrum controversias redolet, statim ad Theologos transmittunt, hoc tamen universale non est, nam è contra alii multi sunt profusi, ergò mediò tutissimus ibo, & eam secundùm esse Physicum, non prout moralitatem induit explicabo. Sit igitur

QUÆSTIO I.

Quid sit voluntas?

I. *Datur voluntas.*

Suppono dari voluntatem, nam sicut præter sensitivam potentiam cognitivam quæ competit hominibus ratione animæ, quâ sensitiva est, datur in illis appetibus sensitivus ipsi correspondens, ita etiam præter cognitionem spiritualem & rationalem dari appetitum rationalem ipsi correspondentem fatentur omnes, qui ratione utuntur, aut credunt Scripturarum Testimoniis Gen. 4. Eccles. 18. Galat. 5. ad Rom. 7. &c. unde clarè mellifluus ait tract. lib. arbit. cap. 2. *Communem itaq; habentes vitam cum arboribus, sensum verò & appetitum & æquè vitam cum pecoribus, id quod dicitur voluntas, nos ab utriusq; discernit:* Id quoque docet expressè D. Augustinus serm. 63. de verb. Domini cap. 7. dicens : *Tertium quæro, habes memoriam, qua teneas quod dicitur, habes intellectum quo intelligas quid tenetur? De his duobus requiro abs te volens tenuisti & intellexisti? Volens planè inquis: habes ergò voluntatem.*

II. *Est distincta ab appetitu sensitivo.*

Suppono secundò: Voluntatem esse potentiam realiter distinctam ab appetitu sensitivo, formaliter ab ipso intellectu, quod patet tum ex dictis de distinctione potentiarum inter se in generali; tum ex diverso modo operandi utriusque, ipsa tamen, sicut nec appetitus sensitivus, in appetibilem & irascibilem verè & realiter distinguitur. His suppositis duo examinabo in hac quæstione, primò quid sit voluntas? Secundò, an sit perfectior intellectu? Ad primum

III. *Describitur voluntas.*

Dico 1. *Voluntas est appetitus formaliter, & ex se primariò liber cum ratione activus.* Patet ex regulis bonæ definitionis & primò quidem quòd sit appetitus (hæc particula habet rationem generis) probatur ex D. Bernardo tract. de grat. & lib. arb. cap. 1. ubi ait: *Enimverò aliud est voluntarium consensus, aliud naturalis appetitus. Posterior quippe nobis communis est cum irrationalibus, nec valet consentire spiritui carnis irritus illecebris. Et fortasis ipse est, qui alio nomine ab Apostolo sapientia carnis appellatur, ubi ait: Sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subjecta, nec enim potest. Hanc ergò ut dixi communem habentes cum bestiis consensu voluntarium nos discernit.* Item quòd sit formaliter liber, nam statim subdit: *Est enim habitus* (facultas, potentia, frequenter & à Bernardo, & à D. Augustino appellantur habitus) *Animi, liber sui. Ubi ergò consensus est, ibi voluntas; Porro ubi voluntas ibi libertas.* Unde D. Augustinus eam definit lib. 1. lib. arb. cap. 12. *Quâ appetimus rectè honestèque vivere & ad summam sapientiam pervenire.*

Probatur quod sit libera.

Probatur id ipsum ratione à priori: Quia voluntas voluntas est, sicut enim essendi ratio non potest dari alia, sic nec agendi: Deinde quia liberum & naturale sunt differentiæ essentiales subdividentes causam efficientem, & non materialem, ut perperam vult Arriaga. Secundò à posteriori, nam omnia alia præter voluntatem necessariò, & naturaliter agunt, nam Sol necessariò illuminat, ignis necessariò calefacit, bruta animantia *sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu*, inquit D. Bernardus serm. 81. in Cantica. Intellectus quoque ducitur à veritate ad assensum, à falsitate ad dissensum, & non potest movente phantasmate aliud objectum intelligere, quàm illud repræsentat, neque valet actum suum suspendere: Sola autem voluntas hoc potest, nam positis omnibus prærequisitis, liberè & intrinsecè se movet, ut velit, vel nolit, omnemque actum omittat, ergò sola est formaliter libera, quia per formam liberam ordinariè intelligimus eam, quæ positis omnibus potest operari, vel non operari. Denique si aliqua potentia libera esset præter voluntatem, maximè appetitus sensitivus, & intellectus; neutrum dici potest, ergò: Non appetitus sensitivus, quia alioquin pueri, bruta, peccare possent; imò omnes motus appetitus voluntatis consensum prævenientes peccata essent contra Concil. Trident. sess. 5. in decreto de originali: Nec etiam intellectus, tum ob easdem rationes, tum quia alioquin eodem peccato quilibet bis peccaret, semel per intellectum, quo judicaret, alterâ vice per voluntatem, quâ malum vellet, quia esset duplex libera legis transgressio.

Probatur 1° *cum ratione* ex D. Augustino lib. 12. de Trinit. cap. 3. ubi appellat voluntatem appetitum rationalem. D. Bernardus supra appellans voluntatem *motum rationalem*. Et serm. 81. in Cant. ubi per hoc distinguit bruta à nobis dicens: *Neq; enim judicium habent, quo se dijudicent, sive regant, sed ne instrumentum quidem judicii, id est rationem: Unde est quòd non judicantur, quia non judicant. Quænam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt? Hanc vim solus homo à natura non patitur, & ideo solus inter animantia liber.*

Ex his patet etiam ultima pars nempe *activum*. Et ex Concil. Trident. sess. 6. Can. 4. ubi damnantur hæretici asserentes liberum arbitrium in justificatione nostra merè passivè se habere. Et ex ratione, quia libertas sine activitate salvari non potest, nam quòd quid possit recipere, vel non recipere non præsuit confert Dominium ei super suos actus: Unde materia non dicitur esse libera respectu formarum, quia indifferenter se habet ad eas, cùm sola hæc sit indifferentia passiva, & nullum patiens quâ patiens habet in potestate sua actus suos, sed quâ agens, quia quâ patiens est posterius, nullum autem posterius habet in potestate sua illud, quod prius est ut est agens.

Opponitur Authoritas Sanctorum Patrum, qui frequenter dicunt, liberum arbitrium esse facultatem rationis & voluntatis, ergò non modo voluntas, sed etiam intellectus est liber. Respondeo negando consequentiam, quia Sancti Patres contrarium tenent, nam S. Bernardus supra ponit in solo voluntatis consensu, & subdit hoc, ergò est liberum arbitrium. Unde si aliqui contrarium tenent aut etiam in intellectu ponunt, non ponunt pro formali ratione, sed quia ad liberi arbitrii usum prærequiritur intellectûs manuductio & ostensio, cùm voluntas sit potentia cæca nihil etenim *volitum quin præcognitum.*

Instatur: Si nihil volitum quin præcognitum, ergò si intellectus non est liber in judicando & ostendendo, nec voluntas erit libera in volendo. Respondeo negando sequelam, si simpliciter accipi debeat, si verò velit, quòd nihil possit voluntas velle, quin aliquomodo primò ostendatur concedi potest, secus si velit quòd ostensio sit ratio determinans ad volendum.

Dico 2. *Voluntas est perfectior, quàm intellectus.* Ita Authores supra.

Probatur primò Authoritate S. Bernardi tract. de grat. & lib. arb. cap. 2. ubi eam definiens dicit: quòd sit *motus rationalis, & sensui præsidens, & appetitui*, ac statim subtus intellectum appellat *pedissequam*, & *datam in ministerium*, sed quæ est alterius pedissequa est imperfectior, quàm illa, cujus est pedissequa, quòd licèt non convincat in hominibus, ubi non est imperfectior Dominus & servus, nam non est distinctio *Judæi, & Græci Domini & servi*, convincit tamen hâc, voluntas enim & intellectus sunt potentiæ

potentiæ specie distinctæ, & consequenter si intellectus est *pedissequa* voluntatis, imperfectior erit, quàm voluntas: & per totum tractatum voluntatem præ intellectu extollit & exaltat.

Probatur secundò: Illa est potentia perfectior, quæ habet perfectiora dona, sed voluntas habet talia, ergo: Probatur minor, nam habet charitatem, sed hæc est perfectissimum Dei donum. ergò: Probatur minor ex D. Augustino 13. Trinit. cap. 19. ubi dicit: *In donis Dei nullum est majus donum charitate, nec æquale*, quod de hoc statu solo non debet intelligi, nam D. Dionysius cap 7. super Cœlestem Hierarchiam dicit: *Dilectionem juvereminere scientiæ*, unde etiam ait: *Supremum Angelorum ordinem à dilectione nomen habere, secundum à scientia.* Similiter D. Bernardus lib. 5. de consid. cap 4. perfectissimos Angelos Cherubinos vocat, totos igneos, & *totos divino igne succensos succendere universa*, cùm tamen Cherubinos dicat solùm *fluenta scientiæ universis civibus suis refundere.*

Probatur tertiò: Quia illa potentia est perfectior, cui competit perfectior actus, & habitus, talis est voluntas, ergò: Major patet, probatur minor quoad actum, quia nullus est, qui non plus desideraret perfectissimè amari, quàm cognosci, & hoc quia est signum amicitiæ majoris, ergò perfectior est Dei amicus, qui ipsum perfectissimè amat, quàm qui perfectissimè cognoscit etiam per lumen gloriæ. Quoad habitum est S. Pauli 1. ad Corinth. 13. dicentis: *Major horum est charitas.*

Probatur quartò Conclusio, quia illud est perfectius, quod excludit majorem imperfectionem, sed amor excludit majorem imperfectionem, quàm visio, seu cognitio, ergò est perfectior, ergò alterius potentia elicitiva actûs perfectioris est perfectior: Probatur minor, quia excludit odium Dei, quo major imperfectio non potest excogitari. Hæc probatio videtur Pontio multùm probare, nimirum amorem naturalem Dei esse perfectiorem visione beatâ, quia ex natura sua talis amor excludit quodcunque peccatum actuale, imò inquit, hæc probatio probat quemcunq; actum virtutis esse perfectiorem visione beatâ, quia quicunque actus virtutis excludit actum vitiosum sibi oppositum, qui actus sine dubio est imperfectior carentiâ seu privatione visionis; sed salvo meliori judicio in hoc ego parum video difficultatis, etsi dicatur actus amoris naturalis Dei esse perfectior in sua substantia, quàm actus visionis beatæ, cùm talis actus amoris Physicè opponatur actui odii Dei, qui est maximum malum, & summa imperfectio, non item illud quod opponitur visioni beatæ; & idem dicendum puto de actibus virtutis, & non improbatur sufficienter.

VII. **Confirmatur primò:** Quia cognitio ordinatur ad amorem, & non ècontra, ergò amor est perfectior, & consequenter potentia elicitiva amoris est perfectior potentiâ elicitivâ cognitionis. Secundò volitio est posterior generatione, quàm intellectio, ergò perfectior: Ex Scoto ibidem, & Anselmo apud Cavellum ibidem in Scholio ad n. 19. quia voluntas in regno animæ movet cæteras potentias, imperat illis, solaque de se pronunciat secundùm Anselmum; *Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.* Rationes D. Thomæ suadentes perfectiorem esse intellectum quàm voluntatem, adducit Doctor fusè ad oppositum in littera ejusdem quæstionis à n. 19. & solvit argumenta principalia, objicit etiam sibi ibidem in Comm. 4. argumenta, quæ facile solvi possunt, præcipuum est illud, videlicet potentiam cognoscitivam ex genere suo esse perfectiorem appetitivâ ex genere suo, ergò suprema cognitiva, qualis est intellectus est perfectior suprema appetitivâ, verbi gratiâ voluntate, negat Hiquæus antecedens, docetque appetitum sensitivum esse perfectiorem cognitivâ sensitivâ in brutis, quam subordinat, sicut & potentiam loco motivam, seu progressivam, & illud à fortiori habet locum in homine, maximè juxta plerosque, qui docent solum appetitum sensitivum esse subjectum virtutum moralium; & negat etiam consequentiam, quia voluntas ultra perfectionem appetitûs in genere addit libertatem formalem, quæ est perfectio simpliciter. Sed directè contra conclusionem opnunt nobis Thomistæ, quasi easdem rationes ex opposito, & ex iisdem principiis, & primò ex dependentia

Rationes D. Thomæ.

VIII. **Arguitur:** Intellectus minùs dependet à voluntate, quàm voluntas ab intellectu, sed in quo est major dependentia est major imperfectio, ergò. Respondeo negando minorem, ut patet de forma substantiali & materia prima, forma enim dependet à materia, & materia nullo modo à forma, & tamen secundùm omnes forma est perfectior, & quòd voluntas dependeat ab intellectu quoad ostensionem objecti non facit, quòd sit imperfectior, aliàs noster intellectus esset imperfectior sensibus externis, à quibus dependet pro hoc statu.

Dependentia non arguit imperfectionem.

Instatur: Voluntas dependet etiam in agere ab intellectu, ergò adhuc imperfectior: Probatur antecedens, quia intellectus regulat operationem voluntatis ut in tantum bonæ sint in quantum fuerint conformes, vel difformes rationi, ergò. Respondeo distinguendo antecedens, dependet in operari ab intellectu, sicut Dominus à servo sibi in tenebris prælucente, cujus ministerio eget, concedo antecedens, dependet, ita ut sine eo operari non possit, vel ejus concursum requirat nego antecedens. Unde potiùs intellectus dependet à voluntate, quia ejus subest imperio. Respondeo secundò negando antecedens & distinguendo ejus probationem, intellectus regulat voluntatem ostendendo concedo; authoritativè præcipiendo nego antecedens, nam intellectus non regulat plùs voluntatem, quàm Consiliarius Principem, & hinc licet actiones voluntatis bonæ sint ex conformitate ad rationem, hoc est veluti à termino, à voluntate tamen bonæ sunt veluti à radice, & fundamento ratione libertatis, quod est fundamentum totius mortalitatis.

Argui-

IX. *Charitas est perfectior lumine gloriæ.*

Arguitur secundò Ex perfectione majori donorum. Illa potentia est perfectior quæ habet perfectiora dona, sed lumen gloriæ est perfectius quàm charitas, estque donum intellectûs, ergò: Probatur minor, quia illud est perfectius, quod non est commune viatori, & beato, sed tale est lumen gloriæ. Respondeo negando minorem, cum majori probationis, nam licèt charitas communis sit viatori, & comprehensori in habitu, non licèt tamen inferre quòd sit perfectius lumen gloriæ, quia potest aliquod bonum beatis proprium minùs esse perfectum, quàm donum viatoris, certum enim est, quòd cognitio rerum creatarum in verbo minùs perfecta sit, quàm charitas, & dotes corporis glorioſi esse minùs perfecta accidentia, quàm sint habitus virtutum moralium, quæ tamen sunt viatorum. Deinde arguitur à mala distributione, nam comparat charitatem viæ cum dono patriæ, stando autem in paritate, sicut charitas viæ est perfectior, quàm sit fides, & cognitio, ita charitas patriæ perfectior quàm visio & lumen gloriæ; & sicut defacto lumen gloriæ non est in viatoribus, ita nec charitas consummata & perfecta.

Instatur: Per lumen gloriæ distinguitur Beatus à non Beato, non verò per charitatem, ergò lumen gloriæ est perfectius donum: patet consequentia, quia quod in perfectiori statu rem ponit, perfectius etiam est. Respondeo distinguendo antecedens, per lumen gloriæ distinguitur Beatus à non Beato tanquam per rationem formalem magis principalem constituentem illum talem nego antecedens, tanquam per conditionem sine quo non concedo antecedens, actus itaque voluntatis, in quo est formalis Beatitudo & principalis, præsupponit actum intellectus, unde dicitur beatitudinem esse præsuppositivè in intellectu, in fruitione formaliter & essentialiter ita quòd si posibilis esset actus fruitionis sine visione, in ea adhuc consisteret formalis & principalis beatitudo intensiva, non tamen in actu visionis sine fruitione, & tunc si fruitio non repugnet fidei, posset esse essentialiter Beatus, & adhuc esse in fide, quia esse in fide non est nisi esse viatorem, & non beatum secundùm quid, & accidentaliter.

X. *Intellectus non habet perfectius objectum quàm voluntas.*

Arguitur tertiò Ex perfectiori objecto; intellectus habet perfectius objectum, quàm voluntas, ergò; probatur antecedens, quia habet verum, sed hoc est perfectius, ergo: probatur minor, quia est abstractius, simplicius, quàm bonum, verum enim abstrahit ab existentia & singularitate, bonum autem semper connotat singularitatem & existentiam. Respondeo primò negando antecedens, cum sua probatione, quia nec intellectus habet pro objecto verum, nec voluntas bonum sed utraque ens, adeoque ex objecto præcisè non potest inferri perfectio major. Deinde posito quòd bonum esset objectum voluntatis, & verum intellectûs, argumentum concluderet pro nobis, quia bonum est perfectius, quàm sit verum, cùm ens magis explicetur per bonitatem, quàm per veritatem, & plus requiratur ad bonitatem, quàm ad veritatem, bonum enim supponit integritatem omnium, ac etiam ipsam veritatem. Et hoc supposito stante Respondeo secundò, negando verum esse perfectius, cum probatione, quia objectum voluntatis æquè est abstractum, si non abstractius, nam multa appetit, quæ nec sunt, nec esse possunt, multa etiam sine suis inferioribus ut Episcopatum sine Sacerdotio, & ordinariè bona appetit sine determinatione ad hæc vel illa. Et dato quòd non appeteret nisi bonum existens & singulare, ex hoc, non modo non potest inferri esse imperfectius, sed infertur potius esse multò perfectius, nam sicut notitia quæ est rei præsentis & existentis est intuitiva & perfectior, quàm abstractiva, sic esset etiam actus voluntatis semper perfectissimus, quia semper rei existentis. Attamen misso hoc supposito, dico quòd sicut intellectus potest ferri in rem præsentem & absentem per diversos actus, sic voluntas per fruitionem & possessionem in præsentem, & per desiderium in absentem, ab utroque præscindit amor.

Arguitur quartò Ex emanatione. Illa facultas animæ est perfectior, quæ priùs naturâ fluit ab ejus essentia, nam quod magis accedit ad maximè tale, est magis tale, sed intellectus priùs naturâ fluit ab essentia animæ, quàm voluntas, ergò. Respondeo negando majorem, & patet ex 9. Metaphys. text. 15 posteriora generatione sunt priora perfectione, quia natura ab imperfectiori pergit ad perfectius in eodem ordine, ut patet de corpore & anima, non tamen in diverso ordine, ut patet de forma substantiali, & accidentibus.

Instabis: Differentiam quasi essentialem assignamus hominis à brutis, quòd sit intellectivus & rationalis, sed hoc habet ab intellectu principaliter, quia voluntas est rationalis ex participatione, ergò. Respondeo hanc differentiam esse tantùm ex communi usu loquendi, quatenus natura intellectualis intellectum & voluntatem importat, unde homo propriè secundùm utramque potentiam à brutis differt, imò rationem spectando potius per voluntatem differre debet, quàm per intellectum, quia libertas est maxima perfectio hominis. Quòd autem defacto hæc differentia non desumatur à libertate, hoc ideo est, quia libertas non ita omnibus nota fuit, ut ipse discursus, vel alia opera intellectûs, nam licet multi operationes intellectus cognoverint, de libertate tamen voluntatis dubitârunt, ut patet de hæreticis.

QUÆSTIO II.

De libertate voluntatis.

Definita est supra voluntas per libertatem, hîc proinde examinanda est ratio in qua consistat libertas; & imprimis per liberum illud non intelligitur spontaneum & complacenter agens, nam omne agens etiam naturale dum operatur conformiter ad suam inclinationem operatur sponte & non coactè, & complacenter, sed accipitur liberum, prout opponitur naturaliter agenti & non determinato ad unum

non qualecunq; unum, sed ad unam ex contradictoriis partem, vel saltem ex contrariis idque ex suis principiis intrinsecis, absque eo, quod ad unum determinetur ad extra, & hinc licèt causæ universales & æquivocæ sint indeterminatæ ad plures effectus contrarios & disparatos, ut est Sol respectu vermis vel herbæ, hominis vel bruti non dicitur tamen esse liber, tum quia non est indeterminatus ad utramque contradictionis partem; tum quia licèt ex se ad omnes sit indifferens determinatur tamen ad herbam potiùs quàm ad vermem, ad hominem quàm brutum ab extra per dispositiones singulorum agentium subordinatorum, unde licèt hoc etiam liberæ potentiæ competere possit, quòd sit indeterminata ad plures effectus, hæc tamen sola non sufficit.

II. *Libertas generaliùs sumpta est triplex à peccato, à miseria & à coactione.*

Notandum secundò Ex D. Bernardo tract. de grat. & lib. arbit. cap. 3. libertatem in communi & impropriè adhuc esse triplicem: *A Peccato, a Miseria & a coactione*, seu *determinatione*, quam appellat à necessitate & hæc est propria: Omnes explicat in hunc modum: *Sed sanè liberum: non illâ libertate, de qua dicit Apostolus: ubi Spiritus Domini ibi libertas. Est enim illa libertas a peccato, sicut alibi dicit: cùm enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ: Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo; habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. Quis verò in carcere peccati a peccato sibi vindicat libertatem? Hac ergò libertate meritò nequaquam dictum arbitror liberum arbitrium. Est item libertas à miseria, de qua idem Apostolus: Et ipsa, inquit, Creatura liberabitur à servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei, sed nunquid & istam sibi quispiam in hac mortalitate præsumit? Et hac itaq; liberum nominari arbitrium, non immeritò abnuimus. Est verò quam magis ei congruere arbitror libertatem, quam dicere possumus à necessitate, eò quòd necessarium voluntariò contrarium esse videatur: siquidem quod ex necessitate fit, non jam ex voluntate & è converso similiter.* Ubi licèt absolutè videtur Sanctus Pater velle, quòd libertas opponatur necessitati, intelligendus tamen est de necessitate extrinseca, seu prout idem est, quod coactio & non libera determinatio, quamvis necessaria, nam si hanc excludere vellet, nequaquam posset dicere Deo competere, cùm tamen Deus liberè amet se & necessariò, liberè spiret Spiritum Sanctum, & tamen necessariò; hinc liberum opponi dicitur naturali & non necessariò, necessarium verò non libero, sed contingenti. Et hoc S. Bernardum tantùm voluisse liquet ex cap. 4. ubi sic loquitur: *Verùm libertas a necessitate æquè & indifferenter Deo, universæq; tam malæ, quam bonæ rationali convenit naturæ. Nec peccato, nec miseriâ amittitur vel minuitur, nec major in justo est, quam in peccatore, nec plenior in Angelo, quam in homine. Quomodo namq; ad bonum conversus per gratiam humanæ voluntatis consensus, eò liberè bonum, & in bono liberum hominem facit, quo voluntarius efficitur, non invitus pertrahitur: sic sponte devolutus in malum, in malo nihilominus tam liberam quam spontaneum constituit sua utiq; voluntate dictum, non aliunde coactum, ut malus sit. Et sic Cœlestis Angelus, aut etiam Deus ipse permanet liberè bonus propriâ videlicet voluntate, non aliquâ extrinsecâ necessitate, sic profectò diabolus æquè liberè in malum corruit & perstitit: suo itaq; voluntario nutu, non alieno impulsu. Manet ergò libertas voluntatis, ubi etiam sit captivitas mentis tam plena quidem in malis, quam & in bonis, sed in bonis ordinatior. Tam integra quoq; prorsus modo in Creatura, quàm in Creatore, sed in illo potentior.*

III. *Libertas propriè accepta alia est essentialis alia accidentalis.*

Notandum tertiò: Libertatem à necessitate dictam à D. Bernardo, quæ est libertas propriè dicta, adhuc esse duplicem, nempe *Essentialem & Accidentalem.* Hæc semper est connexa cum contingentia ad plures effectus, & actus indifferens, & quodammodo priorem consequitur & super eam fundatur, non verò dicitur accidentalis, quòd separabilis sit à potentia, sed ad summum quia est aliquomodo impedibilis, quantùm ad suum usum & exercitium. *Essentialis* ea est, quæ consistit in Dominio voluntatis super suum actum, ad quem se determinat licèt actionem cohibere non possit, & hæc libertas communis est Deo & Creaturis, quâ sese Deus diligit liberè & Spiritum Sanctum spirat, & ut loquitur supra D. Bernardus: *Tam plena in bonis quam in malis.* Libertas essentialis quoque indifferenter se habet ad contingentiam & necessitatem, nam necessitas non opponitur libero, sed contingenti, ut ait Aristoteles 2. Periherm. 3. Nec omnis necessitas tollit Dominium voluntatis super suos actus, sed solùm præveniens, quæ ipsam potentiam sibi subjicit & determinat ad agendum, si verò sit necessitas tantummodo concomitans proveniens ab ipsa potentia sese determinante & quodammodo sibi ipsi hanc necessitatem imponente veluti suum effectum, non tollit libertatem, hinc D. Augustinus in Enchridio c. 73. vocat liberam voluntatem quâ volumus ita esse beati, ut non possimus velle esse miseri, D. Anselmus lib. de lib. arb. cap. 1. *Liberior ea voluntas est, quæ a rectitudine declinare non potest.*

IV. *Libertas adhuc alia est contrarietatis & contradictionis.*

Notandum quartò: Libertatem adhuc esse duplicem: alia enim est *Libertas contrarietatis*, ut quando potentia positis requisitis potest velle vel nolle id, quod proponitur. Altera adhuc est *libertas contradictionis*, quâ potest quis elicere & suspendere actum, non tamen habere actum oppositum, & utramque libertatem habet Deus respectu existentium ad extra, quia potest velle & nolle existentiam cujuslibet Creaturæ, & suspendere cursum præservativum ejus. Scotus in 1. d. 38. ad primum, libertas contrarietatis vocatur alio nomine *specificationis*, quia per illam potest elicere actus unius, & alterius speciei oppositos. Libertas contradictionis dicitur *Exercitii*, quia ad exercendum actum & non exercendum, & hæc includitur in libertate speciei, sed necessitas exercitii è contra non includit necessitatem speciei, de quo vide Scotum in 1. d. 1. q. 4. n. 18.

His prænotatis quæritur primò, quam libertatem habeat voluntas nostra? Secundò, an hæc communis potentiæ liberæ definitio, *quòd sit illa quæ positis omnibus prærequisitis ad operandum potest agere, vel non agere* sit bona? Ad primam

V. *Libertas à miseria & à peccato habebitur in patria.*

Dico 1. *Libertas à miseria & peccato habebitur etiam in Patria.* Hæc est conformis ad D. Bernardum, ubi dicit, quòd libertas complaciti in hac vita non sit, sed solummodo in beatis, vel visione beatâ frequentibus. Ita enim loquitur de hac materia citatus cap. 4. ubi dicit: *Qui autem jam tenent, quod auferendum non est, experiuntur utiq; quod futurum est, sed quod futurum est, felicitas est. Porro felicitas & miseria eodem tempore simul esse non possunt. Quoties igitur per spiritum illam participant, toties istam non sentiunt. Itaq; in hac vita soli contemplativi possunt utcunq; frui libertate complaciti: Et hoc ex parte & parte satis modica viceq; rarissima.*

Probatur secundò Ex Authoritate S. Augustini Enchrid. 105. *Sic oportebat prius hominem fieri, ut & bene posset & male velle, postea verò* (id est in beatitudine) *sic erit, ut male velle non posit, nec ideò libero carebit arbitrio, multò quippe liberius erit arbitrium, quòd non poterit servire peccato.* Et secundùm D. Anshelmum de lib. arbit. *Liberior voluntas, quæ à rectitudine declarare non potest.*

Probatur ex ratione, quia beati tum erunt liberi ab omni molestia corporis, utpote omnibus solemnioribus dotibus præditi; tum quia absolutè peccare non poterunt; ergò erunt liberi tam à peccato, quàm à miseria: Antecedens est Scotistarum communiter, consequentia est evidens. Et si quis antecedens negare vellet, ad Theologos remittendus est, ubi non modò Scotistæ impeccabiles dicunt beatos, sed etiam Thomistæ eos intrinsecè impeccabiles defendunt.

VI. *Libertas essentialis & accidentalis, contrarietatis & contradictionis datur in omnibus.*

Dico 2. *Libertas tam essentialis quàm accidentalis, tam contradictionis, quàm contrarietatis in omnibus hominibus pro hoc statu datur:* Ita Fides Catholica.

Probatur primò Ex Sacra Scriptura Deut. ubi dicitur: *Testes invoco Cœlum & Terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, maledictionem & benedictionem, eligite, ergò.* Josue 24. *Optio vobis datur, eligite quid placet.* Eccles. 24. *Apposui tibi ignem & aquam, ad quod volueris, extende manum.* In quæ verba D. Augustinus de grat. & lib. arbit. cap. 12. *ubi*, inquit: *Aptissimè videmus expressum, nostræ libertati arbitrium.* Item Zachar. 16. *Convertimini ad me & ego convertar ad vos.* Et Trident. Sess. 6. & 4. dari liberum arbitrium in nobis, quod non est aliud, quàm voluntas quâ talis est, principium agendi cum indifferentia, talis ergò indifferentia superaddita voluntati, quæ vocatur principium agendi spontaneè circa objectum, voluntatem esse liberum arbitrium facit, & non aliquis habitus superadditus, ut malè imaginatur Albertus, tum quia habitus non agit, nisi in quantum determinatur à potentia, cui datur: tum quia omnis habitus agit naturaliter; ergò non constituit aliquid in esse agentis liberi & quis non videt, & experitur in manu sua posse facere multa quæ non facit & multa omittere, quæ facit.

Probatur secundò Authoritate SS. Patrum Augustini lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Si laboriosum est*, inquit, *omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene: quæcunq; ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti sine peccato ei creditur.* S. Bernardi: *Cæterum, quod sui liberum arbitrium non esse cognoscitur: quo pacto vel bonum ei, vel malum imputatur? Excusat nempe utrumq; necessitas. Porro ubi necessitas, ibi libertas non est: ubi libertas non est nec meritum, ac per hoc nec judicium, excepto sanè per omnia originali peccato: quod aliam confitetur habere rationem. De cætero, quidquid hanc non habet voluntarii consensûs libertatem, procul dubiò & meritò caret & judicio: proindè universa quæ sunt hominis præter suam voluntatem ab utroq; libera sunt, quia sui libera non sunt. Vita, sensus, appetitus, memoria, ingenium & si quæ talia sunt, eo ipso subjacent necessitati, quo non planè subdita sunt voluntati. Ipsam verò quia impossibile est de se ipsa filio non obedire (nemo quippe aut non vult, quod vult, aut vult quod non vult) etiam impostbile est suâ privari libertate. Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem, ut nunquam amittat libertatem. Tam ergò non potest privari illâ, quàm nec seipsa. Properit homo aliquando, aut nihil omninò velit, aut velit aliquid & non voluntate, poterit & carere libertas voluntas.*

Probatur tertiò: Fruſtra essent exhortationes & monitiones, ut homines abstineant à vitiis, & contra hoc nihil facit illud Isaiæ: *Benè & malè si potestis, facite*; quidquid mentiatur Lutherus, quia Propheta irridet Idola muta gentium; vel si loquatur de hominibus, vult, quòd sine Deo nihil meritorium vitæ æternæ possint: Et D. Augustinus quoque objectus in Enchirid. lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianas explicat seipsum dicens: *Non*, inquit, *Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere hominibus subditis diabolo, ad bene autem piè vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis, Dei gratiâ fuerit liberata & ad omne bonum adjuta.* Et potest dici cum Pontio, quòd perdiderit felicitatem homo, quam habebat ad operandum bene per peccatum, vel saltem ad operandum operationibus meritoriis vitæ æternæ.

VI. *Contra alios.*

Dico 3. *Libertas absolutè & universaliter sumpta non benè describitur per datam descriptionem.*

Probatur, quia voluntas Divina libera est libertate infinitâ, ita ut non possit naturaliter agere, sed voluntas Divina quando amat se, & quando spirat Spiritum Sanctum, positis requisitis non potest non agere; ergò liberum non consistit in posse agere & non agere, consequenter malè describitur potentia libera, ut sic per datam descriptionem.

Probatur secundò: Si potentia libera benè describeretur per datam descriptionem, sequeretur, quòd potentia quæcunq; libera posset habere actus oppositos, sed nequit quælibet potentia sic transire, ergò: Major est Adversariorum, qui in potentia libera requirunt, ut possit habere actus oppositos; Probatur minor; voluntas Divina est potentia libera, sed voluntas Divina non potest habere actus oppositos, ergò. Sed in

Contra Arguitur,

VIII. *Stat libertas cum necessitate.*

Arguitur, ubicunque est necessitas non est libertas, ut dicit Bernardus sæpè citatus cap. 2. ergò si voluntas Divina necessariò se amat, & necessariò spirat, non erit libera, quia jam erit determinata. Respondeo distinguendo antecedens, ubicunque est necessitas non est libertas, si sumatur necessitas pro coactione, aut naturali modo agendi concedo antecedens; si necessitas sumatur simpliciter, nego antecedens & consequentiam. Itaque sicut antea dixi, necessarium non opponitur libro, sed contingenti, liberum autem directè opponitur naturali, quod nobis sufficere debet, qui Christi castra & fidem sequimur, utpote cum certum sit in Divinis aliquam potentiam esse liberam, & tamen necessariam, quod esse non potest, si liberum & necessarium opponerentur: quia nullæ duæ perfectiones simpliciter simplices sunt sibi oppositæ, liberum autem & necessarium sunt perfectiones simpliciter simplices, ergò.

Instatur: Liberum & naturale sunt perfectiones simpliciter simplices, sed liberum & naturale opponuntur sibi; ergò falsum est perfectiones simpliciter simplices non opponi. Sed respondeo negando minorem, quia sicut liberum invenitur in voluntate, ita naturale in intellectu, qui identificantur cum voluntate, nihilominus magis tamen pugnant, quàm liberum & necessarium, quia illa opponuntur ex diametro, cùm sint differentiæ contrapositæ, istæ autem non, adeoque cùm priora illa compatiantur se in eodem realiter, ista poterunt se etiam compati in eodem formaliter uno.

Urgetur: Si actus amoris Dei, qui non habet libertatem specificationis & contradictionis potest dici liber, sequeretur quòd etiam actus intellectûs posset dici liber, hoc posterius est falsum, ergò & prius. Respondeo negando sequelam, disparitas est, quòd voluntas se determinet ad actum suum, intellectus non, & licèt hoc videatur verbale, tamen habet fundamentum in Philosophia, quia nimirum actus intellectûs fit non solùm ab ipso intellectu, sed etiam ab objecto, actus voluntatis à sola ipsa.

IX. *Describitur libertas relata.*

Dico 4. *Libertas ut comprehendit eam, quæ est contrarietatis & contradictionis benè describitur, quòd sit illa vis, quæ determinare potest, ut positis omnibus requisitis ad operandum quocunq; modo quibus operari potest quis agere, vel etiam abstinere possit ab operatione*; patet, nam per primam partem limitatur Conclusio præcedens, per secundam declaratur, quòd libertas alicui competens, debeat habere indeterminationem quoad actus contrarietatis & specificationis.

QUÆSTIO III.

De Radice nostræ Libertatis.

I. *Duplex est radix contingentiæ nostræ.*

Hîc inquiram unde habeat velut ex fundamento & radice, quòd voluntas nostra sit libera, & possit contingenter agere, & hoc quidē consi-

derando ipsam tam secundùm esse intrinsecum, quàm secundùm extrinsecum, unde dicitur communiter duplex radix contingentiæ & libertatis nostræ *Intrinseca* nempe & *Extrinseca*, & secundùm rationem intrinsecam dicunt Thomistæ libertatem provenire ab indifferentia judicii proponentis objectum nec ut amandum, nec ut odio habendum; Extrinsecam verò ab omnipotentia Divina, quæ eminenter vel formaliter ob infinitatem suam continet omnem modum causalitatis causarum secundarum: Scotistæ verò post suum Magistrum dicunt contingentiam ab extrinseco in causis liberis creatis provenire ex libertate Dei, ab intrinseco ex propriis principiis & intrinseca indifferentia causæ secundæ sese determinantis ad agendum, cum quibus

II. *Prima radix nostræ libertatis non est indifferentia judicii.*

Dico 1. *Intrinseca prima radix nostræ libertatis non est indifferentia judicii proponentis sic & sic objectum.* Ita Scotistæ & Recentiores communiter.

Probatur primò: Quia multa volumus, & velle possumus circa quæ nullum omninò habuimus indifferens judicium, solâ nempe præcedente apprehensione, ergò: patet antecedens, quia Angeli mali apprehensâ solâ æqualitate Dei sine judicio indifferenti possibilitatis vel impossibilitatis, voluerunt eam, nam si judicassent eam possibilem, errassent & tunc pœnam sensissent ante culpam, si autem judicassent impossibilem contra judicium voluissent, & consequenter ex propria sua indifferentia; ergò multa velle possumus sine judicio. Quod ulteriùs patet ex appetitu impossibilium, qui frequens est in nobis.

Probatur secundò: Quia experimur nostram libertatem in eis circa quæ non possumus habere judicium indifferens, ergò: probatur antecedens, quia circa ultimum finem beatitudinis, vel circa bonum in communi potest voluntas suspendere actum, vel liberè eum amat, in quibus tamen nullus apparet defectus boni vel ratio mali, veri vel apparentis, consequenter nullum potest haberi judicium indifferens, ergò.

Probatur tertiò: Quia judicium indifferens de aliquo objecto non habetur nisi secundùm unam partem affirmando & demonstrando tanquam verum, & secundùm alteram sophisticè, & deceptorio modo discurrendo, & sic unum judicium erit verum, & alterum erroneum, vel ad minùs, ut concedunt Adversarii, circa utramque partem probabile, sed in tali judicio non potest esse radix libertatis nostræ, ergò: Probatur minor, quia alioquin Divina voluntas non esset libera, quia hæc nec in judicando decipitur, nec de objecto aliquo habet notitiam & judicium probabile, sed semper certum & evidens, ergò.

Probatur quartò: Ponantur diversa judicia de eodem objecto, verbi gratiâ, de ambulatione, vel oratione, nempe esse orandum pro remissione peccatorum, vel petitione lacrymarum, vel pro pace &c.

quo facto quæro vel potest voluntas sequi quodcunque judicium, vel non potest sequi ad libertatem? Si primum dicatur, sequitur voluntatem ipsam esse primam radicem nostræ libertatis; si secundum, sequitur voluntatem nullo modo esse liberam, nam manentibus judiciis istis idifferentibus manebit voluntas perplexa, nec magis inclinabit ad unam partem quàm ad aliam, postquam verò judicium erit determinatum ad unam partem necessariò sequi debebit, & sic non erit libera. Sed contra conclusionem

III. *Objiciuntur & solvuntur Patres.*

Opponitur Authoritas S. Bernardi tract. de grat. & lib. arb. cap. 2. qui appellat voluntatem *motum rationalem*: Similiter alii Patres voluntatem dicunt liberam, quia est appetitus rationalis & appetitus sensitivus non est liber quia irrationalis, ergò libertas voluntatis à ratione provenit. Respondeo S S. Patres, ideo voluntatem appellere motum rationalem, quia semper *rationem habet comitem*, ut loquitur D. Bernardus, nec unquam aliquid velit nisi ratio præcesserit, cùm etiam frequenter agat contra rationem, non verò volunt rationem esse causam cur libera sit, quia si aliqua est non alia quàm conditionalis & prævio prælucens, formalis enim est ipsa entitas voluntatis, efficiens Deus.

Instatur: Voluntas dicitur ex arbitrio libero libera, quia dicit dependentiam ad judicium practicum tanquam ad arbitrem proponentem hoc vel illud sequendum & amplectendum, ergò non habet per modum meræ & nudæ conditionis. Respondeo distinguendo antecedens dicit dependentiam ad judicium tanquam ad arbitrem dantem formale esse libertatis & indifferentiæ radicalis nego, tanquam ad Ministrum & Consiliarium debitè fungentem, vel functurum suo officio concedo antecedens, & nego consequentiam.

Urgetur: Nequit voluntas appetere aliquod bonum nisi intellectus illud proponat ut tale, neque aliquid fugere nisi proponatur ut malum, ergò si judicium determinet proponere bonum, illud debebit appetere voluntas, & si malum illud debebit fugere, ergò infero ulterius, quando voluntas erit libera, hoc habebit, quando judicium erit indifferens, nec proponens ut malum, nec ut bonum. Respondeo concesso antecedente distinguendo consequens, supposito quòd aliquem actum velit voluntas elicere concedo; si velit omnem omittere nego consequentiam utramque; quia licèt voluntas non feratur nisi in bonum propositum ut tale, attamen adhuc indifferens est tunc quoad exercitium, licèt non sit amplius plane indifferens ad specificationem. Unde dicit Mastrius quòd si Thomistæ suis rationibus prætenderent, quòd indifferentia judicii & objectiva sit radix libertatis specificationis essent excusabiles ex parte, quia libertas specificationis præsertim per hoc distinguitur à libertate exercitii, quòd hæc se teneat ex parte potentiæ, illa ex parte objecti, quod per suam bonitatem malitiam potest terminare hunc vel illum actum amoris vel odii.

Arguitur secundò: Actus peccaminosus debet esse liber, ergò est liber ab intellectu, & non à voluntate: probatur consequentia; inde actus est liber unde magis fit peccaminosus sed fit peccaminosus ab intellectu, ergò: probatur minor, unde aliquid fit magis peccaminosum fit simpliciter tale, ut patet de albo, & magis albo, sed ab intellectu fit magis peccaminosus, ergò etiam peccaminosus, ac consequenter liber. Respondeo negando consequentiam, cujus probationem distinguo, inde actus est liber unde est peccaminosus magis libertate morali transeat, libertate Physica & essentiali, nego. Itaque licèt ad libertatem, prout facit actus moralis, requiratur majus perfectum judicium & perfectior advertentia ita quòd quò imperfectior sit advertentia minus mala sit actio, in genere tamen Physico non requiritur advertentia super mores, vel honestum, sed commodum, unde requiritur etiam in pueris ante sufficientem usum rationis.

Dico 2. *Prima radix extrinseca nostræ libertatis non est omnipotentia & efficacia Dei, sed ejus libertas.* Est etiam communis Scotistarum, & Patrum.

Probatur ratione Scoti: Quia si Deus non ageret nobiscum, & cum omnibus causis secundis liberè, ageret necessariò, & naturaliter, quia alius modus non est assignabilis, sed agente Deo necessariò tunc causæ secundæ, vel nihil omnino agerent, vel non agerent liberè, sed necessariò quod est inconveniens, ergò: probatur sequela minoris quoad primum, quia Deus est causa prima infinita respiciens priùs causatum, quàm secunda, ergo si naturaliter & necessariò ageret, produceret se solâ omnem effectum quem cum secunda producere potest, quia infinita causa necessariò agens producit simul omnem effectum, quem producere potest. Probatur etiam quoad alteram partem, quia causæ secundæ non agunt nisi in quantum motæ à causa prima, ergò si causa prima ageret, necessariò & naturaliter moveret, ergò etiam causa secunda ageret necessariò. Nec hæ rationes se invicem destruunt, quia dici potest, unam esse à priori & quasi ex principiis fidei, alteram esse à posteriori, & Phylosophicè. Vel si hoc non placet dicito Scotum primò inferre absolutè causam secundam nihil acturam, ac datâ hypothesi quòd esset productura aliquid, quòd id non faceret liberè, sed necessariò, & quamvis priùs ponatur inconveniens illud quòd nihil actura esset, videtur tamen voluisse progredi ab uno absurdo ad aliud majus, ut primò dicatur arguisse, quòd causa secunda non esset actura liberè, & postmodùm plane inferat nihil penitus ipsam acturam.

Probatur secundò: Si implicaret ens per essentiam, nequiret esse ens per participationem, ergò etiam si implicaret agens infinitum liberè per essentiam, implicaret etiam ens agens liberè per participationem, antecedens patet, quia ens per participationem dicit originem ab ente per essentiam: Consequentia patet

patet à pari, patet etiam infinitam Dei efficaciam non esse causam & primam radicem contingentiæ & libertatis nostræ ad extra, quia hæc non agit, uti potest, sed ut vult accommodando & contemperando se nobis, unde divina omnipotentia quodammodo modificatur per suam libertatem. Nec obstat, quòd dicant Thomistæ omnipotentiam eminenter continere omnes causas secundas, adeoque ipsa præbebit cuilibet modum agendi, quia ipsa ut ipsa continet eas tantùm præcisè ut causæ sunt habentes vim agendi, non verò ut tales sunt, nempe liberæ, vel naturales sic etenim continet eas ratione divinæ libertatis, ob quam ex dominio suo libero finit eas sic & sic agere.

VII. *Voluntas potest dici libera ut activa, & etiam ut operativa.*

Quæres primò: An voluntati conveniat libertas, in quantum activa est, vel ut est operativa? Respondeo posse dici utrumque, nam & Doctor subtilis in 1. d 39. ait voluntatem liberam esse in quantum operativa est, & voluntas divina sic libera est, & tandem si poneretur in intellectu nostro, sine productione nostra volitio, libere possemus per illam tendere in objectum operando. Deinde potest etiam dici libera ut productiva, nam libertas definitur per ordinem ad posse agere, & non agere, & experientia docet, quamdiu actualis est in nobis volitio, quòd semper velimus, nec possimus non velle durante volitione, nisi ipsam deponamus, forma est enim naturalis quæ quamdiu est in nobis semper determinat ad volendum, unde etiam nostram voluntatem liberam dico magis ex eo, quod sit activa, quàm quòd sit operativa.

VIII. *Voluntas est libera in sensu composito prærequisitorum.*

Quæres secundò: An voluntas nostra sit libera stantibus omnibus prærequisitis ad agendum, in sensu composito eorum, vel solùm in sensu diviso? Respondeo eam esse liberam in sensu composito requisitorum, quia alioquin causa libera non distingueretur à naturali, quia hæc est, quæ stantibus omnibus requisitis ad agendum nequit non agere, ergò libera est quæ stantibus omnibus requisitis potest non agere. Deinde si stantibus prærequisitis in sensu composito non posset non agere, sequeretur quòd determineretur ab illis, hoc posito non posset dici libera nisi remotè, non verò proximè, sicut beati defactò dicuntur liberè diligere Deum, in via autem non solùm habemus libertatem remotam, sed & proximam. Imò sequeretur quòd voluntas nunquam posset dici libera, nam hæc tripliciter considerari potest ut activa, primò secundùm se solam in quantum est potentia & sic dicitur libera remotè, secundò quando habet omnia requisita ad agendum, unde dicitur potentia proxima, non quod antecedenter defuerit aliquid de intrinseca activitate, sed quia defuerunt extrinsecè concurrentia & tertio modo ut actu operatur: Ex quo sic probo sequelam, quando voluntas non habet requisita non potest agere, quia desunt necessariò requisita ad agendum; quando adsunt, necessariò agit, ergò nunquam erit libera, nam quando actu operatur, videtur etiam non esse libera, quia actu ut actu est, est forma necessariò secundùm ipsos, de quo tamen in sequenti quæstione conclusione secundâ mentem meam aperiam, pro nunc sit

QUÆSTIO IV.

De actu libertatis.

I. *Quæ examinanda sint in hac quæst.*

Hactenus de voluntate ut in actu primo, nunc examinanda est ut subest actui secundo, unde resolvam primò, unde determinetur ad actu agendum? Secundò, an sub actuali usu & exercitio libertatis sit libera? Tertiò, an actus sit formaliter & intrinsecè liber ita ut libertas ingrediatur intrinsecam constitutionem volitionis, vel nolitionis? Quartò, an possit voluntas exercere suam libertatem per puram omissionem sine omni actu positivo voluntatis directè vel indirectè procedente? Quæ omnia brevibus pertractabo, &

Voluntas non determinatur ab ultimo judicio practico.

Dico primò: *Voluntas non determinatur ad agendum ab ultimo judicio practico intellectûs.* Ita Doctor subtilis contra Thomistas.

Probatur primò Authoritate SS. Patrum, D. Augustini Enarr. in Psal. 123. in illud: *Forte vivos deglutissent nos.* Ubi ait: *Sæpe quid agendum sit videmus, nec agimus, quia non delectat. Ecce videmus quid agendum, & tamen nolumus agere, hi sunt qui vivi sorbentur, qui sciunt malum esse, & consentiunt, & vivunt, & absorpti moriuntur.* Et in Psal. 118 super illud: *Concupiscit anima mea, &c.* inquit. *Præcedit intellectus, sequitur tardus aut nullus affectus.* Et in illud Psal. 68. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, dicit: Quid est? Vitiu consentientes, nisi scientes non debere consentire, ecce norant muscipulam, & pedem mittunt.* Ex quibus textibus sic discurro, scit aliquis malum esse malum, & tamen consentit ad malum, operatur quis illud, dictat intellectus, & tamen nullus est in voluntate effectus, scit malo non esse consentiendum, & tamen consentit, ergò, stante recto dictamine in intellectu, non necessariò sequitur bona electio in voluntate, secundùm D. Augustinum, qui adhuc cap. ult. de Gen. ad Litt. de Salomone dicit: non esse credendum ipsum ignorâsse simulachra illa non esse adoranda, sed amore mulierum fecisse ea, quæ sciebat non esse facienda. Divus Bernardus eleganter eandem veritatem describit tract. de grat. & lib. arb. cap. 2. dicens: *Porro voluntas est motus rationalis, & sensui præsidens, & appetitui. Habet sane quod, si voluerit semper rationem comitem & quodammodo pedissequam: non quòd semper ex ratione* (NB.) *sed quòd nunquam absq; ratione moveatur, ita ut multa faciat per ipsam contra ipsam, & quasi per ejus Ministerium contra ejus consilium, sive judicium. Et paulò infra: Est ergò ratio data voluntati, ut instruat illam, non destruat, destrueret autem si necessitatem ei ullam imponeret, quò minùs liberè pro suo arbitrio sese volueret sive in malum consentiens appetitui, aut nequam spiritui, ut sit animalis non percipiens, vel certè & persequens ea, quæ sunt spiritûs Dei, sive ad bonam gratiam sequens, & fiat spiritualis, quæ omnia dijudicans ipsa minimè judicetur.* In qua authoritate prior locus clarissimus est, & ipsa quasi nostra conclusio. Ex secundo sic argumentor & probo conclusionem ratione primò: Si dictamen practicum ultimum determinaret voluntatem, ratio destrueret voluntatem, sed ratio non est data, ut destruat voluntatem, ergò ad dictamen rectum non sequitur statim voluntatem

tis electio : Probatur sequela majoris, tum ex D. Bernardo citato, qui subdit ibidem : *Si inquam horum quodlibet voluntas prohibente ratione non posset, voluntas jam non esset, ubi quippe necessitas, jam non voluntas ;* tum quia nullus posset mereri vel demereri, cùm evitare non posset actum, nullum enim meritum est in illo, in quo necessarium est.

III. *Voluntas non esset libera.*

Probatur secundò : Ad actum, qui necessariò sequitur ad positionem prioris actûs, non est necesse ponere ullum habitum inclinantem, & adjuvantem præter habitum, qui inclinat ad primum actum, sed præter habitum intellectûs dictantem ad rectè, verbi gratiâ, agendum ponitur habitus electivus inclinans, ut rectè & conformiter agatur ad dictamen rectum, ergò ad dictamen rectum in intellectu non necessariò sequitur bona electio in voluntate. Confirmatur, quia omne inclinans ad antecedens, inclinat etiam ad necessariò subsequens, sed habitus judicii practici inclinat ad actum suum, quid eligendum sit, ergò si ad dictamen rectum necessariò sequitur bona electio non erit necessarius alius habitus ab habitibus intellectûs.

IV. *Nec ullus peccaret ex ignorantia.*

Probatur tertiò : Si dictamen rectum, verbi gratiâ, necessariò determinaret bonam electionem, tunc nullus peccaret nisi ex ignorantia & errore, hoc est inconvenientissimum, ergò & illud, unde sequitur : Probatur sequela, quia electionem vel præcedit verum dictamen, vel falsum, si verum tunc nullum est peccatum, quia nullus peccat, qui eligit conformiter ad dictamen rectum intellectûs : Si verò fuerit falsum & erroneum, ergò sequitur quòd nullus peccat, nisi ex ignorantia. Confirmatur, quia nullus peccaret contra propriam conscientiam, quia peccare contra conscientiam aliud non est, quàm velle vel nolle aliud, quàm dictatum sit à recta ratione, stante hoc dictamine, ergò si ad dictamen rectum semper sequitur electio bona, nullus peccaret contra conscientiam. Confirmatur secundò : Quia hinc sequeretur, quòd scire plurimùm valeret ad bene agendum, quod tamen falsum est, cùm constet multos scire, quæ sint agibilia recta, & tamen ea non facere, imò de iis malè sentire, unde Aristoteles 2. Eth. 2. & 4. dicit : *Quòd scire parum aut nihil valeat ad virtutem.*

Dices : Aristotelem tantùm loqui de scientia simpliciter & purè speculativè sumpta, non verò de practica, quando nempe aliquis tantùm vult scire, ut sciat, & non ut operetur, in priori sensu nihil valet ad virtutem, bene tamen in posteriori. Sed contra licèt scire sumatur practicè, attamen ex hoc non sequitur, quòd statim debeat comitari operatio virtutis, sicut contingit in artibus, ubi scitur quomodo hoc vel illud opus sit faciendum, & tamen non statim sequitur illud opus.

V. *Potest quis velle non dictatum, licèt non, non in intellectum.*

Arguitur : Nullus potest velle, & eligere, nisi prius id intellexerit, quod præelegit, sed eligens contrarium ei quod dictatum est ab intellectu, eligit non intellectum, ergò & Major est D. Augustini 4. de Trinit dicentis : *Invisa possumus diligere incognita nequaquam* : Probatur minor, quia si tunc aliquid præintelligeret, simul duo contraria, vel contradictoria intelligeret, nempe temperatè vivendum, non temperatè vivendum, quæ simul intelligi non possunt, ergò, &c. Respondeo negando minorem, tum quia licèt verum sit, quòd dictatum sit intellectum, non sequitur tamen ad convertentiam, ergò intellectum est dictatum ; unde quando intellectus dictat esse temperatè vivendum, licèt non dictet esse intemperatè vivendum, id tamen intelligit, unde licèt nullus possit velle non intellectum, potest tamen velle non dictatum, tum quia uno eodemque tempore potest intellectus ob diversos fines & motiva utrumque proponere, nempe temperatè vivendum tanquam simpliciter bonum, & intemperatè vivendum tanquam bonum secundùm quid, quia delectabile, & sic hoc eligendo eligit & dictatum, & intellectum, tanquam aliquod bonum ad complacendum appetitui. Ad probationem minoris dico, eam fallam esse, quia licèt illa non dictet simul esse facienda, intelligit tamen ea, simplici quàm maximè intelligentiâ, quamvis fortè non composita, quâ dicatur hoc esse eligendum vel fugiendum, aliquando sub disjunctione ad suum oppositum hoc est eligendum, vel illud ; interdum sub negatione ad suum oppositum, ut hoc est eligendum vel volendum, & non aliud, atque ita dictare unum prosequendum & alterum refugiendum.

VI. *Ignorans dicitur peccare.*

Instatur : *Omnis malus est ignorans*, ut habet Aristoteles Eth. 3. cap. 2. unde etiam dicit D. Dionysius : *Nemo intendens in malum operatur*, ergò qui malè eligit habet ignorantiam, & consequenter nullo modo proponitur ipsi per intellectum. Respondeo, illud dictum Aristotelis multipliciter posse intelligi, primò de ignorantia voluntaria, & affectata, quia qui vult ignorare malus est. Secundò omnis malus est ignorans interpretativè, non formaliter, quia sic agit, acsi ignoraret, vix enim persuasibile mihi est Diabolum sive ante, sive post esse ignorantem formaliter de peccato suo. Tertiò, non vult Aristoteles malum esse ignorantem sic, ut illa mala electio corrumpat dictamen verum faciens existimari falsum, quod priùs judicabat verum, sed malus dicitur ignorans privativè, quia ut liberiùs, & sine tristitia maneat in peccato, desinit dictare, voluntas enim avertit intellectum ab actu intelligendi & dictandi illud verum practicum, cujus contrarium elegit, nam actu verum non considerans, dicitur negativè ignorans. Dictum D. Dionysii similiter potest dupliciter intelligi, primò ad malum intendens in ratione judicantis ; secundò in malum intendens, sub ratione apprehensi & cogniti, primo modo verum est, quòd nullus peccet ad malum intendens, quia intellectus non judicat malum, ut malum esse eligendum ; secundo modo non, quia potest intellectus apprehendere malum sub ratione mali, & voluntas potest illud eligere, & tunc peccat ex certa malitia.

VII. *Voluntas etiam dum est sub actuali exercitio libertatis suæ, seu sub actu volitionis vel nolitionis*

Dico 2. *Voluntas etiam dum est sub actuali*

litionis libera est libereq; efficit eum. Ita Doctor 2. d. 4. & 5. q. 2. & d. 25. q. unicâ.

Probatur primò Ex D. Augustino Epist. 107. dicente: *Neminem peccare ex eo quod fecit, nec quod facturus, sed ex eo quod facit.* Sed peccatum esse liberum debet, quia ubi necessitas est, ibi libertas non est, ubi libertas non est, peccatum non est ait, D. Bernardus supra, ergò dum actualiter quis peccat, liberè facit, peccatur autem per volitionem, ergò dum quis sub actuali est volitione formaliter liber est.

Probatur secundò: Quia si voluntas dum est in actuali exercitio non esset formaliter libera liberè eliciens suum actum nunquam eum liberè eliciet, ergò probatur sequela, quia non potest eum liberè elicere antequam eliciat, nec postquam elicuit, ergò quando actualiter elicit; probatur consequentia, causa non dicitur causa nisi dum actu causat, ergò nec causa libera, nisi dum actualiter causat; probatur consequentia, quia ex actu secundo cognoscitur modus causandi, ergò si causa non dicitur formaliter causa nisi actu causans, nec poterit colligi formaliter libera causa, nisi actu causans.

Probatur tertiò Apriori, quia quælibet causa, adeoque etiam voluntas etiam actu operans & causans intelligitur priùs naturâ suam habere potentiam ad actum, actusque posteriùs naturâ ab ea sequitur, sed in illo priori, quo voluntas intelligitur ante effectum habet suam integram indifferentiam, ergò adhuc integram libertatem & sic producens actum, adhuc dicitur libera ad ponendum, vel non ponendum actum, non quidem conjunctim, sed divisim in illo eodem instanti. Nec valet dicere, quòd voluntas sit libera dum actu operatur, quia potest cessare ab ipso, quia si esset aliquis actus, qui non esset natus manere nisi unico instanti, eum tamen liberè eliceret, & non, quia posset ab eo cessare pro sequentibus, quia ipse actus de se non est nisi unico instanti natus durare, & adhuc supponitur esse liber, ergò. Sed in contra

VIII. *Objicitur & explicatur Doctor subtilis, & Aristoteles.*

Opponitur Authoritas Doctoris in 3. dist. 15. q. unicâ, ubi dicit, voluntatem ut voluntatem liberam esse, ut volentem non esse liberam, quia habet determinatam formam ad unum, quæ est nolitio. Item Aristotelis 1. Periherm. cap. ult. dicentis: *Omne quod est, quando est, necesse est esse,* ergò voluntas dum est in actu non est libera. Respondeo negando consequentiam, quia licèt voluntas sit sub actu determinato, adhuc est libera pro primo instanti operationis, quod priùs natura est, quàm ipsa operatio, adeoque sive volitio, sive nolitio ponatur pro illo priori naturæ manet libera, alioquin nunquam salvari potest libertatis usus; unde positio actûs secundi in voluntate non tollit libertatem ejus, sed potiùs eam statuit, quia ille ipse actus est libertas actualis & exercitium potentiæ liberæ, determinatur quidem voluntas in actu secundo per suam operationem, sed talis determinatio non tollit libertatem ejus, quia indeterminatio, in qua consistit libertas non est indeterminatio actûs secundi, sed primi, causa enim libera ut sic est indifferens in actu primo, quæ indifferentia non tollitur per ea quæ spectant ad actum secundum, sed per ea quæ spectant ad actum primum, ut sunt necessariò prærequisita ad agendum, unde esse potentiam indifferentem in actu primo, & determinatam in actu secundo per actionem, non tantùm non repugnat, sed potiùs est necessarium ad exercitium potentiæ liberæ, nam sicut potentia scribendi, ambulandi, saltandi non destruitur per scriptionem, ambulationem & saltum, sed potiùs perficitur & exercetur, ita est in voluntatis exercitio. Unde ex dictis Respondeo, Aristotelem, & Scotum intelligendum esse ex Hypothesi, & non simpliciter.

IX. *Libertas non est actui secundo voluntatis essentialis.*

Dico 3. *Libertas formalis contingentiæ actui secundo voluntatis non est ipsi essentialis, sed accidentalis.* Ita Doctor subtilis in 1, d. 12. q. 1. & recentiores communiter. Probatur, quia actus formaliter liber potest esse necessarius, & qui est necessarius potest fieri liber, ergò non est ipsi essentialis: Patet consequentia, quia accidentalitas non magis colligitur, quàm quòd actus in substantia possit transire de una formalitate ad aliam, sicut dicimus bonitatem & malitiam non esse internas actui, quia idem, qui bonus est, potest fieri malus: Probatur etiam antecedens primum, nam potest deesse Dei concursus, & hoc supposito amor, verbi gratiâ, creaturæ erit necessarius, quo tamen non deficiente idem amor erit liber. Confirmatur primò quia libertas formalis contingentiæ non dicit solam emanationem à principio indifferenti, sed etiam concursum Dei & cognitionem indifferentem, quæ sunt extra entitatem actûs liberi. Confirmatur secundò, actus imperatus ab imperio efficaci poterat esse sine illo, quo casu fuisset liber, cùm sub imperio sit necessarius. Confirmatur tertiò, idem numero actus potest esse magis vel minùs liber juxta majorem, vel minorem deliberationem, ergò non est liber essentialiter, quare sicut veritas & falsitas sunt formalitates vel denominationes partim intrinsecæ, partim extrinsecæ actui intellectûs, sic etiam libertas & necessitas actui voluntatis, radicalis namque semper est intrinseca, formalis semper extrinseca, nam ut supra demonstravi, contingens liberum & necessarium non sunt differentiæ incompossibiles, sed liberum & naturale, unde ratio à priori hujus conclusionis est, quod cùm necessarium & liberum ac contingens eidem actui competere possint, ac sic libertatem formalem contingentiæ non esse ei essentialem. Ex quo sequitur primò actum liberum posse transire in necessarium & è contra, si eliciatur nimirum modo sub concursu & cognitione indifferente, modo sub necessario. Secundò, quemvis actum bonum aut malum mutari posse in indifferentem, si amittat libertatem sine qua nulla bonitas aut malitia moralis consistere potest. Tertiò, posse hominem transire de peccante in non peccantem absque intrinseca mutatione Physica, non tamen absque intrinseca mutatione morali. Et tandem actum liberum non esse intrinsecè perfectiorem necessario, imò nec potentia libera semper est intrinsecè perfectior necessariâ, eadem enim voluntas potest modo esse

esse formaliter & proximè libera, si habeat cognitionem indifferentem, & concursum Dei generalem similiter indifferentem, modo necessaria, si deerunt ista, vel etiam alterutrum horum, si enim solus concursus determinatus substituatur, jam erit necessaria, etiamsi non varietur cognitio, & hoc magis si & illa variaretur, per quod patet disparitas ad objectionem quandam, quam aliqui faciunt de duobus amoribus quorum unus fiat ex fide, alter ex visione, qui specie differunt, adeoque inferunt, ergò etiam specie differunt actus liber, & necessarius, patet inquam disparitas, quia hic solo variato concursu variaretur, actus liber in necessarium etiam stante eâdem cognitione. Sed in contrarium

X. *Actus liber & necessarius non pe-tunt diversa principia.*

Arguitur primò: Illa specie differunt quæ exigunt specie diversa principia, sed actus liber & non liber habent diversa principia, ergò: probatur minor, liber petit produci à potentia potente hîc & nunc non operari, & non liber à potentia non potente hîc & nunc non operari, sed, &c. ergò. Respondeo distinguendo minorem: Actus liber & non liber id est necessarius petunt diversa principia nego minorem, actus liber, & non liber, id est naturalis concedo minorem, quia si sermo sit de libero prout opponitur naturali, certum est eum esse essentialiter diversæ rationis, secus verò si sit de libero prout opponitur necessario. Sed

Instabis: Libertas in actu primo est differentia essentialis potentiæ vitalis, quia per hanc differt voluntas essentialiter ab appetitu brutorum, ergò etiam libertas in actu secundo differt essentialiter; tum quia est actus quidam vitalis; tum quia potentia in actu primo debet sibi habere proportionatum actum secundum. Respondeo distinguendo antecedens, libertas remota concedo antecedens; proxima, nego; & similiter distinguo consequens, & nego consequentiam. Quia ad essentiam actûs liberi non requiritur ut proximè fiat à potentia indifferente, sed quòd aptitudinem habeat ad sic fiendum si cætera adsint.

XI. *Quomodo pe-tant diver-sam cogni-tionem.*

Arguitur secundò: Actus liber supponit cognitionem indifferentem, quam non supponit necessarius, ergò intrinsecè essentialiter differunt. Respondeo distinguendo antecedens, actus liber ut liber reduplicativè concedo antecedens, specificativè qui liber nego antecedens, quare sicut idem actus entitativè est indifferens ut sit liber, vel necessarius, idem indifferens est, ut supponat judicium determinatum, vel indifferens.

Instatur: Actio non est indifferens ut transeat de libera in necessariam, ergò nec actus: probatur antecedens, quia actio necessaria pendet ab Omnipotentia Dei, ut applicata per decretum Dei efficax, ergò nequit dependere ab ea, ut applicata per decretum indifferens, ergò nequit transire de necessaria in liberam. Respondeo negando antecedens, & distinguendo ejus probationem: Actio necessaria reduplicativè ut necessaria pendet ab Omnipotentia Dei applicata per decretum Dei efficax concedo, specificativè quæ necessaria, nego.

Arguitur tertiò: Actus liber qui li- XI
ber, est specialiter à Deo amabilis, vel odibilis ratione sui alioquin objectum adæquatum amoris, vel odii non esset solus actus, sed præterea voluntas, cognitio indifferens, concursus Dei, quod dici nequit, nisi Deus displiceat sibi in se ipso. Respondeo distinguendo primam propositionem, est specialiter amabilis vel odibilis ratione sui præsuppositæ cognitione libertatis repertæ in amante, vel odio habente concedo, ex non præsuppositâ, nego: Actus itaque est intrinsecè proximè amabilis, vel odibilis tantùm respectu principii cognoscentis libertatem, non quòd cognitio se teneat ex parte objecti, sed quòd sit conditio ex parte Dei odio vel amore habentis, quam cognitionem si Deus non haberet, actus nec esset amabilis, nec odibilis, ratio est, quia eadem res potest sortiri varias denominationes intrinsecas respectu diversorum, idem enim objectum est amabile Petro, odibile Paulo, ob diversas cognitiones deprehensas, idem actus est amor unius, & odium alterius.

Pro Conclusione sequente pura XII.
omissionis Notandum non quæri, an possit dari pura libera omissio sine omni actu intellectûs, nam sicut nullus est actus voluntatis liber nisi præcedat cognitio, vel saltem apprehensio objecti, ita nec omissio potest esse libera & voluntaria, nisi præcedat actus intellectûs in generali, vel particulari, confusè, vel distinctè, sicut enim non fertur in incognitum, ita nec omittit incognitam liberè, alioquin non esset omissio, sed mera negatio; sed quæritur an possit dari pura omissio libera sine omni voluntatis actu, qui esset causa illius omissionis, istâque directè, vel indirectè, nempe quando quis vult positivè omittere, verbi gratiâ auditionem Sacri, aut quando positivè non vult quidem omittere auditionem Sacri, sed advertens præceptum de audiendo sacro vult aliquod objectum incompossibile cum auditione missæ, verbi gratiâ ludere, nam si alteruter horum actuum præcedat, omissio ampliùs non erit pura, sed ab actu voluntatis directè, vel indirectè imperata. Verùm

Dico 4. *Datur pura omissio libera à nullo* XIII
actu voluntatis directo vel indirecto, ut causa præ-cedente Ita Doctor subtilis pluribus in locis & Scotistæ passim, Nicolaus de Nissa, Rubeus cum pluribus aliis tam antiquioribus, quàm recentioribus Theologis & potest etiam deduci ex D. Bernardo serm. 26. de diversis ubi ait: *In his verò rebus, de quibus nihil certi possumus cernere, nihil certi nostra voluntas definiet, pendeat inter utramq;, aut saltem neutri parti unus inhæret.* Ubi satis declarat in dubiis bonis animum simpliciter suspendi posse, quod nihil aliud est quàm habere puram omissionem liberam.

Probatur secundò Ratione Scoti: Illud est liberum, quod est in voluntatis potestate, ut sit & non sit, sed tam actus quàm ejus suspensio est ita in voluntatis potestate & dominio, ergò non minus omissio actûs, quàm actus, erit libera; probatur minor, quia voluntas per libertatis exercitium potest velle & non

& non vellé, non enim debet semper nolle, sed debet tantùm non velle. Nec dicas voluntatem hoc non posse, nisi mediante aliquo actu, tum quia alias actus exercitii non volitionis non est plus liber quàm actus aliarum potentiarum, vel earum omissiones liberæ, quæ tales sunt mediante aliquo actu interiore: tum quia non magis voluntas habet Dominium supra omissionem suam, quàm supra actum: Tum quia voluntas æquè est libera libertate contradictionis, ac contrarietatis, sed actus contrarietatis immediatè potest elicere absque medio alio actu; ergò etiam utrumque contradictionis actum.

Probatur tertiò: Quia pura omissio est omisio alicujus actûs advertente ratione, sic ut voluntas ad eam per aliquem actum positivum non determinetur, atqui talis omissio sæpe datur in voluntate, ergò: probatur minor, quia possum habere hos duos actus simul, ludere bonum est, studere utile est, & tamen neutrum facere; ergò purè & liberè omittam, quòd autem possim utrumque omittere patet, quia sunt finita bona consequenter non cogar alterutrum amplecti, adeoque possum liberè omittere, nam non est necesse quòd habeam tunc actum reflexum, quo dicam nolo studere, nolo ludere, suppono enim illa objecta non fuisse reflexè cognita, sed directè.

XV. *Actus adhuc ratione.*

Probatur quartò: Amorem liberum quem elicio sine imperio, poteram mihi imperare; ergò omittendo tale imperium pono puram liberam omissionem imperii; antecedens probatur, nam dum amo liberè habeo etiam secundùm Adversarios libertatem ad volendum reflexè omittere ipsum amorem; ergò similiter habeo libertatem ad eum amorem imperandum, sive ad illius volitionem reflexam; ergò eam non ponendo purè & liberè omitto: Nec dicas in similibus casibus semper dari actum positivum, quo dicatur, nolo mihi talem actum imponere, in quo omisio illa est volita positivè, non dicas inquam, quia primò per se lepidum videtur quoties quis amat liberè, semper habere actum reflexum, quo nolit sibi amorem imperare, nec id aliquis experitur. Deinde ipsa nolitio est imperabilis; ergò dum illam reflexè non amo, habeo puram & liberam omissionem illius secundi imperii, vel dabitur processus in infinitum.

Probatur quintò: Quando voluntas amat objectum remisse quod potuit amare intensè, liberè omittit aliquos gradus amoris, atqui non omittit ponendo aliquod positivum incomposibile, cum illis gradibus, quia non necessariò habet actum reflexum, quo nolit eam majorem intensionem, neque in ipsis gradibus, quos producit est aliquid incomposibile cum ulterioribus gsadibus; ergò reliquos gradus liberè & purè omittit.

XVI. *Voluntas est vitalis respectu actuum positivorum tantum, & hoc est & particulare.*

Arguitur primò: Potentia libera ut libera, est vitalis; ergò omne exercitium potentiæ liberæ est vitale, sed pura omisio non est vitalis; ergò non est exercitium potentiæ liberæ vitalis. Confirmatur primò, potentia libera debet esse activa, sed respectu puræ omisionis non est activa; ergò pura omisio non est exercitium ejus. Confirmatur secundò, quando intellectus non agit, omisio intellectionis non est exercitium intellectûs; ergò similiter quando voluntas omittit, non habet exercitium. Respondeo distinguendo antecedens, potentia libera ut libera est vitalis prout est principium positivæ actionis concedo; prout est principium omisionum, seu in agendo, nego antecedens. Ratio est, quia voluntas in tantum est vitalis, in quantum est capax se movere ab intrinseco, quòd tantùm illi convenit prout est principium positivarum actionum. Ad primam Confirmationem dico potentiam liberam non tantùm dicere virtutem agendi, sed etiam non agendi, adeoque est potentia activa & non activa. Ad secundam, disparitas est, quia respectu intellectûs omisio cognitionis non fit ex potentia non intelligendi, sed ex impotentia intelligendi, omisio verò in voluntate est ex potentia non amandi vel non volendi. Imò ad primum argumentum simpliciter dici potest, potentiam liberam habere duplicem actum, unum vitalem, alterum non vitalem, non obstante, quòd aliæ potentiæ non habeant hoc, nam id ipsum ei competit ex particulari ratione, nam habet virtutem positis omnibus requisitis etiam reduplicativè non agendi, non sic potentiæ naturales.

XVII. *Non est necesse quod habeat motivum internum ipsi omissioni.*

Arguitur secundò: Voluntas non potest exercere suam libertatem, nisi inducta aliquo motivo, sed ad purè omittendum non potest induci ullo motivo, ergò: major probatur, quia exercitium libertatis præcedit cognitio indifferens, à qua voluntas movetur vel ad amorem ex motivo bono, vel ad odium ex motivo malo, vel ad omittendum positivè ex aliqua difficultate in exercitio amoris vel odii reperta: Minor etiam probatur, quia posset quis purè omittere negationem fidei præcedente cognitione honestatis, & tunc illa omisio esset, & non esset honesta, esset, quia oritur ex fine honesto, non esset quia nullus actus est honestus nisi qui intrinsecè amat honestatem, sed pura omisio nihil amat, ergò. Respondeo primò distinguendo majorem, non potest voluntas exercere suam libertatem, nisi inducta aliquo motivo interno vel externo ipsi exercitio, concedo majorem; ex interno necessariò nego majorem: similiter distinguo minorem, sed ad purè omittendum non potest induci illo motivo interno ipsi omisioni concedo minorem; externo nego minorem. Ut autem sciam quale sit illud motivum externum Respondeo secundò iterum distinguendo majorem, non potest voluntas suam libertatem exercere nisi inducta aliquo motivo vel cognito, vel amato concedo; necessariò amato nego majorem, similiter distinguo minorem: Satis itaque est si cognitio percipiat motivum omisionis, eâ enim cognitione voluntas illuminata poterit liberè & purè omittere, esto ipsa internè nullum motivum attingat, quia nullum actum exercet, sufficere autem solam prœcognitionem talem de se patet. Respondeo tertiò distinguendo majorem, voluntas debet habere aliquod motivum, ut eliciat

actum contrarietatis concedo; actum liberum contradictionis, nego.

XVIII. *Ut humano modo agat sufficit motivum virtuale*

Instatur: Talis actus sine motivo elicitus non esset humanus; ergò ut saltem humano modo agat motivum habere debet, propter quod agat veluti propter finem. Possem respondere priori distinctione, ut quis humano modo agat debere habere motivum cognitum concedo, volitum, nego. Verùm respondeo adhuc aliter negando antecedens, & distinguendo consequens, debet habere aliquod motivum virtuale & interpretativum concedo, debet habere formale & actuale, nego consequentiam.

Urgetur: Si voluntati proponantur duo motiva ad omissionem, verbi gratiâ Missæ, nempe ludere & dormire, non poterit tunc dici habere interpretativum motivum omissionis Missæ, nam in tali casu non poterit moveri propter utrumque, quia sunt incomposibilia, nec poterit interpretari, ex quo motivo omiserit, nisi se explicet. Respondeo talem non debere interpretari moveri propter utrumque, quia sunt rationes incomposibiles, sed moveri propter alterutrum disjunctivè, non verò collectivè.

XIX. *Voluntas in pura omissione aliter se habet negativè, non positivè.*

Arguitur tertiò: Voluntas aliter se habet in actu secundo, quàm in actu primo; ergò in actu secundo habet aliquam operationem positivam, quia mera carentia fit etiam in actu primo. Respondeo distinguendo antecedens, voluntas aliter se habet vel positivè, vel negativè in actu secundo, quàm in actu primo concedo; aliter se habet semper positivè nego antecedens, Ratio est, quia in actu primo non fuit carentia actûs negativa, sed tantùm præcisiva, id est præcisio ab amore & ejus carentia, sed in actu secundo non est amplius præcisio, sed est ipsa negatio actûs absque indifferentia ad illum.

Instatur: Omissiones destruunt habitus oppositos, sed habitus non destruunt nisi actus; ergò omissiones semper sunt actus. Respondeo distinguendo majorem, omissiones destruunt habitus secundùm se consideratæ nego; propter concomitantes actus, & malam ac parvam dispositionem, concedo.

QUÆSTIO V.

De Actibus voluntatis elicitis.

I. *Actus voluntatis enumerantur.*

Primi & principalissimi actus voluntatis eliciti sunt *Velle* & *Nolle*, seu Actus *Prosecutionis* & *Fugæ*; sub Volitione est *Amor, Desiderium, Intentio finis, Electio mediorum, spes, Imperium, Consensus, Usus, Fruitio & Gaudium*, quos breviter secundùm ordinem eorum naturam explicabo priùs, adducendo postmodum difficultates, quæ circa illas versari possunt.

II. *Volitio explicatur.*

Volitio generaliter significat assensum voluntatis, quo ei quidquam placet aut displicet & sic includit nolitionem, quæ contra volitionem strictè dictam in eo distinguitur, quòd volitio versetur circa bonum per modum inclinationis, nolitio verò per modum fugæ circa malum. *Alia est efficax*, quæ tendit in objectum cum absoluto ordine ad executionem; *alia inefficax*, quæ absolutè ad executionem non determinat. Et hæc rursum est duplex, alia omninò *simplex*, quâ voluntati aliquid placet, vel displicet abstrahendo omninò ab executione; alia omninò *conditionata*, quæ involvit ordinem conditionatum ad executionem, & utraque potest esse circa impossibile, etiam ut tale cognitum, ut vidimus in materia de Angelis.

Quæres: An volitio efficax & inefficax sint actus actualiter inexistentes ei, qui sic vult? Respondeo affirmativè, Probatur, tum quia quilibet in se experitur utramque volitionem actu, tum quia utraque volitio est sufficiens principium meriti & demeriti; tum denique, quia si volitio inefficax non esset actus actualiter inexistens ei, non esset verum, quòd habens talem volitionem actualiter vellet, sed hoc est falsum, ergò.

Dices: Volitio inefficax explicatur per verbum optativi modi; ergò non est actualiter inexistens. Respondeo negando consequentiam, nam cur volitio inefficax explicetur per verbum optativi modi, non est, quòd ipsa non sit actualiter inexistens, sed quia connotat voluntatem efficacem, quæ non est tunc actu, sed esset, si poneretur aliqua conditio.

Intentio, est volitio finis tanquam prosequendi per media. Electio autem est volitio mediorum ad finem consequendum: unde sunt species volitionis efficacis, suntque actus collativi respicientes diversimodè mutua objecta: intentio siquidem finis directè respicit ipsum finem, ejusque bonitatem habet pro motivo, indirectè autem & quasi ex consequenti respicit media necessaria. Econtra electio respicit directè ipsa media, tanquam objectum materiale, ad quod terminatur, & pro motivo habet bonitatem finis (cujus utique gratiâ omnia media appetuntur & fiunt) seu ipsam mediorum conducentiam, & proportionem ad finem. Et hinc bonitas moralis finis, vel malitia afficit vel inficit ipsam electionem, adeò ut electio medii alioquin honesti ad finem inhonestum sit etiam objectivè inhonesta.

Imperium, est motio efficax, quâ voluntas se, aut suas potentias sibi subjectas movet ad aliquem actum.

Consensus, Generaliter etiam amplectitur illum, qui inefficax est; alioquin sumptus pro consensu efficaci significat actum efficacem voluntatis, quo ipsa bonum sibi propositum amplectitur, sicut dissensus significat actum, quo voluntas objectum propositum non vult.

Usus est ille actus, quo voluntas applicat media ad consecutionem finis, qui actus si ullo modo distinguitur ab electione distinguitur per hoc, quòd electio non necessariò petat, ut actu applicentur media, usus autem hoc necessariò petit.

Fruitio,

Fruitio, delectatio. spes gaudium.

Fruitio, est ipsa actualis consecutio finis, aut certè actus, quo in consecuto fine voluntas sibi complacet. Econtra desiderium est voluntatis actus appetens objectum absens, cui superaddit spes, quòd habeat fiduciam. Gaudium verò fruitionem consequens non est actus, sed potiùs passio.

VI. His prænotatis difficultas primò est, an præsignati omnes actus distinguantur inter se, nam Thomistæ à prima objecti propositione ad duodecim quasi actus multiplicant; verùm, ut notavi in Physica parte 1. lib. 2. disp. 7. q. 3. hic ordo sufficit, ut cognito vel apprehenso fine per intellectum, voluntas intendat & proponat eum, & cognitis mediis, ac propositis eligat magis conducentia, tandem executioni mandet per actus aliarum potentiarum; unde

VII. *Intentio distinguitur ab electione.* Dico 1. *Intentio distinguitur realiter ab Electione mediorum, si hæc fiat per media indeterminata.* Ita Doctor in 2. d. 6. q. 6.

Probatur primò Authoritate D. Augustini 11. de Trinit. cap. 6. expressè id docentis.

Probatur etiam ratione, quia quando media sunt indeterminata, ut finis tam per hæc, quàm per illa acquiri possit & taliter proponantur, sub disjunctione, tunc patet, quòd alio actu intendamus finem & alio eligamus media, nam si quis diceret: Volo ire Wartam peregrinatum pedes vel eques haberet intentionem, si postmodùm diceret: Volo ire pedes, haberet electionem distinctam ab intentione finis. Secundò, quia sæpe contingit quòd velimus finem, & tamen nolimus vel saltem non velimus applicare media. Tertiò, quia frequenter intentio est bona & electio mala, & econtra intentio mala, & electio bona, verbi gratiâ velle dare Eleemosynam propter vanam gloriam. Quartò, quia media & finis habent diversam bonitatem motivam veluti diversa objecta formalia. Tandem, quia intentio est causa & ratio Electionis, eaque prior; ergò sunt realiter distincti actus.

VIII. *Si fiat per media indeterminata.* Dixi Intentionem distingui ab intellectione, si fiat per media indeterminata, quia si fiat per media determinata, verbi gratiâ, volo ire Wartam pedes, tunc non intervenit nisi unicus actus, qui est intentionis, ac etiam Electionis simul, & in tali casu intentio & electio non distinguuntur, quia nulla est necessitas distinctionis, nec ulla est repugnantia, quòd eodem actu fiant, nam si quæ esset, maximè attingentia plurium objectorum, quia disparata absoluta tantùm uno actu attingi non possunt, benè tamen subordinata & collativa, qualiter se habent media & finis, sicut possunt etiam attingi per eundem actum intellectûs subjectum & prædicatum diversum, abstractiones, relationes & earum extrema: tum quia licèt finis & media essent diversa objecta in tali casu, non sunt tamen æqualia, sed unum est primarium nempe finis, secundarium alterum, nempe media.

Hinc reconciliari possunt D. Bonaventura & Augustinus supra, quorum primus docet intentionem & electionem esse eundem actum, negat posterior, ita quòd D. Bonaventura tantùm velit intentionem & electionem esse eundem actum, quando fit appetitio finis per media determinata, & D. Augustinus esse duplicem actum, quando intenditur finis sub præcognitione disjunctiva mediorum indeterminatorum.

IX. *Reliqui actus non distinguuntur ab intellectione & electione.* Dico 2. *Reliqui actus eliciti voluntatis probabiliter ab intentione & Electione non distinguuntur, vel ad summum sola fruitio*

Probatur per enumerationem: Nam in primis omnes volitiones sunt vel intentiones, vel electiones efficaces, vel inefficaces, sed tales non distinguuntur, quia habent idem objectum, eodem modo & sub eadem ratione propositum, nec differunt etiam efficaces & inefficaces, nisi secundùm intensionem & remissionem, sed hæc non faciunt diversitatem specificam in rebus, quibus conveniunt, ergò. Deinde non distinguitur consensus, nam intentio dicitur consensus, quatenus per illam voluntas vult facere, quod ab intellectu faciendum proponitur, in tantùm enim voluntas dicitur consentire. Postmodum imperium non distinguitur ab electione, quia eo ipso quòd voluntas eligat medium, inferiores potentiæ se applicant ad executionem, verbi gratiâ, dicens volo flectere pro peccatis, statim exequitur potentia motiva flexionem, absque eo quòd voluntas dicat: volo, mando ut faciatis. Denique usus, licèt distinguatur, non est tamen actus elicitus, sed imperatus & posito quòd esset elicitus, non distinguitur ab electione ex eo, quòd electis mediis usus sequatur, si tamen contingeret, quòd non sequeretur statim executio, posset dici actus distinctus, sicut distinguitur intentio & electio, quando fiunt per media indeterminata.

Circa imperium duæ difficultates occurrunt: Primò, an sit actus intellectûs? Secundò, quibus potentiis voluntas imperet? Ad primum

X. *Imperium non est actus intellectûs sed voluntatis.* Dico 3. *Imperium non est actus intellectûs, sed voluntatis.*

Probatur primò Authoritate D. Augustini 8. de Civit. Dei cap. 9. ubi ait: *Voluntatem imperare in regno animæ.* Et lib. 19. cap. 14. dicit: *Voluntatem uti omnibus aliis potentiis*, usus autem imperium significat, ergò.

Probatur secundò ratione, tum illa potentia imperat, quæ habet vim obligandi ad exequenda mandata, sed nullus actus intellectûs, præciso actu voluntatis, habet talem vim obligativam, ergò: major patet, quia sublata ab imperio ratione præcepti & obligationis, non amplius imperium erit, cujus est præcipere & obligare: Probatur minor, quia non est intellectûs superioris, qui obligat subditum, sed sola ejus voluntas intimata per intellectum: Tum quia illius potentiæ est imperium, cui competit decernere & dominari, sed decernere & dominari competit soli voluntati, ergò: Probatur minor, quantum ad primum ex communi: *Sic volo sic jubeo, sit pro*

ratione voluntas: Probatur minor quoad secundum, quia voluntas non solùm supra suos actus, sed etiam supra actus aliarum potentiarum Dominium habet; & posito actu voluntatis tam ipsa, quàm cæteræ potentiæ non possunt non obedire, & exercere actum imperatum, ergò. Sed in Contra

XI. *Explicatur Scriptura.*

Opponitur Authoritas Scripturæ Sacræ Proverb. 6. & 8. ubi *Reges dicuntur regnare per sapientiam & imperare per prudentiam*, quod idem docuit Aristoteles in libris de Anima & in Ethica, ergò. Respondeo negando consequentiam, quia sacra pagina solummodo docet, Reges regnare per sapientiam directivè, moraliter & ostensivè, non verò formaliter, Physicè & denominativè; unde in tantum dicitur sapientia pertinere ad imperium & legem, in quantum bene imperans ex dictamine antecedente prudenti intellectûs sancitur vel fertur lex, id est concomitanter.

XII. *Non est illius imperare, cujus est intimare voluntatem.*

Arguitur ex ratione: Illius potentiæ est imperare, cujus est intimare voluntatem superioris inferiori, sed intimatio & insinuatio ad intellectum pertinet, ergò. Respondeo negando majorem, alioquin sequeretur præconem denunciantem legem verè imperare & non legislatorem, quod tamen falsum est, nam licèt sine intimatione, & insinuatione lex non obligaret, non habet tamen rationem legis, sed conditionis sine qua non, lex & imperium legislatoris nobis innotesceret, principaliter autem imperium consistit in actu voluntatis decernente, jubente & movente ad executionem.

Instatur: Si sola motio haberet rationem legis, sequeretur legem posse ferri Creaturæ non rationali, sed hoc est inconveniens, ergò: Major patet, quia Creatura irrationalis potest ab alio moveri, verbi gratiâ lapis ab Angelo: Probatur minor, quia sequeretur quòd in appetitu brutorum sensitivo verum esset imperium. Respondeo negando majorem, licèt enim Creatura irrationalis possit ab alia moveri, ut tamen rationem imperii sortiatur motio, Creatura mota debet esse obligationis capax, & capax recipiendi intimationem, ac insinuationem. Respondeo secundò distinguendo majorem, posset ferri Creaturæ non rationali in supposito nego, considerando suppositum secundùm potentiam, quæ de se formaliter rationalis non sit, nego majorem, nam ut unum suppositum obliget alterum, utrumq; insinuationis & intimationis capax esse debet, non verò ut una potentia obliget & dirigat alteram, ratio disparitatis est, quia si requireretur, quòd potentia semper sit rationis capax, cui imperatur, sequeretur solum intellectum subjacere imperio, nam actus aliarum potentiarum non sunt rationis capaces, quod tamen falsum est; unde licèt semper requiratur diversum suppositum rationale inter imperantem & subjacentem imperio, non requiritur tamen inter unam potentiam & alteram ejusdem suppositi, quia omnes radicantur in una anima rationali.

Sufficit suppositum esse obligationis capax, licèt non sit sola potentia.

XIII. *Voluntas proprie orat.*

Arguitur secundò: Illius potentiæ est imperare cujus est orare, sed intellectûs est orare; ergò est imperare: Patet major, quia sicut oratio est manifestatio desiderii ad superiorem, ita imperium est manifestatio desiderii & voluntatis ad inferiorem, ergò. Respondeo negando minorem loquendo in sensu formali, quia oratio est actus intellectûs in tantum, in quantum agit instrumentum, per quod manifestatur petitio, quæ est actus voluntatis & formalis oratio, unde major aliter deberet confici, nempe illius potentiæ est imperare, cujus est gratias agere, sed voluntatis hoc est, ergò.

Dico 4. *Voluntati imperio subjacent omnes potentiæ ejusdem suppositi rationalis, per se & directè, vel per accidens & indirectè.* Ita D. Augustinus enarrat in Ps. 148. & lib. 2. de nuptiis & concupiscentia cap. 32. *An non etiam nunc in corpore mortis hujus imperatur pedi, brachio, digito, labiis, linguæ & ad nutum nostrum continuò porriguntur? Humori denique, quod est mirabilius in vesica intus posito, quæ & quando ejus copia non urgemur, imperatur ut profluat & obtemperat. Imò ipsis abditis visceribus, & nervis quibus idem humor continetur, imperatur, ut eum propellant, exprimant, ejiciant & si sanitas adest, sine difficultate serviunt voluntati.* Item lib. 14. Civit. cap. 19. ait: *Membra corporis voluntas movet, quæ in usu eorum omnino dominatur: nam quisquis verbum emittit iratus, vel etiam quemquam percutit, non posset hoc facere nisi lingua & manus jubente quodammodo voluntate moverentur, quæ membra etiam, cùm ira nulla est, moventur eâdem voluntate.* Similia habet cap. 23. & cap. 24. ubi ait: *Nec enim ea sola membra movemus ad nutum, quæ compactis articulata sunt ossibus, sicut pedes & manus, & digitos, verùm etiam illa quæ mollibus remissa sunt nervis, cùm voluerimus movemus agitando & porrigendo producimus, & torquendo flectimus, & constringendo duramus, sicut ea sunt quæ in ore, ac facie, quantum potest voluntas, movet. Pulmones denique ipsi omnium nisi medullarum mollissimi visceruum, & ab hoc antro pectoris communiti ad spiritum ducendum & remittendum, vocemq; emittendam seu modificandam, sicut folles fabrorum vel organorum flantis, respirantis, loquentis, clamantis, cantantis serviunt voluntati. Omitto quod animalibus quibusdam naturaliter inditum est, ut tegmen quo corpus omne vestitur, si quid in quocunq; loco ejus senserint abigendum ibi tantùm moveant, ubi sentiant: nec solùm infidentes muscas, verùm etiam hærentes hastas cutis tremore discutiant.*

XIV. *Probatur ratione, primò imperat voluntas sibi ipsi, verbi gratiâ, ut eliciat actus Pœnitentiæ & Religionis, ut de se patet, sed actus Pœnitentiæ & Religionis sunt actus voluntatis, ergò: tum quia non minùs propriè actus, quàm aliarum potentiarum sunt ipsi subordinati, & subjecti, estque ad eos indifferens; ergò potest eos tam benè imperare, quàm alios. Deinde, imperat etiam intellectui ex quo imperio actus ejus, fiunt moraliter boni vel mali. Item imperat appetitui sensitivo dispoticè in multis; & politicè in pluribus impellendo scilicet, nonnunquam & suaviter alliciendo, ut præclarè describit D. Bernardus Serm. 81. in Cant. ubi hæc habet: Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria, est favorabilis vis quædam, premendo blandiens, & blan-*

& blandicendo premens; unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consensorit nec excutere jam per se, nec excusare tamen ullatenus de ratione queat. Inde quærula illa vox veluti gementis sub onere necessitatis hujus. Deinde, inquit, vim patior, respondepro me. Sed rursus sciens, quòd non justè causaretur adversus Dominum, cùm voluntas sua ipsius potiùs in causa foret, attende quòd secutus intulerit: quid dicam aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerim? Premebatur jugo, non alio tamen quam voluntariæ cujusdem servitutis & erat pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis. Voluntas enim est, quæ se cùm esset libera, servam fecit peccati, peccato assentiendo, voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet voluntarie serviendo.

XVI. Denique quod non omnibus directè imperare possit patet, in oculo & auribus, qui præsente objecto, & aperto sensorio non potest non videre, vel non audire. Item in potentiis vegetativis imperare non potest, nisi per accidens subtrahendo ipsis alimenta, &c. Quomodo autem voluntas imperet, an per impressionem aliquam? An per radicationem & conjunctionem potentiarum in eadem anima, ratione cujus per naturalem sympathiam, ut unâ potentiâ operante operetur & altera? An verò per simultaneum voluntatis concursum, dubium est. Primum simpliciter admittendum non est, tum quia talis qualitas superflua est, tum quia non potest assignari an esset materialis, vel corporalis. Tertium etsi sit probabile, est tamen difficile, tenendum ergò est medium.

QUÆSTIO VI.

An voluntas possit violentari, & cogi in suis actibus?

I. *Violentum quid sit.* Nota violentum dici, quod est ab extrinseco, seu ut loquitur Phylosophus 3. Eth. 1. *Cujus principium est extra non conferente vim passo*, id est contranitente passo, seu contra inclinationem passi, id est subjecti, ut exponit Scotus in 2. d. 18. quæst. unicâ. Distinguiturque à coacto, cum quo interdum confunditur, quod coactum propriè tantùm dicatur illud, quod repugnat inclinationi elicitæ appetitûs, adeoque solùm quadret, & inveniatur in rebus appetitu rationali, aut sensitivo præditis, violentum verò de se simpliciter prout opponitur coactioni competit rebus secundùm appetitum innatum: Hoc notato

II. *Voluntas potest pati coactionem in potentiis quibus imperat.* Dico 1. *Voluntas potest pati violentiam, vel coactionem in actibus aliarum potentiarum, quibus nata est, & solet imperare, qui proinde actus erunt simpliciter involuntarii.* Patet, quia contra voluntatis inclinationem potest ab extrinseco applicari manus ad tangendum, oculus ad videndum, &c. qui actus proinde sunt involuntarii: Et quamvis, si spectentur hæ potentiæ secundùm particulares inclinationes non patiantur vim, cùm concurrunt ad actum sui perfectivum, sunt tamen actus simpliciter ipsi homini violenti, utpote contra inclinationem voluntatis, cui cæteræ potentiæ subordinantur. Idem dicito de actibus omissionis.

Dico 2. *Non potest voluntas pati violentiam in actibus suis elicitis, vel de facto ab ea imperatis.* III. *Non tamen in actibus suis elicitis, vel de facto imperatis.*

Probatur primò: Authoritate D. Bernardi tract. de grat. & lib. arb. cap. 2. ubi ait: *Voluntatem quia, impossibile est de seipsa sibi non obedire (nemo quippe aut non vult, quod vult, aut vult quod non vult) etiam impossibile est suâ privari libertate.* Item serm. 81. in Cant. ubi ait: *Vim à natura solus homo non patitur & ideo solus inter animantia liber. Et tamen interveniente peccato patitur quandam vim & ipse, sed à voluntate non à natura, & ne sic quidem ingenita libertate privetur. Quod enim voluntarium & liberum. Et quidem peccato factum est, ut corpus quod corrumpitur, aggravet animam, sed amore, non mole. Nam quòd surgere anima per se jam non potest, quæ per se cadere potuit: Voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato, ac vitioso amore languescens & jacens, amorem pariter justitiæ non admittit. Ita nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas: peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, ut nec necessita, cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas cùm sit illecta excludere necessitatem.* Plura similia habet infra.

Probatur secundò ratione, quia eo ipso, quo actus à voluntate eliciuntur, procedunt à principio intrinseco, similiter eo ipso, quo voluntas aliquem actum imperat, profluit actus à voluntate imperante, adeoque excluditur violentia, quæ requirit, ut procedat ab extrinseco.

Dixi de facto ab ea imperatis, nam ut conclusione præcedenti dictum est bene potest voluntas pati violentiam in actibus natis imperari. Nec aliud volunt Doctores, dum subinde indistinctè docent voluntatem posse pati violentiam in actibus imperatis.

Dico 3. *Potest voluntas violenter impediri, ne actum ponat, cujus proinde omissio erit ei violenta.* IV. *Potest impediri ne actum ponat.* Ita Præpositus, ratio est, quia potest Deus negare concursum voluntati ad agendum paratæ, & inclinatæ, imò positivè desideranti agere, quæ tunc pateretur violentiam, sicut ignis violentè à Deo impediretur à combustione ligni ei applicati.

Dico 4. *Potest voluntas pati violentiam in illis, quæ potest recipere.* V. *Potest etiam pati violentiam in receptione.* Patet, quia potest Deus ei repugnanti infundere gratiam, aliosque habitus, ad quos licèt habeat inclinationem naturalem, repugnat tamen per elicitam, quæ præponderat, & sufficit, ut voluntas vim pati censeatur. Similiter potest Deus se solo amorem nolenti & quantum in se efficaciter renitenti imprimere, qui actus est involuntarius, & violentus, præsertim si voluntati non insit vitaliter uti lapidi. Si autem Deus ad actum aliquem eliciendum determinaret voluntatem, quantum in se est reluctantem, actus ille esset absolutè voluntarius utpote à principio intrinseco cum cognitione, secundùm quid esset tantùm involuntarius, & coactus, partim quatenus ab extrinseco voluntas determinatur; partim quatenus antecedenter voluntas absolutè

illum noluit, ac defactò quantum est in se non vult.

VI. *Non potest cogi ab ullo agente creato.*

Pro fine adverte à nullo agente creato voluntatem posse Physicè cogi, aut necessitari, quare cùm peccatum in voluntate consistat, & sine illius consensu in ipsa, aut potentiis inferioribus esse nequeat, consequens est neminem posse ad peccandum cogi, etsi possit solicitari, & cum involuntario secundùm quid induci, ut præclarè demonstrat D. Bernardus supra citatus, ibique videndus, unde etiam rectè dixit S. Augustinus relatus *cap. de pudicitia 32. q. 5. corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas.* Violentia autem quæ potentiis voluntati subditis in ordine ad opera exteriora peccaminosa fieri potest, non præsumitur facta, nisi probetur *Cap. causam Matrimonii de Off. Jud. Deleg. & L. pro merito ff. pro Socio*, si enim delictum nunquam præsumitur à fortiori nec hoc delictum quod adeo honestati adversatur, est præsumendum.

QUÆSTIO VII.

De objecto voluntatis.

I. *Bonum triplex est.*

Ante Resolutionem Notandum ex communi acceptione Moralistarum & D. Bernardo serm. 5. Virg. Nat. bonum esse triplex videlicet *honestum, utile & delectabile*, quæ quidem de se, & ex terminis patent, attamen eleganter describit idem mellifluus supra dicens: *Nam desideria quidem nostra in tribus maximè constituta videntur, quod decet, quod expedit, quod delectat. Hæc sunt quæ concupiscimus, omnes quidem omnia, sed alius magis hoc, alius illud. Ille sic deditus est voluptati, ut nec honestatem satis reputet, nec utilitatem: ille quæstui magis incubans, & honestum dissimulat, & jucundum, ille voluptatis pariter & utilitatis negligentior, solum vel maximè honorem sectatur. Non verò reprehensibile desiderium horum, sed si ibi quæreremus ea, ubi verè invenirí emus. Hæc enim ubi verè sunt, unum sunt: atq; ipsum utiq; summum bonum, summa utilitas, summa gloria, summa voluptas.* Hoc prænotato

II. *Objectum voluntatis ut sic est ens.*

Dico 1. *Objectum adæquatum voluntatis est ens in sua latitudine, objectum autem volitionis, seu prosecutionis, est bonum quâ bonum, nolitionis verò, seu fugæ, malum quâ malum.*

Probatur prima pars, quia nil intelligitur ab intellectu, in quod non possit voluntas ferri, ergò cùm intellectûs objectum sit ens in sua tota latitudine erit etiam voluntatis.

Probatur secunda pars Experientiâ, quâ constat nos nunquam aliquid velle nisi sub ratione boni utilis, delectabilis, & honesti, & quod nunquam aliquid fugiamus, nisi propter malitiam in ipso consideratam, ergò objectum volitionis est bonum quâ tale, nolitionis verò malum quâ tale. Quod ut clariùs evadat

III. *Malum non potest esse objectum volitionis & è contra bonum nolitionis.*

Dico 2. *Malum est extra latitudinem objecti volitionis, sicut & bonum extra objectum nolitionis.* Ita Doctor 4. d. 49. q. 10.

Probatur primò Authoritate D. Bernardi serm. 85. in Cant. ubi ait: *Quam multa fiunt bona, & non sapiunt faciemibus: siquidem non sapore boni ad illa, sed aut ratione, aut qualicunque occasione seu necessitate impelluntur: & è contrario multa quæ faciunt, non sapiunt mala, sed ad hæc inducuntur aut metu, aut cupiditate rei cujuspiam potiùs quàm sapore mali.* Et D. Dionysii de divinis Nom. cap. 4. ubi ait: *Nemo ad malum intendens operatur*, ad quod dictum alludit Physiosophus moralis dicens: *Nullus tantùm a naturali lege descivit, & hominem exuit, ut animi causa malus sit.*

Probatur secundò ratione, quia appetitus innatus est ex natura sua inclinatus ad id quod est aliquomodo bonum, sic enim omnis res, sive vivens sit, sive non, appetit sui perfectionem, nec ullum habet appetitum ad id quod sibi est malum & disconveniens. Confirmatur primò, id quod movet voluntatem ad prosecutionem sui, debet esse bonum delectabile, utile, vel honestum, sed malum quâ tale non est bonum hujusmodi, ergò. Confirmatur secundò, intellectus non potest assentiri falso, aut dissentiri vero, ergò nec voluntas velle malum, aut nolle bonum semper, ergo quando amatur malum, amatur sub specie boni, quod in illo malo apprehenditur ut si quis vellet malum inimico apprehendit illud ut bonum sibi, quod contingit etiam, cùm quis peccat, aut sibi mortem infert, nam licèt peccatum & mors sint mala, apprehenduntur tamen ut bona. In contrarium

II. *Distinguo minorem, quia nemo vult malum qua malum, sed qua bonum, concedo minorem, quia nemo vult malum qua malum, nego minorem.*

Arguitur primò: Damnati appetunt non esse, sed non esse est ipsis malum, ergò voluntas potest appetere malum, quia nolum; item damnati odio habent Deum, & volunt ipsum non esse, ergò Respondeo distinguendo minorem si comparentur ad hunc statum pœnarum concedo ipsis esse malum; secundùm se nego minorem, itaque melius damnatis esset ut non sint, quàm ut in tantis malis sint, juxta illud Christi Domini: *Bonum erat ei si natus non fuisset, &c.* Ad 2. Respondeo, quòd etiam ille appetitus feratur in bonum ut bonum illis, scilicet ne patiantur tanta tormenta.

Instatur: Voluntas est libera circa quodcunque objectum sibi propositum, ergo potest circa quodcunque objectum elicere actum volitionis & nolitionis, odii vel amoris, & consequenter velle malum & nolle bonum. Respondeo distinguendo antecedens, est libera libertate contrarietatis vel contradictionis, seu quoad exercitium seu specificationem actûs, concedo antecedens, est libera libertate utriq; semper nego antecedens & consequentiam. Libertas enim voluntatis in hoc consistit, quod possit habere actum volitionis, circa bonum, & pro suo libitu cessare à tali actu, & quòd possit habere circa malum actum nolitionis, vel cessare ab omni actu, ex quo non sequitur, quòd possit velle malum quâ malum.

Dices: Si voluntas non haberet actum contrarietatis, seu specificationis circa malum quâ malum, nullus peccaret ex malitia, quia peccare ex malitia est peccare intuitu alicujus malitiæ, sed hoc est falsum, ergò, Respondeo negando minorem & ejus probationem, nam peccare

peccare ex malitia idem est ac non peccare ex ignorantia, aut vehementia tentationis, sed ex eo quod cum plena deliberatione & advertentia præferat bonum utile, aut delectabile bono honesto.

V. *In quolibet objecto creato potest & bonitas & malitia considerari.*

Arguitur secundò: Si objectum proponitur ut bonum, voluntas non potest illud odisse, si verò ut malum, voluntas non potest illud amare, ergò nunquam poterit mereri, vel demereri. Respondeo negando consequentiam, in objecto enim creato tam bono, quàm moraliter malo apparet & bonitas & malitia, verbi gratiâ, in cibo prohibito apparet bonitas delectabilis, ob quam potest illum amare, & malitia moralis ob quam potest illum odisse, adeoque bonitas non totaliter rapit voluntatem sed liberam relinquit, ut pro libertate sua objectum possit amplecti, vel respuere, adeoque vel mereri, vel demereri.

Dices: Experientiâ constat, quòd licèt alios nunquam amemus nisi in eis bonitatem aliquam cognoscamus, sive veram, sive apparentem, attamen nos ipsos ex naturali inclinatione amantes non sumus solliciti de ulla bonitate in nobis reperienda nostro amore digna, frequenter enim optamus nobis honores, quibus nos ipsi dignos judicamus, ergò non est necesse, ut quis se amat, feratur in bonum. Respondeo ex eo, quòd naturaliter nos ipsos amemus, malè inferri nos non reperire in nobis aliquam bonitatem, ipsa enim natura rationalis est bona, & sicut amabilis ab altero, ita etiam à quolibet seipso, imò cuilibet propria essentia & existentia est magis bona sibi, quàm alteri atque adeo magis amabilis.

VI. *Indifferens nec amatur nec fugitur.*

Dico 3. *Indifferens ut indifferens nec potest amari, nec odio haberi.* Ratio est, quia in eo quâ tali nec proponitur bonitas, quæ attrahat, nec malitia quæ deterreat voluntatem, ergò. Sed

VII. *Potest voluntas amare bonum non habendo malum.*

Dico 4. *Potest voluntas amare bonum non habendo odio formalitev malum, illi contrarium, similiter potest odisse malum non amando simul formaliter bonum.* Probatur, quia bonitas per se, & independenter à malitia habet vim terminandi amorem, & malitia per se atque independenter à bonitate contraria habet vim terminandi odium, sic potest quis sibi displicere in morte alicui injustè illata, etiamsi eum nunquam amaverit, vel defacto amet præcisè propter inhonestatem, quæ est in homicidio injusto. Dixi formaliter, quia sicut assensus ad unum extremum est virtualiter dissensus ad oppositum, ita amor boni est virtualiter odium mali contrarii, & è contra. Imò amorem boni comitatur ordinariè odium de malo opposito, & odium de malo comitatur amor similiter de contrario, cujus ratio est, quia dum intellectus repræsentat bonitatem unius extremi determinantis ad amorem, concomitanter propter specierum connexionem excitatur cognitio de malitia extremi contrarii, quæ determinat ad odium ejusdem.

VIII. *Ex duobus bonis potest amare quod voluerit.*

Dico 5. *Potest voluntas ex duobus bonis sibi propositis, quorum utrumq; sit æquale, aut etiam alterum minus tale, amare alterutram, quod voluerit.* Probatur, quia quòd aliquis defacto amet hoc bonum, & attrahatur ad illud, provenit ex libertate voluntatis, quæ proposito quocunque bono creato potest illud non amare, ergò poterit etiam pro libertate sua non permittere se attrahi à bono majori, sic nec à bono minori, aut æquali quin possit ab altero. Confirmatur explicando exemplo, impellatur homo fortissimus à duobus, vel inter se æqualibus, vel quorum unus sit fortior, & alter debilior, cui tamen utrique simul posset pro sua voluntate resistere, talis poterit se permittere moveri à debiliori & resistere fortiori, ergò similiter voluntas, quando trahitur à duobus bonis, vel æqualibus, vel inæqualibus finitis, quia potest utrique resistere, poterit etiam pro sua libertate quandocunque ex illis amplecti, quia in quolibet reperit rationem boni, & in uno invenit, quod respuere possit, si velit, nec in altero deest, quod amplectatur, si enim libertatem habet ut sit sine utroque, quare non etiam, ut sit cum majori vel minori. Confirmatur adhuc Exemplo Dei, qui non tenetur amare creaturas Physicè perfectiores, imò defacto eas non plus & efficaciùs amabit, quàm imperfectiores, ut patet de Angelis, imò potuit velle nullas producere. Sed

IX. *Ordinariè magis bona amplectimur.*

Dices: Quando nobis proponuntur duo bona, consultamus quodnam eorum sit melius, illudque amplectimur, ergò non ob aliam rationem, quàm quia voluntas nostra semper amplectitur magis bonum. Respondeo distinguendo secundam partem antecedentis, illudque amplectimur sæpe concedo; semper, nego. Communiter quidem ea amplectimur quæ cognoscimus saltem intensivè ut meliora, non tamen id fit semper, & necessariò, alioquin liberi non essemus, quòd autem id fiat sæpe, est, quia ob nostram libertatem inclinamur ad majus bonum, eò quod ibi inveniamus, quod nos alliciat magis. Cæterum subinde etiam amamus ea, quæ ut minora bona cognoscimus, ut patet in eo, qui cum perfecta cognitione malitiæ peccati & damnorum, quæ ex eo sequuntur, illud tamen amplectitur, & fugit longè majorem bonitatem virtutis oppositæ, ita ut frequentiùs quasi amemus minus bona, quia communiter præferimus temporalia spiritualibus, etiamsi sciamus ea esse minora.

X. *Voluntas non potest efficaciter & absolutè velle impossibile, ut tale.*

Quæres, An voluntas possit efficaciter & absolutè velle rem cognitam ut impossibilem. Respondeo negativè, quia voluntas efficax & absoluta tendit ad dandam existentiam objecto, quod cognoscit, ideoque etiam essentialiter habet annexam electionem mediorum, sed non potest tendere ad dandam existentiam rei, quam cognoscit impossibilem videt enim ad id nulla haberi media, & se omnino inutiliter laboraturam, ergò. Potest tamen voluntas rem cognitam ut impossibilem velle inefficaciter, & sub conditione, ut ordinariè dicitur de peccato Angelorum appetentium æqualitatem Dei, quæ tamen nullo modo est possibilis. Unde licèt Aristoteles 3. Ethic. cap. 2. dicat: *Impossibilium nullam esse electionem*, non dicit tamen non esse amorem complacentiæ, & patet experientiâ, quâ homines in hac vita, ut tali, appetunt immortalitatem, & pœnitentes vellent

vellent nunquam se peccâsse. Vide Metaph. partem secundam Disp. 8. quæst. 1. ubi fusè de hac re ago.

QUÆSTIO VIII.

An intellectus, & objectum concurrant cum voluntate tanquam causa partiales ad producendos suos actus?

I. *Potest poni à solo Deo volitio.*

Licèt Qualitas absoluta volitionis vel nolitionis posit poni à Deo in voluntate sine prævia cognitione objecti in intellectu, tamen est impossibile, quòd redderet voluntatem formaliter volentem, vel nolentem juxta communem & Scotum 1. d. 10. n. 14. & 2. d. 25. D. Thom. 1. p. q. 9. D. Augustinum 8. de Trinit. cap. 4. & lib. 10. cap. 1. cujus est illud, *nihil volitum nisi præcognitum*, & patet, quia voluntas est potentia de se cæca, adeoque petit essentialiter sibi ostendi objectum, sub ratione boni, vel mali, aliàs ferretur in illud.

II. *Volitio non producitur à cognitione.*

Dico 1. *Actus voluntatis non dependet efficienter, seu tanquam à causa effectiva à cognitione.* Videtur Scoti locis citatis, est & aliorum plurium apud Cavellum Disp. 3. Sect. 8.

Probatur primò Authoritate D. Bernardi tract. de grat. & lib. arbit. cap. 2. ubi dicit: *Habet sanè quocunq; se voluerit rationem comitem, & quodammodo pedissequam non quod semper ex ratione, sed quòd nunquam abq; ratione moveatur, ita ut multa faciat per ipsam contra ipsam, hoc est quasi per ejus Ministerium contra ejus consilium, sive judicium.* Quæ verba clarè indicant intellectum quidem necessarium esse voluntati, qui tamen ad ejus actum producendum non concurrit. Ex qua proinde formo sequentes rationes: Primò, nulla causa instrumentalis attingit terminum principalis agentis, sed intellectus est causa instrumentalis; tum quia pedissequa dicitur; tum quia ministerium præstat, ergò non attingit actum voluntatis. Secundò si intellectus concurreret ad omnem actum, nullum eliceret contra ipsum, sed elicit contra ipsum, ergò. Tertiò, nullus consulens attingit effectum principalem, sed intellectus est tantùm consulens, ex S. Doctore, ergò.

Probatur secundò: A Cavello & Pontio, quia nihil impedit quòd voluntas sit causa adæquata sui actûs in genere efficientis & tamen dependeat à cognitione tanquam à conditione, & ab objecto tanquam à termino sui actus, ergo. Confirmat Pontius, quia intellectus respectu voluntatis non aliter se habet, quàm qui consulit alteri, sed consulens non concurrit Physicè, ad actum amici cui consulit, ergò. In proposito hæc ratio eodem modo currit de objecto.

III. Probat Id ipsum aliter Cavellus, si cognitio concurreret Physicè ad actum voluntatis, si non haberet fur, verbi gratiâ, aliam cognitionem de furto, quàm supernaturalem fidei quâ cognoscit furtum esse bonum, utile sibi, moraliter tamen malum, quia contra justitiam posset velle furtum & tunc cognitio supernaturalis fidei concurreret Physicè ad actum peccaminosum.

Dico 2. *Objectum etiam non concurrit Physicè ad actum voluntatis.* IV. Objectum

Probatur primò: Quia aliàs actus liber produceretur à causa naturaliter agente, sed hoc nequit dici, ergò.

Dices cum Pontio: Hanc probationem non valere, quia non est inconveniens, quòd ad actum liberum concurrat causa naturalis, ut patet de habitu charitatis, ergò etiam potest concurrere objectum. Sed Respondeo negando consequentiam, disparitas est, quia habitus subest libero imperio voluntatis qui potest eâ uti vel non uti ad actum, & tantùm datur ad facilitandum, adeoque cum sit intrinsecus voluntati dico non officere ejus libertati, concursum autem objecti esse naturalem, ut non posit non concurrere cum voluntate ad actum, nec voluntatem posse habere actum sine ejus concursu.

Probatur secundò: Quia voluntas sæpe amat objectum, quod realiter non existit, adeoque objectum non concurrit Physicè ad amorem ejus; sed ut advertit Pontius saltem hoc non probat quin cognitio concurrat Physicè, imò ipsum objectum in sua specie intelligibili, & addo ego, esto tunc non concurrat, saltem non probari quin possit concurrere, unde non reputo improbabilem sententiam admittentem concursum partialem objecti, cùm actus voluntatis de se indifferentis dicat essentialiter ordinem ad hoc objectum quidem, nec potest dicere ad ullum aliud objectum, sicut actus intellectûs, qui partialiter causatur ab objecto, nec hoc videtur officere libertati voluntatis, cùm sit ipsi liberum habere actum circa tale objectum, vel non habere, tantùm ergò necessitatur in sensu composito, scilicet casu quo actum elicit, quod nihil contra conclusionem positam. Multæ sunt objectiones apud Cavellum Loc. cit. & ipsum Scotum meo videri facilis solutionis, & tantùm probant cognitionem esse conditionem, sine qua non. Sed in contra

Arguitur primò: Inde sequerentur etiam præsentiam objecti, seu objectum respectu intellectûs & intellectionis non concurrere Physicè, sed se habere ut conditionem, contra Scotum 1. d. 3. q 7. & ignem esse conditionem sine qua non, lignum seipsum combureret. Respondeo negando utramque sequelam, nam cùm intellectus non præsupponat operationem, saltem potentiæ spiritualis & ejusdem ordinis circa suum objectum, non potest habere aliam dependentiam ab eo, nisi efficientiam quoad intellectionem: Idem dico similiter de sensu, secus est de appetitu maximè libero, qualis est voluntas, quæ ex natura sua præsupponit notitiam, sicut & intellectio nostra phantasiationem, quæ tamen in intellectionem Physicè non influit. R. Ad secundam similiter, quia nihil non animatum potest se ipsum destruere, ut est lignum, cùm ad hoc nullum habeat principium, nec instrumentum, & ideo præsentia ignis respectu combustionis ejus non est conditio

tiõ pura, sed conditio applicans causam efficientem combustionis.

VI. *Disparitas de Cognitione Divina & creata.*

Arguitur secundò: Verbum Divinum est terminus cognitionis paternæ, & tamen concurrit Physicè ad productionem Spiritus Sancti, qui est terminus Amoris; ergò etiam cognitio Creata producit efficienter amorem, seu volitionem. Respondeo negando consequentiam; disparitas est primò Patrem æternum non constitui formaliter intelligentem per verbum, unde verbum non potest aliter concurrere ad Spiritum Sanctum, quàm efficienter, nostra autem cognitio reddit intellectum formaliter cognoscentem repræsentando objectum, adeoque tantùm habet influxum directivum, nec alius est necessarius. Disparitas est secundò, quia verbum accipit à Patre eandem numero virtutem Spiritus Sancti productivam, quam Pater habet, nostra autem cognitio non accipit à voluntate virtutem productivam, quia nulla ratio id probat. Disparitas est tertiò, quia in Trinitate longè major est diversitas quàm in Creatis, unde non licèt in tanta rerum & perfectionis imparitate argumentari à Divinis ad humana, alioquin dici posset intellectionem Creatam esse productivam Personæ substantialis, sicut est intellectio Divina. Imò si esset aliqua paritas faveret nostræ sententiæ, nam posset sic inferre: Amor Divinus non procedit efficienter à cognitione Divina, quia tam ille non producitur, quàm non producitur cognitio Divina, producitur enim solùm spiratio Passiva quæ non est ipse Amor, sed terminus Amoris & quidem non à cognitione, sed à Verbo quod est terminus cognitionis; ergò similiter amor Creatus, seu quæcunque volitio non procedit à cognitione creata.

VII. *Ad volitionem efficacem sufficit sola apprehensio, non tamen omnis.*

Quæres: Quænam cognitio sufficiat ad voluntatem efficacem? an videlicet apprehensio, an verò tantùm judicium? Respondeo sufficere solam apprehensionem non tamen omnem. Prima pars probatur à simili, quia bruta per solam apprehensionem materialem efficaciter appetunt objecta apprehensa (non habent etenim judicium) ergò etiam per solam apprehensionem spiritualem poterit voluntas efficaciter appetere, nam apprehensio spiritualis tam potens est ad appetitum spiritualem, quàm est materialis ad appetitum materialem. Probatur secundò, quia apprehensio identitatis inter subjectum & prædicatum, quæ vel sit determinata ad judicium, vel saltem sit probabilis æquivalet judicio in ordine ad voluntatem. Probatur secunda pars, quia aliquæ apprehensiones sunt tales, ut non tantùm non determinent ad judicandum id, quod apprehenditur, neq; proponant rem illam ut probabilem, sed potiùs determinent ad dissensum, & proponant rem ut improbabilem, qualis esset apprehensio, quæ in nobis resultat auditâ hâc propositione: *Deus non existit*; vel *duo & tria sunt sex*, talis enim apprehensio non poterit ullo modo determinare ad amorem: ratio est, quia licèt per hanc apprehensionem apprehendatur objecti possibilitas, ita tamen apprehenditur ut vel per ipsam eandem apprehensionem, vel per aliam concomitanter excitatam cognoscatur illius rei impossibilitas.

VIII.

Dices: Sequeretur hinc quòd possent simul esse efficax Amor & efficax odium, quia possent esse simul duæ apprehensiones saltem probabiles de eandem re, ergò. Respondeo hanc instantiam æquè militare contra judicium, nam possum habere duo judicia probabilia de eadem re, verbi gratiâ, de studio Petri, & de carentia studii, ita ut utrumque sit probabile; ergò possum etiam habere simul amorem & odium, quòd tamen non admittitur ab adversariis; ergò nec admitti debet in apprehensione. Ita ut utrumque simul ametur, vel odio habeatur, non sufficit, ut utrumque divisivè apprehendatur ut possibile, sed debet apprehendi, ut possibile utrumque simul, de quo nec quidem probabilis apprehensio dari potest. Ratio est, quia voluntas per amorem efficacem vult absolutè ponere suum objectum, novit autem evidenter impossibile esse, ut ponatur utrumque simul; ergò non potest utrumque simul amare efficaciter.

IX. *Volitio spiritualis nunc non dirigitur à cognitione materiali.*

Quæres secundò: An volitio spiritualis prærequirat cognitionem spiritualem. Respondeo primò: Volitionem spiritualem de facto existentem non posse dirigi à cognitionibus materialibus de facto existentibus. Probatur primò: Quia si potentiæ materiales, modo existentes nec divinitus elevari possunt ad cognoscendam rem aliquam spiritualem, similiter cognitiones materiales non possunt esse directivè ad volitionem spiritualem. Secundò: Inter movens & motum debet esse proportio, hic nulla est, ergò. Tertiò, sequeretur quòd voluntas sine usu rationis per solam cognitionem sensitivam posset peccare, quia ex diversis bonis à sensu propositis quædam posset amplecti, quædam verò respuere, quod sufficere videtur ad peccandum. Deniq; licèt sensus posset attingere bonum delectabile, non potest tamen utile & honestum, quæ sunt principaliora objecta voluntatis. Respondeo secundò, possibiles esse cognitiones materiales, quæ dirigant ad voluntatem spiritualem. Probatur, quia nec ratiõ nec authoritas demonstrat repugnantiam, quòd voluntas illuminetur per aliquam cognitionem materialem æquè, aut magis perfectam, quàm sint aliquæ cognitiones spirituales; ergò si hæ possunt illuminando dirigere voluntatem ad volitionem spiritualem, poterunt & illæ.

DISPUTATIO X.

DE ANIMA SEPARATA.

AD majorem dictorum intelligentiam restat explicandus status Animæ à corpore sejunctæ, de quo fusè disputat subtilis 4. d. 45. per tres, aut quatuor Quæstiones, verum quia hic plurima inferuntur, quæ purè Theologica sunt, ut Beatitudo Animarum, damnatio, dari receptacula pro iis, vermem perpetuò mordentem, & quòd tandem sua corpora sint recepturæ, quæ omnia fide tenemus, cui ratio debet esse captiva in obsequium, idèo tantummodò ea hic, quæ purè Philosophica sunt, proponam. Sit igitur

QUÆSTIO I.

An Separatio Animæ à Corpore sit violenta?

I. *Violentum quatuor modis sumitur.*

Pro resolutione Quæstionis sciendum primò: Naturale me hîc sumere non prout opponitur libero & supernaturali, sed violento. Secundò, violentum etiam quatuor modis considerari posse, scilicet illud esse violentum, quod caret aliquâ perfectione, quæ spectet ad substantiam ipsius, nec habeat aliam incompossibilem cum illa, licèt meliores habeat perfectiones accidentales, in hoc sensu separatio Animæ est ipsi violenta, quia Anima separata caret complemento substantiali, ad quod essentialiter ordinatur, scilicet corpore, nec ullam habet perfectionem ipsi æquivalentem incompossibilem cum illo, ergò.

II. *Quomodo violentum non sit à principio intrinseco.*

Dices: De ratione violenti est, quòd non sit à principio intrinseco, sed separatio est à principio intrinseco, ergò. Respondeo distinguendo majorem, quòd non sit à principio intrinseco, id est juxta inclinationem principii intrinseci, seu subjecti concedo majorem: hoc est, quòd non concurrat illud principium sive remotè, sivè proximè nego majorem. Et distinctâ sic minore, nego consequentiam.

III. *Enumerantur reliquæ acceptiones violenti.*

Alio modo potest dici aliquid esse violentum, quando caret perfectione accidentali conservante, sic aqua est in statu violento sub calore. Tertio modo, quando aliquid caret perfectione, quam in se nata est producere, sic dicitur in statu violento, quando grave est sursum, leve deorsum. Quarto modo, quando est in statu tali, in quo non potest producere aliquas perfectiones, quas in alio statu producere potest, sic intellectus alligatus ad phantasmata, si pro alio statu non esset alligatus, posset dici esse in statu violento. In his sensibus separatio animæ non est violenta, quia nullas perfectiones potest habere in corpore, aut producere in se, quas non potest habere in statu separationis, aut alias ipsis æquivalentes, nec in illo statu caret aliquâ perfectione tendente in conservationem ipsius, cùm nullo modo ab his accidentibus dependeat, unde si consideretur quoad præsentem statum non considerando pœnam, aut gloriam, peccata vel bona opera potius deberet appetere separationem, quia careret multis molestiis corporis, & acquireret scientiam intuitivam, quam non potest habere pro hoc statu, pro statu verò Innocentiæ esset sine dubio violenta, quia haberet eandem intellectionem intuitivam, & simul complementum substantiale, unde absolutè ad Quæstionem

Dico 1. *Simpliciter dicenda est violenta Animæ separatio.* Hæc est communior.

Probatur primò Authoritate SS. PP. Augustini Serm. 23. cap. 1. *Mortem horret, non bonum, sed natura.* Hom. 37. cap. 4. dicit: *Omnia animalia mortem fugiunt; ergò diligunt se, cohibere se volunt, alia velocitate, alia latebris, alia resistendo, alia repugnando &c.* Lib. 1. contra Advers. Legis cap. 6. *Humanus sensus amore vivendi conditionem mortis abhorret.* Serm. 103. cap. 4 circ. ait: *Tanta est etiam hujus ærumnosæ vitæ nescio qua suavitas, tantaque in natura utcunque viventium horror mortis, ut nec illi mori velim, qui per mortem ad vitam transeunt, in qua mori non possunt.* Quod certum esse patet exemplo S. Hilarionis, qui octuagesimum annum agens, cùm in extremo vitæ periculo conflicteretur, dixit: *Egredere, quid times? egredere Anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis servivisti Christo & mortem times?*

Probatur etiam ex S. Bernardo tract. de dilig. Deo cap. 11. *Sed si (quod non negatur) velint sua corpora recepisse aut certè recipere desiderent & sperent, liquet procul dubio nec dum à se ipsis penitus immutatas, quibus constat nec dum penitus deesse de proprio, quo vel modicè intentio refectatur. Donec ergò absorpta sit mors in victoria, & mortis undiq; terminos lux perennis invadat & occupet usquequaq;, quatenus & in corporibus gloria caritatis effulgeat, non possunt ex toto Animæ fessæ deponere & transire in Deum, nimirum ligatæ corporibus etiam tunc, etsi non vitâ vel sensu, certè affectu naturali, ita ut absque his nec velint, nec valeant consummari. Itaque ante restaurationem corporum non erit ille defectus animorum qui perfectus, & summus est ipsorum status: nec carnium sanè consortium spiritus requireret, si absque illa consummaretur.*

Probatur secundò: duo privativè opposita non possunt esse ejusdem naturæ, secundùm inclinationem, sed unio Animæ rationalis cum corpore est naturalis & secundùm inclinationem; ergò separatio non potest esse naturalis: Probatur minor, in hoc essentialiter distinguitur saltem pro hoc statu Anima rationalis ab Angelo, quod ipsa sit essentia & natura

natura incompleta, atqui quod est incompletum ex natura sua inclinat ad unionem cum sua comparte; ergò Anima ad illam inclinat.

Confirmatur primò: Forma non potest inclinare ad detrimentum, & destructionem totius compositi; ergò. Confirmatur secundò: Privatio perfectionis connaturalis est violenta, atqui, ut dixi, unio Animæ est ejus perfectio naturalis, & separatio non est aliud, quàm privatio unionis; ergò separatio illa est simpliciter violenta.

V. *Opponitur & explicatur Doctor.*

Opponitur Authoritas Doctoris 4. dist. 53. q. 2. §. 3. dicentis, separationem non esse simpliciter violentam Animæ, ergo. Respondeo, Doctorem intelligendum de violento in secundo, vel tertio sensu, non verò de violento simpliciter, quatenus tale dicitur, quod est contra inclinationem principaliorem, licèt ferat secum aliquid quod sit juxta inclinationem minùs principaliorem.

Instatur: Doctor ibidem dicit Animam non dicere inclinationem ad corpus; ergò separatio non est violenta simpliciter. Respondeo, cum loqui, vel de inclinatione, quæ posset reduci ad actum secundum per causas naturales vel de inclinatione, quæ excluderet omnem perfectionem, & satisfactionem ullius appetitûs Animæ.

Urgetur: Si separatio esset violenta, sequeretur, quòd Homini naturaliter deberetur resurrectio, atqui hoc est absurdum, ergò. Respondeo distinguendo sequelam, prout naturale opponitur violento concedo sequelam, prout opponitur supernaturali, nego sequelam.

QUÆSTIO II.

An Anima Separata recordetur præteritorum & quomodo?

I. *Anima recordatur præteritorum*

Quantum ad primam partem tituli facilis est resolutio, tenet etenim Catholica fides, quòd Animæ tam Beatorum, quàm damnatorum præteritorum recordabuntur, undeetiam ad Quæstionis primam partem Respondendo

Dico 1. *Affirmativè.* Probatur primò ex Sacra Scriptura Lucæ 16. ubi dicit Abraham ad Epulonem in inferno sepultum: *Recordare fili, quòd receperis bona in vita tua, Lazarus similiter mala, nunc ille consolatur, tu verò cruciaris.* In quem locum præclarè loquitur D. Gregorius hîc hom. 40. *Nam ad pœnam suam ei & cognitio servatur & memoria. Cognoscit enim Lazarum, quem despexit, fratrum quoq; suorum meminit, quos reliquit, ut de visa despecti gloria, ait glossa & de pœna inutiliter Amatorum amplius torqueatur.* Deinde 14. Moralium circa finem in illud Psalmi 88. *Misericordias Domini in æternum cantabo*, ait: *quomodo in æternum misericordiam canit, qui misericordiæ non meminerit?*

Probatur secundò Authoritate SS. PP. Augustini lib. de Cura pro Mortuis cap. 15. & lib. 9. Confess. cap. 3. ubi de Beatitudine Nebridii singularis sui Amici sic ait: *Nec sic arbitror eam inebriari ex ea* (Beatitudine) *ut obliviscatur mei, cùm tu Domine, quem potat ille, nostri sis memor.* Et lib. 1. contra Adverss. Legis cap. 20. hæc habet: *Non enim sicut Platoni visum est, corporum oblivionem desiderant, sed potiùs quia meminerunt, quid sibi ab eo sit promissum, quia neminem fallit, qui eis etiam de capillorum suorum integritate securitatem dedit, resurrectionem corporum, in quibus multa dura perpessi sunt, nihil in eis tale sensuri desiderabiliter, & patienter expectant.* Bernardus tract. de dilig. DEO, ubi demonstrat Animam recordari sui corporis; ut supra etiam adduxi, verùm meliùs, & graphicè magis describit Animas beatas recordari nostrûm etiam in Cœlo, Serm. 26. in Cant. & quamvis videatur primò de hoc esse dubius, eleganter tamen id probat, quod sanè operæ pretium erit textum ejus fusiùs adducere; Itaque loco citato sic suum Fratrem Gerardum defunctum alloquitur: *At ego pro te quid? quàm vellem scire, quidnam sentias nunc de me illo unico tuo, mediis nutante curis & pœnis, destituto te baculo imbecillitatis meæ: Si tamen licèt adhuc cogitare de miseriis ingresso abyssum luminis, atque illo pelago æternæ felicitatis absorpto: Forte enim etsi nos secundùm carnem, sed nunc jam non nostri, & quoniam introisti in potentias Domini, memoraris justitiæ ejus solius, immemor nostri. Cæterùm qui adhæret DEO, unus spiritus est, & in Divinum quendam totus immutatur affectum: nec potest jam sentire, aut sapere, nisi DEUM & quod sentit, & sapit DEUS, plenus DEO. DEUS autem charitas est, & quantò quis conjunctior DEO, tantò plenior charitate. Porro impassibilis est DEUS, sed non incompassibilis, cui proprium est misereri semper & parcere. Ergò & te necesse est misericordem esse, qui inhæres misericordi, quamvis jam minimè miser sis; & quis non pateris, compateris tamen, affectus proinde tuus non est imminutus, sed immutatus, nec quoniam DEUM induisti, nostri curâ te exuisti: & ipsi enim cura est de nobis. Quod infirmum est, abjecisti, sed non quod pium, charitas denique nunquam excidit. Non obliviscetur me in finem.* Viden' quomodo non solùm actum reminiscentiæ Gerardo tribuit, verùm etiam probabiliter docet hoc fieri per species priores, ut colligi potest ex hoc, quod dicit: *Nec quoniam DEUM induisti, nostri curâ te exuisti.*

II. *Ratio probans recordationem.*

Probatur ratione Scoti primò: Si non daretur reminiscentia in Beatis, nullam haberet anima rationem agendi Deo gratias pro remissione peccatorum, sed hoc videtur esse minùs rectum, ergò: Probatur sequela, quia nemo gratias agere tenetur de illo, quod sibi non constat, ergò.

Probatur secundò: Quia certò videtur ridiculum dicere, quòd Lucifer superbissimus non recordetur se offendisse Deum, & petisse æqualitatem ejus, cum deperditione gratiæ in creatione sibi collatæ, ergò etiam inconvenientissimum videtur dicere, quòd anima separata non recordetur se Deum offendisse, & tamen æternis debeat affligi cruciatibus, ab omnimoda paritate.

An autem anima recordetur præteritorum per species habitas in corpore, vel per habitus? Dubitat Pontius, & licèt concedat voluntatem conservare suos habitus in statu separationis, magis tamen ad asserendum inclinatur, quòd intellectus non conservet suas species, vel habitus, quia tales species videntur, essentialiter dependere ab objecto phantasticè proposito, unde putat species, & habitus intellectuales viæ destrui, sicut fidem in Patria, esto maneat eorum subjectum, nec forma contraria introducatur. Attamen

III. *Anima recordatur per species habitas, & acquisitas in corpore.*

Dico 2. *Anima separata recordatur præteritorum per species habitas, & acquisitas in corpore, ita ut illæ remaneant.* Hæc est Doctoris 4. d. 49. q. 9. D. Thomæ 1. p. q. 89. art. 5. Et probatur authoritate D. Bernardi lib. 5. de consid. cap. 12. ubi sic loquitur: *Opera tenebrarum sequuntur illas, nec est, quo se abscondant ab illis, ne in tenebris quidem. Hic est vermis, qui non moritur, memoria præteritorum: Semel injectus, vel potius innatus per peccatum hæsit firmiter, nequaquam deinceps avellendus. Nec cessat rodere conscientiam, eâq; pastus escâ utiq; inconsumptibili perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis. Constat immortalem animam esse, nec aliquando absq; sua memoria vivere, ne non animam aliquando esse contingat: Itaq; durante animâ durat & memoria. Sed qualis? Fœda flagitiis, horrida facinoribus, vanitate tumida, contemptu hispida, & neglecta. Quis priora transierunt, & non transierunt, transierunt à manu, sed non à mente, quod factum est, factum non esse non potest. Proinde & si facere in tempore fuit, sed feciisse in sempiternum manet.*

Probatur etiam ratione primò: Quia hujusmodi qualitates sunt spirituales, adeoque à corpore independentes, ergò manentibus eorum subjectis, etiam manere debent, cùm non sit ulla ratio, quare pereant, ergò: Probatur antecedens, si esset aliqua ratio, esset, quòd vel illi habitus essent supernaturales aut nimis imperfecti, quæ tamen ratio non est, libenter etenim fateor imperfectos habitus non manere in Beatis nec supernaturales in damnatis, ergò.

Probatur secundò, Ex supradictis in præterita conclusione.

Probatur tertiò, Quia species non dependent in conservari à phantasmate, sicut nec phantasma à speciebus externis, nec species habent aliquod contrarium, ergò non est dicendum, quòd destruatur. Nec officit authoritas Apostoli 1. ad Cor. 13. dicentis: Scientiam destruendam post mortem, quia gentium Doctor tantùm vult scientiam obscuram per sensus acquisitam in Patria destruendam, non verò de scientiis perfectioribus.

Dices: Sequeretur saltem Aristotelem futurum doctiorem, quàm Sanctum Isidorum, aut alios simplices, pios, & devotos, quod tamen videtur inconveniens. Respondeo id nequaquam secuturum, quoniam justitias judicans Dominus, & Misericordiarum Pater proportione ad Sanctitatem vitæ, scientiæ naturalis defectum per infusionem superabundantioris sapientiæ abundanter supplebit. Ideoque

Dico 3. *Anima separata probabiliter etiam novas species & scientias acquirit.* Hæc est contra mis ad Sanctos Patres supra, Scoti, D. Thomæ, & *Anima etiam spec.*

Probatur primò: Quia anima separata cognoscet res spirituales intuitivè, & res spirituales intuitivè visæ imprimunt species intellectui, sicut sensibilia sensui, ut tenet Scotus in quodlibeto 15. *art. primo §. si verò teneretur.*

Probatur secundò: Quia alioquin anima cum communi concursu nullam posset habere actionem, per quod poneretur in imperfectissimo omnium creaturarum statu, quia omnis alia creatura cum communi influxu, & concursu Dei ordinario potest operari, & anima non potest operari, nisi per intellectum, & voluntatem, & sibi relicta neutrum actum habere potest secundùm sententiam adversariorum.

Probatur tertiò: Perfectionis est in anima unita, quòd acquirat operationes, quibus cognoscat, & in hunc finem habet intellectum agentem, ergò hoc non est ei denegandum in statu perfectiori, qualis est status separationis, juxta illud Sapientiæ 9. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam.* Quarto nimiam distantiam objecti impedire cognitionem spiritus creati ex eo constat, quòd legantur Angeli ad terram descendisse ad quædam exploranda, & idem docet Augustinus lib. de cura pro mortuis c. 13. & Greg. in Moral. lib. 32. c. 13. quos sequitur D. Thomas 1. p. q. 89. art. 3. Ergò necesse est species acquiri ab objectis, aliàs si nihil facerent ad cognitionem, frustra requireretur earum præsentia.

Dices: Anima separata non accipit species à rebus corporeis, quia contra ejus dignitatem videtur esse ab iis dependere in sua cognitione, verbi gratiâ, quòd non posset videre colores, nisi colores emittant species, neque modò à rebus spiritualibus acquirit species, quia res spirituales nil extra faciunt, præter motum localem; præterea res corporeæ non possunt emittere, nisi species corporeas. Respondeo tamen animam separatam, & idem dicendum de Angelo acquirere species à corporeis

reis rebus intra debitam distantiam, nec absurdi aliquid est, quòd res corporea producat sui speciem in intellectu animæ separatæ nil producendo in medio, cùm medium non sit capax talis formæ, neque alterius formæ ad eam requisitæ instar dispositionis, de quo videndus Scotus in 2. d. 9. q. 2. quod autem additur spiritum nil ad extra operari præter motum localem, illud verum est de actione reali Physica, & in corpus, esto veriùs existimem etiam posse causare impulsum in corpus, de quo paulò infra. Sed

VI. *Anima potèst cessare ab omni cognitione.*

Quæres, An anima separata posset cessare ab omni cognitione? Negat D. Thomas cum suis in materia de Angelis, & videtur esse eadem ratio de Angelo, & anima separata, & ratio prima videtur esse paritatis, quia sicut apertis oculis non possumus non videre colorata lucida debitè approximata, ita videtur dicendum de anima separata. Secundò, non potest quis cessare à consideratione doloris vehementis, ergò neque à consideratione delectationis nimis intensæ, qualem habet Angelus de sua essentia, esto essentiam divinam non videret; oppositum tamen videtur esse verius cum Molina 1. p. q. 56. art. 1. Conimbr. hîc, quia Angelus est finitus, & limitatus, & ejus intellectus determinatur ad cognitionem tantùm certam, & determinatam aliquorum tantùm objectorum, eorum videlicet, quæ placuit voluntati divinæ ei ostendere in verbo, quâ cognitione habitâ potest cessare, & ulteriùs non speculari.

QUÆSTIO III.

Quomodo anima separata sit in loco, ubi etiam de potentia locomativa.

I. *Non est in loco circumscriptivè.*

Suppono tanquam certum, animam separatam in nullo loco esse circumscriptivè, cùm nullas habeat partes, vel quantitatem, est tamen in loco reali, in Cœlo nempe, vel in inferno. Controvertitur tamen imprimis, an sit in loco per operationem? Partem affirmativam tenet D. Thomas 1. p. q. 52. art. 1. & omnes ejus Discipuli, partem verò negantem Scotus 2. d. 2. q. 6. cum quibus etiam

II. *Non est in loco per operationem.*

Dico 1. *Animæ separatæ non sunt in loco per operationem, sed per ubi spirituale, seu definitivum in ipsis subjectatum.* Prima pars est Scoti, supra contra D. Thomam, quæ proindè

Probatur primò: Quia animæ separatæ sunt propriè in loco, ut patet ex dictis, essent autem tantùm impropriè, & abusivè in loco, si tantùm per operationem, quia aliud est esse in loco, aliud in loco operari.

Probatur secundò: Quia omni operatione seclusâ substantia animæ separatæ adhuc esset indistans à spatio reali uti corpus, ergò adhuc maneret in isto loco uti corpus, inter quod nequit dari disparitas. Tertiò, quia non potest statui anima separata in loco, per operationem immanentem utpote spiritualem, uti est ipsa anima; non per transeuntem, tum quia potest anima separata ab omni actione transeunte desistere etiam naturaliter, adeoque tunc esset nullibi, quod repugnat: tum quia consequenter deberet esse anima separata ibi, ubi est ipsa operatio, quæ illam formaliter in loco constituit, hoc autem dici nequit, cùm actio transiens sæpe sit in re maximè distante, aut saltem juxta alios in toto Cœlo, quod movet Angelus, verbi gratiâ, item in rebus discontinuis, & non in medio, quæ tamen præsentiæ animæ separatæ naturaliter repugnant.

Probatur secunda pars: Tum quia facilè sic explicatur existentia animæ separatæ in loco; tum quia anima non minùs est capax suæ præsentiæ, sed ubi definitivi, quàm ubi descriptivi corpus sit capax.

III.

Dices: Si anima separata haberet ubi spirituale, deberet id ei competere independenter à loco corporali, adeoque competeret ei, quantumvis fuisset creata sine omni corpore, aut loco corporali. Respondent aliqui negando totum dicentes, idcirco animam separatam creatam in & cum mundo corporali; sed quia hoc difficile apparet, ideo cum aliis nonnullis responderi potest concedendo totum, ubicatio enim animæ separatæ est probabiliter entitas absoluta dicens respectum transcendentalem ad locum, seu corpus ponibile ex natura sua intrinseca absolutè immobilis, sicut duratio est forma ab omni respectu ad distinctam tempus absoluta; vel saltem (ut plures probabiliter tenent Scotistæ) entitas respectiva quidem, quæ tamen non requirat coëxistentiam termini actualem, sed solùm possibilem, eò quòd sit respectus extrinsecus adveniens, qui non resultat ex fundamento, & termino (uti respectus transcendentalis) sed producitur ab efficiente per specialem rationem ad se directè terminatam.

IV. *Verè localiter se movet.*

Dico 2. *Anima separata seipsam verè, & localiter movet.* Est Doctoris, & suorum contra Thomistas. Probatur ex Scriptura adducta ad probandum Angelos esse in loco, ut Luc. 10. *Vidi Sathanam descendentem de Cœlo.* Job. 1. *Circuivi, & perambulavi, &c.* Nec loca hæc metaphoricè intelligi debent, quia scriptura semper liberaliter intelligenda est, nisi sequatur inde aliquod inconveniens, & propter eandem rationem nec dici debet, quòd anima separata moveatur ab alio, cùm nihil impediat, quo minus virtute propriâ possit se movere. Nec obstat D. Augustinus lib. 8. de gen. ad litt. cap. 20. dicens: *Spiritualem creaturam per tempora mutari, non per loca*, solùm enim vult, non moveri per loca instar rerum corporearum, quæ loca replent, moveri tamen per tempora, quia non minus decurrit tempora, quàm res corporeæ.

V. *Potèst moveri in instanti.*

Dico 3. *Anima separata in instanti potest moveri ab uno loco in alium continuum, vel contiguum.* Est communis, & probatur, quia nihil impedit quò minus anima separata manens in uno loco pro instanti A. possit inde se movere ad locum B. pro instanti sequenti, ergò.

Dices: Alius iste locus est divisibilis, sed locum divisibilem non potest occupare in instanti, ergò: Probatur minor, si occuparet, non

esset prius in parte propinquiore illius loci, quàm in remotiori, sed hoc videtur implicare, ergò: Major patet, quia in eodem instanti poneretur in parte remota, & in parte minùs remota loci, ergò. Respondeo concessâ majore, negando minorem, cur enim, sicut defacto Sol pro eodem instanti, quo creatur producit lumen in parte vinciniori & remotiori, item sicut anima rationalis pro instanti, quo creatur informat totum corpus organicum compositum ex diversis partibus, ita etiam anima separata in instanti non occuparet locum totum adæquatum suum, & æquè primò partem vinciniorem, ac remotiorem.

VI. *Potest continuò, & successivè se movere.*

Dico 4. *Anima separata potest continuò, & successivè movere se in locum.* Est communis, & patet, quia nihil obstat, quo minus sic se moveat, ergò: Probatur antecedens, anima rationalis ad motum corporis movet se continuò, & successivè, licet sit indivisibilis, ergò & anima separata à paritate potest sic se movere.

VII. *Non tamen, quin transeat per medium.*

Dico 5. *Anima separata non potest moveri continuò de uno loco in alium notabiliter distantem, verbi gratiá, de Cœlo in terram non transeundo per medium.* Probatur, quia in hoc essentialiter differt motus continuus à discreto, quòd fiat successivè de extremo uno in aliud per partes spatii intermedias, & continuatas, ergò implicat intelligi motum continuum, quin fit transitus per intermedias partes, quod de se patet.

VIII. *Convenit eis motus tractionis, &c.*

Quæres primò: An conveniant animabus separatis motus tractionis, vectionis, alligationis, & revolutionis? Ei videtur, quòd tales motus petant tactum, & per consequens quòd non conveniant animæ separatæ respectu corporis, quod enim vehitur, motu fertur alieno, & sic non eget impulsu, quo tantummodo competit spiritui movere: Verius tamen puto, tales motiones convenire animæ per impulsum, cùm enim imprimit impulsum, si ipsa comitatur corpus, quod movetur, dicitur vectio, si autem mobile resistat, dicitur tractio, & sic de cæteris. Sed

Quæres secundò: Utrum una anima posset movere alteram separatam? Respondeo, si teneatur, ut supra dixi, omnes animas esse ejusdem perfectionis, & virtutis, nulla anima commovebitur ab altera invita, sicut nec homo potest moveri ab alio homine æqualis virtutis, vel fortitudinis, potest tamen anima separata moveri ab Angelo, & quidem invita, sicut & Angeli inferiores à superioribus, & forte tali modo, & non sola voluntatem dissentione, seu repugnantia, factum est prælium in Cœlo inter Angelos bonos, & malos, de quo Apocalyps. 12. Plura si volueris videre, & scire, vide secundum partem Metaphysicæ pertotam de Angelis, par enim de illis, ac ista est ratio, unde omnia, quæ hic desunt, per ibi dicenda suppleta volo, prudens lector facilè quæ de Angelis dicuntur, poterit animæ applicare, & gratis proinde hîc, & ibi multiplicarentur, est ergò finis.

DISPUTATIO XI.

DE PARVIS NATURALIBUS.

Parva de rebus naturalibus edita opuscula ab Aristotele nunc, & defacto universaliter nomen accepêre, ut Parva Naturalia *vocentur, quæ cùm sint, vel necessariè sequantur animasticas operationes, rectè materia de anima subiectuntur; & plus aliorum menti conformabo me ipsis conformiter transmittendo, quàm novas effingendo. Sit igitur*

QUÆSTIO I.

De memoria, & reminiscentia.

I. *Memoria describitur.*

Memoriam esse facultatem, quâ recordamur rerum antea cognitarum, dicit Doctor 4. d. 45. q. 3. duplex autem est, una sensitiva, quæ in capite, altera intellectiva, quæ in anima sedem habet: Dari autem hanc facultatem in anima, experientiâ constat, quia recordamur rerum præteritarum; item anima separata recordatur eorum, quæ in vita gessit, ut patet ex illo Lucæ 16. *Recordare fili, quia recepisti bona in vita tua, &c.* Differt autem memoria à reminiscentia per hoc, quòd reminiscentia præsupponat rei oblivionem, memoria autem non.

II. *Non distinguitur ab intellectu.*

Dubitatur hîc, an memoria intellectiva ab anima, aut intellectu distinguatur? Ratio dubii est, quia mens humana dicitur ad imaginem Sanctissimæ Triadis divinitus efformata, & sicut in una essentia tres sunt personæ divinæ, ita in anima tres sunt potentiæ, *intellectiva* scilicet, *memorativa*, & *volitiva*: Jam ad dubium respondetur negativè, quia ut supra dixi, eadem est facultas, quæ elicit, & quæ recipit, ac conservat actus, vel species; ad hoc autem quòd mens sit Sanctissimæ Triadis imago, sufficit, quòd tres in eadem anima potentiæ numerentur, sive distinctæ sint, sive non.

Quæres 1. Quibusnam conveniat memoria sensitiva? Respondeo eam convenire brutis, sed non omnibus.

Probatur prima pars manifestè experientiâ, & memoriæ indicio, quod in brutis deprehenditur, quale est identidem certa loca, nidos, latibula repetere, sobolem suam dignoscere; item in Plin. lib. 10. histor. cap. 7. compertum est, equos, capras, canes somniare, quod non fieret, nisi bruta haberent in sensu communi præteritarum rerum asservatas imagines. Quòd autem non omnibus conveniat, probat Aristoteles hîc, nam bruta, quæ solo gustu, & tactu prædita sunt, memoria carent, ut conchæ, spongiæ, & cætera, quæ marinis scopulis

pulis adhærent, cùm hanc ob id ipsum natura brutis concesserit, ut loca ante cognita possint adire, bona sequi, fugere mala; sunt etiam aliqua, quæ licèt locum mutent, memoriâ tamen carent, ut culices, & similia, & quidam vermes, qui hinc inde vagantur, nec ad certum locum venire deprehenduntur.

IV. *Etiam pisces habent.* **Quæres 2.** An pisces habeant memoriam? Philo Judæus de mundi opificio agens, propterea Deum animalium creationem à piscibus inchoâsse ait, quia eum servare ordinem voluit, quem in suis operationibus secutura esset imposterum natura, qui incipiens à viliori bus desiit in præstantissima omnium creatura, homine scilicet, quem ad sui efformavit similitudinem, negat ideo in piscibus dari memoriam. Respondeo tamen affirmativè. Probatur ex indiciis memoriæ in piscibus deprehensis, narrat enim Plinius lib. 9. hist. natural. de Delphino, qui Musicâ evocatus, & quocunque dici tempore inclamatus à puero, quamvis occultus, & abditus ex imo advolavit, pastasq; à puero, dorsum assedenti præbebat, per mare ludentem portabat; & eundem revehebat, quod sane non nisi ex memoria faciebat. Ratio etiam suadet supra insinuata, nam memoria, ut dixi, ob id à natura indita est, ut animantes ad definita loca ad commodi alicujus gratiam se conferant, certum autem est pisces in easdem speluncas, eademque domicilia statis temporibus se abdere, indeque egressas eadem rursus repetere.

V. *Occipitium est organum memoriæ.* **Quæres 3.** Quodnam sit organum memoriæ sensitivæ? Respondeo posteriorem partem capitis, quæ occipitium vocatur. Probatur, quia læsâ illâ parte, offenditur memoria, & percussus eo loco incipit rerum obliviscì. Secundò dum recordari aliquid volumus, naturâ quasi docente occipitium fricamus, ut memorandi vim excitemus, & acuamus.

VI. **Quæres 4.** Quare eorum, quæ in somniis apprehendimus, facilè obliviscamur? Respondeo, quia tunc facultas memorandi remissè operatur, similiter & alii sensus, qui in memoriam agunt.

VII. *Quare ingeniosi parvæ sæpe sint memoriæ.* **Quæres 5.** Quare non iidem & ingenioši sint & bonæ memoriæ, sed è contra sæpe accidit, ut qui tenacioris sunt ingenii, minùs celeri polleant memoriâ, & qui tenacioris sunt memoriæ, minùs celeri polleant ingenio? Respondeo, quia ingenii præstantia consistit in celeritate quadam mentis, & facilitate ad ratiocinandum, inveniendum, & demonstrandum, hæc autem celeritas pendet ex acumine, & promptitudine internorum sensuum, præsertim facultatis cogitatricis. Durities autem cerebri, quæ inflexibilis est, facit, ut idola rerum tenaciùs adhæreant, & sic celeritatem cogitatricis potentiæ cohibent, & domant, unde idem, quod memoriam diuturnam reddit, ingenium habetat.

VIII. **Quæres 6.** Quare integræ quædam nationes memoriâ parum valeant? Respondeo id provenire à Solis, astrorumque dispositione, unde Thebani ingenio tardi, Athenienses verò subtili traduntur.

Cur canes excellant. **Quæres 7.** Quare quædam bruta, ut canes, equi &c. multò melius recordantur viarum, diverticulorum &c. quàm homines? Respondeo, quia bruta dum pergunt aliis rebus sensum non distrahunt, sed totam vim in iis, quæ intuentur percipiendis occupant, & sic firmissimè eam retinent, eadem ratio est de hominibus agrestibus, qui ad brutorum genium accedunt.

IX. **Quæres 8.** Cur Melancholici sint diuturnæ memoriæ? Respondeo, quia serùs, aut lentiùs apprehendunt, ideoque altiùs infigunt.

Quæres 9. Quare, qui noctes ducunt insomnes, minoris sint memoriæ? Respondeo, quia humores, qui somno erant absumendi, congruam organi siccitatem impediunt.

Quæres 10. Quare illorum, quæ amamus, difficiliùs obliviscamur? Respondeo, quia de illis assiduè cogitamus.

X. *Ebrij cur malè recordentur.* **Quæres 11.** Quare Ebrii, læti, & timore exteriti ægrè recordentur? Respondeo, quia vehemens spirituum motûs, & agitatio imaginem impressionis impediunt. In timore autem percussis alia est ratio, quia concurrentibus ad præcordia spiritibus partes cerebri, in quibus memoriæ officina est, condensantur, & sic minùs capaces imaginum inveniuntur.

QUÆSTIO II.

De Somno, & Vigilia.

I. *Vigilia describitur, & somnus.* **Quandoquidem** Somnus est privatio vigiliæ, & omnis privatio per formam, quam negat, definitur, & innotescit, acturus de somno, hic aliquid de vigilia præmittam: *Vigilia est omnium sensuum externorum, aut saltem aliquorum solutio, & libertas. Somnus autem est ligatio regulariter omnium sensuum externorum ad animantium salutem instituta.* Dixi sensuum externorum, quia dum homo dormit, non est opus, ut potentiæ internæ ejus ligentur; dixi *ad animantium salutem &c.* quia cùm sensus morbi alicujus vi feriuntur, ut accidit Epilepticis, id est, qui deliquium animi patiuntur, qui aliquando in somno quietantur. Cùm igitur somnus sit ligatio sensuum externorum, videre opportet, quidnam eam ligationem causet; & inprimis certum est, nullum sensum in actione versari absque ope spirituum è cerebro influentium; si igitur hujusmodi spirituum communicatio inhibeatur, necessarium erit, omnium sensuum functiones intermitti, & sic somnum causari, nam proxima, & immediata causa efficiens somni est impeditio defluxûs spirituum animalium à cerebro ad sensus externos: Unde Aristoteles hic ait: Somnum esse inpotentiam sentiendi, causam verò vigiliæ esse oblationem talis impedimenti, & communicationem spirituum animalium. Multipliciter autem hîc spirituum defluxus impediri potest; primò ex ascensu vaporum, & quarumdam fumositatum ex crudis cibis causatarum, quæ ascendentes ad cerebrum, ab eodem infrigidantur, & incrassantur, unde meatus omnes præcludunt. Secundò ex fatigatione nimia corporis, in qua spiritus

spiritus vitales consumuntur, & sic potentiæ externæ manent viribus destitutæ, donec alii spiritus generentur, hinc est causa somni, & quidem finalis etiam hæc est, ut spiritus reparentur, & conserventur.

II. *Somnus competit omnibus animalibus.*

Quæres: An omnibus animalibus somnus conveniat? Respondeo affirmativè, suadet hoc communis eorum necessitas, communis Philosophorum authoritas, Plin. lib. 10. histor. natur. cap. 25. qui etiam aquatilia, ut balænas, delphinosque ita dormire dicit, ut etiam stertentes audiantur.

III. *Prius vigilia quàm somnus competit.*

Quæres 2. An prius conveniat homini somnus, quàm vigilia? Respondeo homines dum habent talem dispositionem, ut habeant sensus externos formatos prius vigilare, quàm dormire. Ratio est, quia nil implicat, quo minus sentire possint, si ipsis objectum applicetur sensibile, antequam autem habeant sensus sic efformatos, nec dormiunt nec vigilant, quia non habent ligamen, nec solutionem sensuum externorum, cum non habeant ipsos sensus formatos, vigilia enim, & somnus sunt affectiones animalium sensus sic efformatos habentium.

IV. *Fuisset in statu innocentiæ.*

Quæres 3. Utrum in statu innocentiæ fuisset somnus? Respondeo eum, qui ex lassitudine, aut morbo oriretur negativè; quem verò pura, & suavis evaporatio alliceret, affirmativè. Ratio primi est, quia talis somnus defectum argueret, qui ibi non fuisset. Secundi, quia hæc est genuina, & naturalis animalis proprietas.

V. *Causa excitationis.*

Quæres 4. Quomodo animal expergiscatur, & cesset à somno? Respondeo animal dupliciter cessare à somno, vel sponte, vel vi, vel interpallatione; prior excitatio tunc fit, dum digestio vi naturalis caloris, qui se ad id collegerat, peracta est, tunc enim spiritus robustiores ad externa membra, & organa diffunduntur: Vel universalis ratio est, quia panduntur meatus, per quos spiritus animales à cerebro transeunt ad sensus externos, panduntur autem tunc, quando vapores, qui meatus occludebant, calore consumuntur.

VI. *Dormientes ambulant.*

Quæres 5. An verum sit, quòd dormientes aliquando ambulent, disputent, loquantur &c. Respondeo fide authorum digniorum affirmativè, de pluribus namque referunt, qui ex lecto, in quo dormiunt, sese erigunt, vestiunt, ac alio se conferunt, cùm tamen aliis appareant dormire, & ipsi postea nullius recordentur actionis; hoc supposito quæritur, an tales censeantur dormire? Respondeo ex suppositione, quòd somnus sit ligamen omnium sensuum externorum eos non dormire, quia ad minus in eis sensus tactus est solutus, nec enim aliàs possent se vestire, & cætera facere; dicuntur ergò dormire in largiori aliqua acceptione, quatenus scilicet major pars sensuum est ligata.

VII. *Cur gallus noctu cantet.*

Quæres 6. Quare gallus gallinaceus circa medium noctis evigilet, & cantet? Respondeo id provenire ab indita vi ipsius, quòd autem cantet, ratio est, quia quiete recreatus, & satiatus signum lætitiæ cantu ostendit.

VI. *Dormiens.*

Quæres 7. Cur supra dextrum latus sinistrum soporemur? Respondeo ex Aristotele hic, quia magis pars dextra quiescit, & immota manet, quæ dinturno tempore magis sunt fatigata, quàm sinistra.

Quæres 8. Cur Musica jucundè ad somnum alliciat? Respondeo, quia anima ad cantus intenta reliquorum sensuum quasi oblita spiritus vitales ad eorum officinas mittere desinit, qui sic destituti ligantur, & soporantur.

Quæres 9. Cur ii, quibus venæ non apparent, somniculosi sint? Respondeo, quia per venas angustas, quales hi habent ægrè humor à cerebro descendens effluit, sed in ipsis diu insistit, somnumque protrahit, non secus ac per fistulas graciles aqua guttatim, & lentè decurrit, per amplas celeriter elabitur.

QUÆSTIO III.

De somniis, & divinatione per somnia.

Somnia sunt affectiones concomitantes somnum, ideo eo explicato, ad somnia hic I. gressum facio, describitur autem à Philosopho hîc, quòd sit phantasma apparens in somno; seu apprehensio phantasmatis nobis dormientibus occurrentis; pro quo adverte in somno non semper sensum internum ligari, nisi quando est vehemens humorum copia, ut omnino spiritus animales obruantur; quando igitur sensus internus liber manet, tunc potest operari circa phantasma, quæ sunt species rerum ab externo sensu cognitarum, in potentia phantastica reservatæ, & hæc sensatio phantasmatum facta in somno somnium dicitur, convenitque omnibus animalibus. Qui plures sensus internos admittunt, multùm laborant, in quanam potentia somnium sit collocandum, ego quia unum tantùm admitto, in eodem pono, sequitur ergò ex his dictis, quod qui caput habent multis fumositatibus repletum non possint somniare, ut sunt pueri, infantes, & ebrii. Hæc etiam est ratio, cur initio somni non somniemus, in medio valde obscurè, & in fine clarè, ac distinctè, non secus ac si vigiles essemus, quia initio humores valde abundant, in medio aliquantulum vigent, & in fine consumuntur. Sequitur secundò quòd fortiùs ea somniemus, quæ firmiùs per sensus externos cognoscimus, nam tunc phantasmata sunt rigidiora; somniamus item ea, quæ complexioni sunt magis conformia, sic melancholici tristia, & horrida, cholerici bella, cædes, & ripas, phlegmatici aquas, pisces, &c. sanguinei risus, ludos, & delectabilia.

Quantum ad divisionem somniorum, quinque genera enumerant authores, *Oraculum* scilicet, *Visionem*, *Somnium*, *Insomnium*, & *Phantasma*. *Oraculum* dicunt esse, cùm in somnis aliqua Sancta, gravisque persona eventurum aliquid, vel faciendum prænuntiat. *Visionem* dicunt id, quod quis somniat eo modo, quo viderat in vigilia. *Somnium* est, quod figuris tectum, quod sine interpretatione intelligi non potest. *Insomnium* est, quando id, quod fatigaverat vigilantem, ingerit se dormienti, verbi gratiâ, sitis, cibus, studium. *Phantasma*

tasma est, quando quis dormiens adhuc se vigilare æstimat.

III. *Somnia alia Divina, diabolica & naturalia.*

Somnia alia sunt *Divina*, alia *Dæmoniaca*, alia *Naturalia*, seu animalia; *Divina* sunt, quæ à Deo vel immediatè, vel mediatè per Angelos insinuantur, talia facta fuisse tam Novum, quàm Antiquum testatur Testamentum. *Dæmoniaca* dicuntur ea, quæ à Dæmonibus inducuntur, possunt enim modo eodem, quo ab Angelis bonis induci, cùm habeant eandem naturam & virtutem, licèt non eundem spectent finem, Angeli enim boni Dei gloriam & hominum salutem, mali verò æternam damnationem intendunt; duo autem sunt, quæ impurus spiritus assequi nititur, ut si mentes non possit castas in vigilia, saltem corpora obscænis pollutionibus, & cogitationibus in somno fædet. Secundò, ut ignaros homines varia superstitione decipiat. *Somnia Naturalia*, seu Animalia dicuntur, quæ ex affectione corporum, temperamento, aliisque modis nascuntur, vel quæ versantur circa res, quibus per diem occupati sumus. Ratio est, quia species illorum objectorum ob assiduum usum valde activæ sunt, & ad excitandam potentiam efficaces; hinc liberales somniant se largiri, mendici petere, cantores cantare, Philosophi disputare, avari pecuniam congregare & similia, unde Aristoteles hìc inquit bonorum hominum semper meliora esse somnia. De arte divinandi, seu præsagiendi futura ex somnis, quam somni speciem vocant, diversæ fuerunt antiquorum Philosophorum opiniones, Epicurus, Xenophanes & Colophonius omnem artem divinandi è medio sustulerunt, è contra verò Platonici, Pythagorici, ac Scotici plurimùm in ea acquirenda, ac comparanda insudârunt. Non est tamen negandum per ea somnia, quæ ex affectu corporis, vel cælesti influxu obveniunt probabilem conjecturam eventuum aliquorum capi posse, ut patet exemplo illius, qui somniavit se vidisse ovum ex fascia sui lecti cubicularis dependens, qui consulens conjectorem, responsum accepit, quòd thesaurus defossus esset sub lecto, fodit & aurum argento circumfusum invenit, mittensque aliquid de Argento interpreti, *An nihil de vitello* interrogat interpres, per quod significatur aurum, uti & per album ovi argentum accepisset? Tenendum præterea & Diabolum quarundam rerum species posse infundere in somnis, unde valde malè quis faceret, si ad Dæmonem, quid somnia portentent, recurrat, non solùm quatenus illicitum est tale commercium particulare cum Dei, & nostro inimico habere, sed etiam quia cùm ipse sit pater mendacii, non posset aliquis cum certitudine cognoscere, an verum sit, nec ne? S. Hieronymus supra verba illa Eccl. 5. *In multitudine somniorum, &c.* ait: *Cùm diversa videris per nocturnam quietem, & variis anima fuerit exagitata terroribus, sive incitata promissis, tu ea contemne & solum Deum time; qui enim somniis credunt, vanitatibus & ineptiis plurimis se tradunt*, intellige de somniis animalibus.

IV. *Somniorum fiuitia.*

V. *Deus per somnia loquitur magis.*

Quæres primò: Cur Deus in somnis potiùs, quàm vigiliæ tempore occultarum rerum vaticinia inspiret? Respondeo, quia animas tunc tumultuantium rerum, & externorum sensuum functione carens aptior est ad divinarum rerum cognitionem cælitùs hauriendam.

VI. *Non sunt semper clara.*

Quæres secundò: Cur Divina somnia non semper clara sint & aperta, sed quasi ænigmatica? Respondeo, quia sic mens humana ad Divina mysteria in pretio habenda efficaciùs instruitur, quàm si ea statim primo occursu prænosceret.

VII. *Ratio Ephialtis.*

Quæres tertiò: Quam ob causam dormientes aliquando graviter conflictentur, quasi oppressi incubantis & vocem, ac spiritûs intercludentis Dæmonis, aut alicujus alterius rei similis pondere, quod *Ephialtem*, quasi subsultorem vocant? Respondeo, quia potissimum post affluentem satietatem multus sanguis, aut spiritus ob defectum concoctionis parum defæcatus, proindeque obscurus, & tetricus in cerebrum evadit, ipsumque degravat, atque accubatu suo terrificam illam movet imaginem.

QUÆSTIO IV.

De Respiratione, Vita & Morte hominis.

I. *Respiratio in quo consistat.*

In hac Quæstione examinabo Respirationem, Ætatem hominis, Vitam & Mortem, quia tamen res sunt parvi momenti, plurima per quæres expediam, quàm laconicè.

Respiratio, de qua hìc, in duplici consistit motu, attractionis scilicet aëris ad cor per pulmonem, & asperam arteriam facta, quæ dicitur inspiratio; Et ejusdem aëris expulsionis, quæ dicitur exspiratio; Inspiratio, seu attractio aëris fit hoc modo; dum aër ore à naribus attrahitur, elevatur Epiglottis, seu lingula, claudens ostium laryngis & liberum relinquit iter aëri per laryngem, & asperam arteriam, quæ in duas partes dividitur prope pulmones, deinde per eandem viam egreditur & fit exspiratio; Pulmones autem in hoc se habent per modum follium, nam dum aër attrahitur elevantur, dum verò exspiratur restringuntur. De principio hujus motûs est quæstio; aliqui putant esse cor, alii ipsos pulmones, alii musculum illum simplicem & rotundum, qui separat cor, & pulmones à jecore & liene, quem diaphragma vocant, alii omnia ista. Existimo tamen primum principium motûs esse ipsum calorem cordis ex novo sanguine generatum, qui calor diffunditur cum sanguine per arterias pulmonum, quâ ratione inflatur & attollitur thorax, in quem subingreditur aër, ut locum repleat, qui suâ frigiditate calorem cordis & pulmonum retundit, & hac ratione pulmones concidunt, aërem expellunt, ut patet in follibus, & quia novus semper advenit calor, ideò nova causatur inflatio, novaque respiratio. Et per hoc soluta est quæstio quomodo causetur tam difformis, & contrarius motus expansionis & contractionis, si enim assignetur solus pulmo, aut solum diaphragma principium hujus motûs, qui est naturalis, difficulter solvetur hæc quæstio. Causa finalis respirationis est refrigeratio caloris cordis, ne animal in ejus excessu intereat.

II. *Non omne vivens respirat.*

Quæres primò: Cùm causa finalis respirationis sit refrigeratio, & omnia viventia habeant

habeant calorem innatum, qui humido radicali depascitur, an omne vivens debeat respirare? Respondeo negativè; licèt enim omne vivens refrigerari debeat, non tamen respirare, nisi ubi multum calor excedit, hinc plantæ quia modicum calorem habent, non respirant, sed sufficit, quòd aëre & aquâ ambiente refrigerentur.

III. *Non omnia animantia respirant.*

Quæres secundò: An omnibus animalibus competat respiratio? Respondeo, quòd exanguibus animalibus, quæ parva sunt & pulmonibus carent, non competat, sicut nec piscibus, ut hîc docet Philosophus, nam si respirarent pisces, deberet intra aquam reperiri aër, quod est falsum, nec extra aquam morerentur, sicut nec terrestria in aqua suffocarentur. Refrigerantur ergò ab aqua ambiente per fistulas ad interiores partes penetrante; sunt tamen aliqui pisces pulmones habentes, qui respirant, ut delphini, balænæ, crocodili, ranæ, &c. quia tamen parum habent caloris, & pulmones habent ferè exangues & fungosos, ideò à respiratione diu cessare possunt.

IV. *Prior est inspiratio.*

Quæres tertiò: Qui motus prior sit, an inspirationis, an expirationis? Respondeo cum Philosopho priorem esse inspirationem, sicut in morientibus posterior est expiratio.

De Vita & Morte hæc nota: Vita à Philosopho describitur: quòd sit permansio animæ vegetatricis cum calore; quia tamen hæc particula cum calore difficultatem excitare posset, melius fortè describeretur, quòd vita sit convinctio Animæ cum corpore. Mors verò describitur: quòd sit discessus Animæ à corpore.

V. *Octomestres non supervivunt.*

Quæres primò: Cur infantes nati septimo mense, nati supervivant, octomestres verò, quod experientiâ habetur, nunquam? Respondeo, quòd Philo Judæus, & Aphrodisius referant in occultam vim numeri septenarii, quod omnes etiam approbant.

VI. *Infantibus actiones naturales bonæ sunt.*

Quæres secundò: Cur infantibus actiones naturales validæ sint, non verò animales? Respondeo, eo quòd operationes naturales fiant à colore, quo abundant infantes, animales verò à spiritibus sensitivis, qui in cerebro perficiuntur, suntque admodùm modici illis.

VII. *Pueri sapientes non diuturni.*

Quæres tertiò: Cur pueri maturiùs prudentes, aut non vitales, aut seniores stupidi sint? Respondeo, eò quòd habeant intempestivam cerebri siccitatem, hinc canit communis: *Odi pueros præcoci sapientiâ.*

VIII. *Qui magis senescant.*

Quæres quartò: Cur, qui eminentiora loca Cœlo incolunt, tardiùs senescant? Respondeo cum Aristotele, quia senectus est putredo quædam, ideò putrescit citò, quod quiescit, non quod movetur, moventur autem quodammodo flante vento.

IX. *Senes illiberales.*

Quæres quintò: Cur senes timidi, suspicioli & illiberales sint? Respondeo timidos esse ob defectum caloris, qui generositatem parit; suspicioso s esse dicit Aristoteles lib. 2. Rhet. 13. quoniam increduli; increduli verò, quoniam experti; Illiberales sunt, quia quàm diutissimè adhuc vivere peroptant, & idcirco vitæ necessaria ægrè dimittunt.

X. *Dentes citius frigeant, quàm caro.*

Quæres sextò: Cur dentes citius frigeant, quàm caro? Respondet Aristoteles, quia tenuibus meatibus, ut nervulis sunt infixi.

XI. *Calvescimus magis à sincipite.*

Quæres septimò: Cur calvescimus magis à sincipite, canescimus magis à temporibus? Respondeo, quia regio illa valde ficca est, hæc perhumida, à siccitate verò defluvium, ab humore canities est.

XII. *Cur homo præ omnibus animantibus citiùs senescat.*

Quæres octavò: Cur homo præ omnibus aliis animantibus citiùs senescat? Respondeo, quia cæteris pili sæpius decidunt, ut equo & bovi, si verò non decidunt, brevis tamen eorum vita est.

XIII. *Capilli detestitar. Cur canities quàm operti canescant.*

Quæres nonò: Cur capilli detestitar. Cur citius, quàm operti canescant? Respondeo, quia canities à putredine est, flatus autem putredinem prohibet, & operimentum flatum prohibet.

XIV. *Quæ pro magnitudine corporum grandiora habent, ut lepores, cervi, mures, asini, mustellæ, timidiora sint.*

Quæres decimò: Cur ea, quæ pro magnitudine suorum corporum grandius cor habent, ut lepores, cervi, mures, asini, mustellæ, timidiora sint? Respondeo, quia exigua copia caloris, qui animositatis auctor est in magno receptaculo exolescit & infrigidescit.

XV. *Cur spiritus vitales in corde conficiuntur.*

Quæres undecimò: Cur quemadmodum spiritus vitales in corde conficiuntur, non etiam animales in eodem efformentur? Respondeo, quia ut spiritus ad animales functiones juvandas idonei sint, minus caloris habere debent, quàm in corde obtinent, ideoque ad cerebrum deferuntur.

XVI. *Cur timentes expallescant.*

Quæres duodecimò: Cur timentes expallescant? Respondeo, quia Anima, ut vitæ consulat, sanguinem & spiritus custodiæ gratia ad penitiora avocat.

XVII. *Cur illis, quos subitus timor percellit, capilli horrent.*

Quæres tridecimò: Cur illis, quos subitus timor percellit, capilli horrent? Respondeo, quia frigiditas, quæ calori in viscera fugienti succedit spiracula cutis & capillos stringit, qui presi, strictique sursum eriguntur; similiter obtremit vox, quia formandæ vocis instrumenta calore destituta præstare officium nequeunt.

XVIII. *Cur vehementer irascentibus oculi rubescant.*

Quæres ultimò: Cur vehementer irascentibus oculi rubescant? Respondeo, quia excitato ad cor fervore, sanguis tenuior in caput effertur & ad oculos, in quibus quia pellucidi sunt vapores sanguinei, facilè apparent. Hæc de Animæ natura ad Animæ Conditoris & Creatoris Gloriam & Laudem, & ad Animæ meæ, cunctorumque Christianorum salutem dicta sufficiant.

Amen.

A.D. T. O. M. G.

META-